FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

Quæ jura a lege sunt, auctor sibi reservat.



H436

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

R. P. J. HERRMANN

CONGR. SS. REDEMPTORIS

VOLUMEN SECUNDUM

CONTINENS

TRACTATUS

DE DEO CREATORE — DE INCARNATIONE

DE B. V. MARIA — DE GRATIA

DE VIRTUTIBUS

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
H436
Alma, California

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PACIS PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* Num. 35

1897

264

APPROBATIO

Cum opus, cui titulus *Institutiones Theologiæ Dogmaticæ,* a P. JOANNE HERRMANN nostræ Congregationis sacerdote conscriptum, duo ejusdem Congregationis theologi, quibus id commisimus, recognoverint atque in lucem edi posse censeant, libenter facultatem concedimus, ut illud typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita visum fuerit.

Datum Romae, die 15 Octobris 1896,
festo Sanctæ Teresiæ Virginis.

L ✠ S

MATHIAS RAUS, CONGR. SS. RED.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

TRACTATUS TERTIUS.

DE DEO CREATORE.

Conspectus generalis.

Pars I. De Creatione in genere

- CAP. I. De Creatione secundum se considerata.
- CAP. II. De fine Creationis.
  - A. 1. Finis Dei creantis.
  - A. 2. Finis operis producti.
- CAP. III. De Cosmogonia mosaica.

Pars II. De Angelis.

- CAP. I. De Angelis in esse naturæ.
  - A. 1. Existentia.
  - A. 2. Natura.
  - A. 3. Facultates.
    - § 1. Intellectus.
    - § 2. Voluntas.
- CAP. II. De Angelis in esse gratiæ.
  - A. 1. De gratia et gloria bonorum.
  - A. 2. Lapsus dæmonum.
- CAP. III. De hierarchiis et ordinibus angelicis.
- CAP. IV. De actione Angelorum.
  - A. 1. In se invicem.
  - A. 2. In creaturam corporalem.
  - A. 3. In hominem.
    - § 1. In genere.
    - § 2. Custodia bonorum.
    - § 3. Impugnatio dæmonum.

Pars III. De Homine.

- CAP. I. Hominis productio in esse naturæ.
- CAP. II. Hominis elevatio in statum supernaturalem.
  - A. 1. Ordo naturalis et supernaturalis.
  - A. 2. Diversi status.
  - A. 3. De statu primi hominis.
- CAP. III. De lapsu Hominis.
  - A. 1. Peccatum protoparentum.
  - A. 2. Existentia
  - A. 3. Natura
  - A. 4. Modus propagationis
  - A. 5. Subjectum
  - A. 6. Effectus.

  (A. 2–A. 6: peccati originalis.)

Pars IV. De Gubernatione operis Dei.

- CAP. I. De rerum Conservatione.
- CAP. II. De Motione rerum in finem.

INTRODUCTIO [1].

637. — Duplex in Deo, ut ex supra dictis constat, invenitur actio, immanens scilicet et transiens; et cuilibet quædam correspondet processio.

Quisnam fuerit ad intra terminus divinæ actionis, modo vidimus dum Deum unum in essentia et trinum in personis consideravimus. In illa divina processione Deus Pater totam suam bonitatem Filio et Spiritui Sancto communicat, et in illa ineffabili communicatione suam gloriam, et omnimodam suam beatitudinem possidet. In hac sua beatitudine Deus in æternum quiescere, et quiescendo summa et perfectissima felicitate perfrui potuisset, quin alios in consortium suæ beatitudinis admitteret. Sed summa sua bonitate motus, bonitatem suam extra se diffundere, universumque creare decrevit. Præter illam igitur ineffabilem processionem, qua Verbum gignitur a Patre, et Spiritus a Patre Filioque spiratur, altera adest processio, processio scilicet ad extra, qua mundus hic adspectabilis omnisque creatura a Deo exiverunt: de qua processione est nunc agendum. *(Cf. Cont. Gent. II. c. 1).*

638. — **NB.** Creaturarum considerationem instituit cum philosophia tum theologia, modo tamen diverso. *Philosophia* creaturam considerat in quantum est *talis*, utpote ignem quatenus est ignis; necnon et illa, quæ ei secundum propriam naturam conveniunt, sicut igni ferri sursum. — *Theologia* vero creaturam unice considerat secundum quod est ad Deum relata, utpote quod est a Deo creata, quod est Deo subjecta, et ad Deum, ut ad suum finem, ordinata. *(Cf. Cont. Gent. II, c. 4).*

Quæ theologica creaturarum consideratio nobis maximæ est utilitati: « Primo quidem, *ait S. Th. (Cont. Gent., l. II. c. 2)*, quia ex factorum meditatione, divinam sapientiam utcumque possumus et admirari et considerare... Secundo, hæc consideratio in admirationem altissimæ virtutis Dei ducit, et per consequens in cordibus hominum reverentiam Dei parit. Oportet enim quod virtus facientis eminentior rebus factis intelligatur... Tertio, hæc consideratio animos hominum in amorem divinæ bonitatis accendit. Quidquid enim bonitatis et per-

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* Summa P. 1, q. 44 et seq.; De Potent., q. 3 et seq.; Cont. Gent., l. II. — *Isambert,* In I P. D. Th. — *Gotti,* Theol. dogm. schol. — *Gabriel a S. Vincentio,* In I P. D. Th. — *Gibbon,* Speculum theol. — *Gonet,* Clypeus et Manuale. — *Contenson,* Theol. mentis et cordis. — *Billuart.* — *Sylvius.* — *Maderni,* Cursus theol., De Angelis. — *Bellarmin.,* De gratia primi hominis; De Amissione justitiæ. — *Mazzella,* De Deo Creante. — *Lambrecht,* Theol., spec., De Deo Creante.

fectionis in diversis creaturis particulariter distributum est, totum in Ipso universaliter est adunatum sicut in fonte totius bonitatis. Si igitur creaturarum bonitas, pulchritudo et suavitas sic animos hominum allicit, ipsius Dei fons bonitatis, rivulis bonitatum in singulis creaturis repertis diligenter comparata, animos hominum inflammatos totaliter ad se trahet. Unde dicitur: *Delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo.* (Ps. XCI, 5).»

639. — Divisio tractatus. — In hocce tractatu consideratio nostra ferri debet: 1. In ipsam creationem in genere: 2. In creaturam, quæ a Deo producta est. Quia vero triplex condita est creatura, videlicet: pure spiritualis, pure materialis, et composita ex materia et spiritu, agendum erit in speciali primo de creatura pure spirituali, quæ est angelica: deinde de creatura ex materia et spiritu composita, quæ est humana: de creatura vero pure materiali, de qua in aliis disciplinis abunde tractatur, theologia specialem considerationem non instituit. 3. Cum autem creaturarum universitati Deus incessanti cura invigilet, et eam ad finem suum per apta media dirigat, de gubernatione operis Dei etiam disserendum est.

Quadripartitus ergo erit tractatus.

In Parte I. Sermo erit de Creatione in genere;
In Parte II. De Angelis;
In Parte III. De Homine;
In Parte IV. De Gubernatione operis Dei.


FATHERS LIBRARY
ST. JOHN'S CHURCH

PARS I.

DE CREATIONE IN GENERE.

In hac prima parte tria occurrunt consideranda: I. Ipsa creatio secundum se considerata; II. finis creationis. Et quia factum creationis ex mosaica narratione unice cognoscimus, III. de cosmogonia mosaica etiam agendum est.

CAPUT I.

DE CREATIONE SECUNDUM SE CONSIDERATA.

640. — Definitio creationis. — Creatio, stricto sensu accepta, definitur: *productio entis ex nihilo;* vel adhuc: *Productio alicujus rei secundum totam suam substantiam, nullo præsupposito.*

Creatio est productio alicujus entis secundum totum suum esse ex nihilo, ita ut nullo præsupposito tanquam *materia ex qua,* vel tanquam *subjecto dependenter a quo,* tota rei substantia producatur. Quæ particula *ex nihilo, nullo præsupposito,* creationem ab omni alia effectione vel generatione specifice distinguit: in his enim effectus producitur vel ex materia præjacente, ut, v. gr., statua ex ligno; vel saltem dependenter ab aliquo subjecto, sicut, v. gr., forma substantialis non subsistens educitur e potentia materiæ, et accidens dependenter a suo subjecto producitur.

Ex quibus sequitur, creationem terminari *ad esse* simpliciter, seu ad *ens in quantum est ens;* « producere esse absolute, *inquit S. Th.,* non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis » *(q. 45, a. 5);* alias vero mutationes non terminari ad ens simpliciter, sed ad ens sive in quantum est *hoc ens,* per formam substantialem; sive in quantum est *tale ens,* per formam accidentalem. *(Q. 44, a. 2).*

641. — Creatio sumitur active vel passive. — « Creatio *active* accepta significat actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam. » *(Q. 45, a. 3, ad 1).* — « Creatio *passive* accepta est in creatura, et est creatura. » *(ibid. ad 2);* quia creatura est terminus creationis, seu est id, quod actione Dei creatrice producitur, et esse incipit. In omni creatura est ergo necessario « relatio quædam ad creatorem, ut ad principium sui esse. » *(Q. 45, a. 3. — Cf. de Potent., q. 3, a. 3).*

642. — Creari non est nisi subsistentium. — Creari non convenit omnibus, quæ sunt, sed illis tantum quæ in se subsistunt. Enimvero: « Creari est quoddam fieri. Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit fieri et creari quibus convenit esse, quod quidem proprie convenit subsistentibus. » *(Q. 45, a. 4).* Formæ vero et accidentia, quæ non in se, sed in subjecto esse habent, magis dicuntur *coexistentia* quam entia; et ideo magis debent dici *concreata* quam creata.

Creationi opponitur *annihilatio*, quæ est *reductio totius rei in nihilum.*

643. — Errores. — Circa creationem plures prodierunt errores. Antiquiores quidam philosophi, innixi principio quod *ex nihilo nihil fit*, creationem mundi ex nihilo impossibilem judicarunt, et ex materia præjacente atque æterna Deum omnia condidisse prædicarunt. — *Materialistæ* recentiores Deum et creationem omnino negant, et præter materiam nihil admittunt. Hi mundum ex atomis ab æterno existentibus coaluisse docent, sive fortuito earum concursu, sive virtute virium, ut attractionis, caloris, etc., quæ ipsis naturaliter insunt. — *Pantheistæ* mundum ex ipsa Dei substantia emanasse delirant. *(Cf. n. 424).*

644. — Prop. I. *Deus per creationem est rerum omnium prima causa efficiens.*

De fide, ex Later. IV; et ex Vatic., l. can. 5: « Si quis non confiteatur mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam, a Deo ex nihilo esse productas, A. S. ». — Et in Symb. legitur: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ ».

Prob. I. **Ex Script. S.** (Gen. I, 1): *In principio creavit Deus cælum et terram.* — (II Machab. VII, 28): *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* — (Coloss. I, 16): *In ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* — Hi textus aliique innumeri, omnem a Deo ex nihilo productam esse creaturam, invicte probant.

II. **Ex Traditione.** « Nos tenemus regulam, *ait S. Irenæus,* unum esse Deum creatorem, qui per verbum suum condidit mundum ex eo, quod non erat. » *(Hær. l. II, c. 1).* — Et *S. August.:* « Deum fecisse et creasse omnia quæ sunt, in quantum sunt, catholica disciplina credi jubet, ita ut creatura omnis sive intellectualis sive corporalis... non de Dei natura, sed a Deo sit facta de nihilo. » *(Lib. de Gen., c. 1).*

III. **Ex Ratione.** « Necesse est ponere, *inquit S. Th.,* a Deo omnia creata esse. Quicumque enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præsupponitur actioni ejus, et non producitur per ipsam actionem: sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, ut ex ligno et ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed et ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum a Deo... Sed nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse. Unde necesse est dicere quod Deus ex nihilo res in esse producit. » *(Q. 45, a. 2).*

645. — **Prop. II.** *Deus est rerum omnium causa exemplaris.* — **Certa.**

Prob. « Deus est prima causa exemplaris omnium rerum, *ait S. Th.* Ad cujus evidentiam considerandum est quod ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur..... Manifestum est autem quod ea quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod

reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas diximus ideas, id est, formas exemplares in mente divina existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium. » *(Q. 44, a. 3).*

646. — Quæritur I. *Utrum Deus omnia, an solum aliqua, ex nihilo creaverit.*

Resp. Deus omnia creavit ex nihilo, sed quædam immediate, quædam vero mediate tantum. *Immediate* Deus Angelos creavit, et nunc adhuc *immediate* creat animas humanas; immediate etiam creavit cœlum et terram secundum formam et materiam simul, quas e nihilo produxit. — Plantas autem et animalia Deus non creavit immediate ex nihilo, ut ex Genesi, cap. I, constat; sed ea ex materia præjacente produxit, sicut etiam ipsum hominis corpus de luto efformavit. — *Mediate* autem omnia ex nihilo creata sunt, quia ipsam materiam, de qua facta sunt, Deus produxit ex nihilo. Apposite *S. August.*: « Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est ». *(De Gen. cont. Manich. l. I. c. 6).*

647. — Quæritur II. *Utrum creare sit proprium alicujus Personæ SS. Trinitatis?*

Resp. Creare est quid commune toti Trinitati, secundum effatum: *Opera Dei ad extra sunt indivisa et toti Trinitati communia.*

Attamen, cum Deus Creator sit unus et trinus, in omnibus Dei operibus invenitur aliquod Trinitatis vestigium; imo in creaturis intellectualibus aliqua Trinitatis imago. — *(De hoc confer S. Th., q. 45, a. 6 et 7. — 1 Sent. D. 14, q. 1, a. 1. — et D. 32, q. 1, a. 3. — Capponi et Bannez, in q. 45, a. 6).*

648. — Quæritur III. *An solus Deus possit creare.*

Resp. 1. *De fide* est solum Deum creasse mundum, secundum illud (Is. XLIV, 24): *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens cœlos, et nullus mecum.*

2. Docent unanimiter doctores nullam creaturam, nequidem de potentia Dei absoluta, quidquam creare posse *per modum causæ principalis*, per virtutem scilicet a Deo acceptam ut propriam. « Potentia creandi, *ait S. Alph.*, soli Deo propria est; ad creandum enim requiruntur virtus et potentia infinitæ, quas Deus nulli creaturæ commu-

nicare potest, ut docent omnes theologi. » *(Hist. hær. Conf. II, n. 17. — Cf. S. Th. De Pot., q. 3, a. 4).*

3. An autem de potentia Dei absoluta aliqua creatura possit aliquid creare *per modum causæ instrumentalis,* controvertitur. — *Affirmant* Magister Sententiarum, Durandus, Biel, et alii pauci. — *Negat* S. Thomas, cum communi sententia theologorum. Ratio est « quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis.... Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet esse absolute. Unde non potest aliquid aliud operari dispositive et instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est quod alicui creaturæ conveniat creare; neque virtute propria, neque instrumentaliter, sive per ministerium. » *(S. Th., q. 45, a. 5).*

649. — Quæritur IV. *Utrum mundus potuerit ab æterno creari.*

De fide est mundum non semper fuisse, sed in tempore, vel potius cum tempore, fuisse a Deo creatum. Deus, *ait Vatic.* Const. *Dei Filius* « liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque ex nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem » [1].

Si vero quæstio moveatur, scilicet, *an mundus ab æterno creari potuisset,* scinduntur auctores. Alexander Alensis, Albertus Magnus, S. Bonaventura, multique moderni docent, mundi creationem ab æterno repugnantiam involvere, non quidem ex parte Dei, sed ex parte ipsius mundi. Quidquid enim creatur, aiunt, antequam creetur, non est; si autem non fuit, inchoavit esse; ac proinde nequit esse æternum. Exinde mundi novitatem apodictice probari posse contendunt.

S. Thomas vero, Scotus, Suaresius, aliique non pauci docent creationem mundi ab æterno nullam implicare repugnantiam, ac proinde mundi novitatem sola fide teneri: « mundum non semper fuisse, *inquit S. Th.,* sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest... Unde mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile. » *(Q. 46, a. 2).* — Ratio est quia, *ut docet S. Doctor (De Pot., q. 3, a. 14, ad 7),* ad rationem creationis non pertinet, ut aliqua res sit postquam non fuerit, sed ut a se sit nihilum, et esse suum ab alio habeat, a quo etiam indesinenter quoad esse dependeat. Unde *ait S. Doctor, (ibid. ad 8):* « De ratione æterni est non habere durationis principium; de ratione vero creationis habere principium originis, non autem durationis. »

Hanc opinionem D. Thomæ de possibilitate creationis mundi S. Alphonsus probabilissimam vocat [2]; attamen negat S. Alphonsus possi-

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*, c. 2, n. 6 et seq. — [2] *Hist. hær.*, Conf. II, n. 16 (t. V, p. 46).

bilitatem creationis ab æterno earum rerum, quæ per generationem propagantur. Posita enim harum creatione ab æterno, admittendus foret numerus actu infinitus; quod repugnat [1].

CAPUT II.

DE FINE CREATIONIS [2].

650. — Sapientis est ex intentione finis agere. Stabilito igitur facto creationis, quem in finem mundus a Deo conditus sit, inquirendum est.

Finis vocatur *id, cujus gratia aliquid fit.* Dividitur in *finem operis* et in *finem operantis.*

Finis operis est id, ad quod opus ex natura sua tendit et ordinatur; v. gr., finis domus est inhabitatio hominum. Vocatur etiam finis *intrinsecus, proprius, physicus.*

Finis operantis est id, quod operans principaliter intendit; vocatur etiam *motivum,* quod operantem ad agendum impellit; v. gr., si architectus domum ædificat spe lucri, aut honoris inde sibi provenientis, lucrum et honor sunt finis operantis.

Hermes, Guntherus, et multi protestantes, Deum mundum non primario et principaliter propter semetipsum, sed propter creaturæ rationalis, speciatim hominis, felicitatem condidisse autumant. — Alii contra docent, Deum propter semetipsum mundum creasse, quia ad vitæ suæ evolutionem et perfectionem eo indiget. — Catholica vero doctrina docet Deum mundum ex mera bonitate propter suam gloriam condidisse.

Exponemus igitur in art. I. finem Dei creantis; et in II. finem operis.

[1] *Ver. fid.* I, c. 5, n. 4 (t. I, p. 52); et t. II, p. 495 et 496. — [2] Cf. *D. Th.,* P. 1, q. 44, a. 4; 2 Sent. D. 1, q. 2; *Cont. Gent.,* l. I, c. 17-25; Hurter, *De Deo Creat.,* n. 279 et seq.

ARTICULUS I.

DE FINE DEI CREANTIS.

651. — Prop. *Finis Dei creantis, seu ratio, quæ Deum ad creandum impulit, est absoluta et intrinseca divinæ essentiæ bonitas.*

Fide certa, ex Vatic., Const. *Dei Filius*, cap. I: « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam. »

Prob. I. **Ex Scrip. S.** Legimus (Prov. XVI, 4): *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Sed illud *propter semetipsum* bonitatem Dei absolutam denotat, ut optime exponit Cornelius a Lap. « Ex dictis liquet, *ait*, quod cum dicitur Deum creasse et operari omnia *propter se*, hoc est, propter gloriam suam, gloria accipi debeat non creata, quam Deus accipit a creaturis; sed increata et infinita, quam ab æterno habuit habetque a se ipso et in se ipso, quæ est ipse Deus. »

II. **Ex Concilio Coloniensi,** *(an. 1860. tit. III. cap. 13)*: « Si id, *inquit*, quod Deum ad creandum impulerit, seu finis operantis quæreretur, dicendum est, nihil Deum, quod ab eo sit distinctum, impellere potuisse, cum, utpote sibi sufficiens, nihil sibi possit appetere. Cum porro Deum creasse constet, et cum, quidquid agit, ex amore bonitatis suæ absolutæ cum agere pariter constet, recte dicimus, Deum bonitate sua, ut libere mundum crearet, motum esse. Hoc etiam sensu S. August. dixit: *quia bonus est, sumus.* »

III. **Ex Ratione.** Principale volitum est ratio volendi alia. Atqui principale volitum divinæ voluntatis est sua absoluta bonitas (*cf. n. 484*). Ergo absoluta Dei bonitas est pro eo ratio volendi res creatas. « Unde, *ait S. Th.*, cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua. Et sic, sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam,

ita alia a se vult volendo bonitatem suam. » *(Q. 19, a. 2, ad 2).*

652. — **Scholium.** Primaria igitur et ultima ratio, quæ Deum impulit ut cum universum mundum, tum quamlibet creaturam conderet, est intrinseca et absoluta ejus bonitas, non quidem acquirenda vel augenda, cum primo agenti, qui per semetipsum et in semetipso summe perfectus et beatus est, non conveniat propter acquisitionem alicujus finis agere; sed *diffundenda* et *communicanda*, quia bonitas est sui diffusiva; ac proinde Deo, summo bono, bonum et gloriosum est suam bonitatem aliis communicare, ut et hæc, similitudinem divinæ bonitatis participantia, suo modo sint beata. « Et ideo dicitur, *ait S. Th.*, quod Deus fecit creaturam propter bonitatem suam, et propter utilitatem creaturæ. » *(2 S., D. 1, q. 2, a. 1).*

« Ideo si quæritur, *inquit Magister Sentent., (2 Sent., D. 1)*, quare creatus sit homo vel angelus, brevi sermone responderi potest: Propter bonitatem ejus... Et si quæratur, ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur: Ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo; in quo proficit ipsa, non Deus. Deus enim perfectus et summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta est a Deo, referendum est ad creatoris bonitatem et ad creaturæ utilitatem. »

Bonitas Dei communicanda, bonitas Dei a creaturis repræsentanda, **en igitur finis creationis.**

Sed quia bonitas Dei una re sufficienter participari et repræsentari non potest, Deus innumeras creaturas alias aliis perfectiores produxit, quarum unaquæque modulo suo Dei bonitatem participat, ejusque gloriam celebrat. Deus, *ait S. Th.* « produxit res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, et per eas repræsentandam. Et quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas et diversas; ut quod deest uni ad repræsentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas, quæ in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectius participat divinam bonitatem et repræsentat eum totum universum, quam alia quæcumque creatura. » *(Q. 47, a. 1).*

ARTICULUS II.

DE FINE OPERIS PRODUCTI.

653. — Unius operis plures possunt esse fines, *principalis* unus, alii *secundarii* ad principalem ordinati. « Ipse (Deus), *ait S. Th.*, duplicem ordinem in universo instituit, principalem

scilicet, et secundarium. Principalis est secundum quod res ordinantur in ipsum; et secundarius est secundum quod una juvat aliam in perveniendo ad similitudinem divinam. » *(2 Sent. D. 1, q. 2, a. 3).*

Principalis igitur finis intrinsecus totius universi est ipsa Dei gloria. Finis secundarius principalior mundi visibilis est ipse homo, quem omnia, ut ad similitudinem divinam perveniat, adjuvant. Finis secundarius minus principalis est propria cujusque rei perfectio, atque ejus ordinatio ad sibi superioribus inserviendum.

654. — Prop. I. *Primarius et principalis finis totius creationis est gloriæ Dei externa manifestatio.*

De fide, Ex Vatic., Constit. *Dei Filius,* cap. I, can. 5: « Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, A. S. »

Prob. I. **Ex Scrip. S.** Legimus: (Ps. XVIII, 2): *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* — (Is. XLIII, 7): *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum.* — (Deut. XXVI, 19): *Faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam.* — Ex quibus manifestum est, omnia ad Deum laudandum et glorificandum condita esse.

II. **Ex Concil. Coloniensi,** *(tit. III, c. 13):* « Si... finis operis quæritur, dicendum profecto est, cum (Deum) hoc intendisse et intendere adhuc, quod cum ejus actione ita est conjunctum, ut ab ea separari non possit... Quod autem ab opere Dei abesse non potest, erat ipsa perfectionum divinarum, potentiæ in primis, sapientiæ et bonitatis manifestatio, quæ, quum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. »

III. **Ex Ratione.** 1. Finis Dei creantis est *manifestatio suæ perfectionis per bona, quæ creaturis impertitur,* ut ait Vaticanum. Sed divinæ perfectionis externa manifestatio, est gloria Dei externa.

2. Finis Dei creantis est suæ bonitatis communicatio. « Est autem, *inquit S. Th.,* idem finis agentis et patientis in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter. Unum enim et idem

est quod agens intendit imprimere et quod patiens intendit recipere. » *(Q. 43, a. 4).*

Primarius igitur finis cujuslibet creaturæ est recipere a Deo, secundum mensuram et ordinem a Deo præfixa, eam quantitatem boni sive naturæ, sive gratiæ, quam Deus cuilibet destinavit, ut per eam suam perfectionem et bonitatem repræsentaret ac manifestaret. « Ipsa bonitas divina, *inquit Angelicus,* secundum modum et ordinem quo est ab eo volita, est finis rerum. Et ideo tunc unaquæque res maxime ad suum finem accedit, quando imitatur divinam voluntatem secundum quod de ipsa re dispositum est a Deo. » *(2 Sent. D. 1, q. 2, a. 2, ad 3).*

Sed hæc divinæ bonitatis participationis receptio, in qua creaturæ finis consistit, pondere suo in Dei gloriam cedit, ejus attributa celebrat, ejus bonitatem manifestat. Omnis igitur creatura in gloriam Dei condita est.

655. — Corollaria. I. Cum finis cujuslibet creaturæ consistat in receptione illius boni, quod Deus cuique destinavit, illudque bonum pondere suo in gloriam Dei cedat, sequitur: cujuslibet quidem creaturæ, speciatim creaturæ rationalis, consummatam felicitatem et Dei gloriam intime inter se connecti; ita ut vera creaturæ beatitudo semper in gloriam Dei Conditoris cedat, et gloria externa Conditoris creaturæ felicitatem augeat. Apposite *Concil. Coloniense:* « Intime inter se connectuntur hominum felicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homines promovent, sua augent merita suamque felicitatem; et Deus quo majora bona hominibus largitur, eo majora præbet suæ bonitatis documenta, suamque auget gloriam; unde sicut hæc ad illam, ita illa ad hanc ducit. »

II. Ex dictis illud etiam intelligi potest, quomodo et cœli enarrent gloriam Dei, et omnis creatura notula sua Dei laudes concelebret. Ipsum naturale cujusque creaturæ bonum est divinæ bonitatis participatio, et Dei gloriam naturaliter manifestat; bonum spirituale rationalis creaturæ est ejusdem divinæ bonitatis effusio specialis, et Dei gloriam modo specialissimo celebrat. Et ita totus universus, cum in ordine naturæ tum in ordine gratiæ, est quasi chorus laudes Creatoris perenniter canentium. In quo generali concentu una tantum vox discordans auditur, peccatoris scilicet bonum gratiæ accipere renuentis, et dicentis: *Non serviam.*

656. — Prop. II. *Finis secundarius principalis mundi visibilis est ipse homo.* — Certa.

NB. Homo dupliciter dici potest finis secundarius totius mundi visibilis, nempe: vel quia omnia ad ipsius utilitatem in ordine ad æternam felicitatem diriguntur; vel quia omnia ipsum ut finem appetunt. Utroque modo homo finis mundi visibilis dici potest.

A. *Omnia ordinantur in hominis utilitatem.*

Prob. I. **Ex Script. S.** (Gen. I, 28) Dixit Deus ad protoparentes: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* — (I Cor. III, 22, 23): *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.* — Quibus clare indicatur, omnia mundana ad hominis utilitatem esse ordinata.

II. **Ex Traditione** *In Pastore Hermæ* legimus: « Deus mundum creavit hominis causa, et omnem creaturam suam homini subjecit et omnem potestatem ei dedit, ut dominetur omnium, quæ sub cœlo sunt. » *(Mand. XII, n. 4).* — Et *Lactantius:* « Fecit ergo Deus, *inquit,* mundum propter hominem... Cuncta igitur propter hominem Deus fecit, quæ usui hominum cessere. « *(Instit. c. 68).*

III. **Ex Auctoritate theologorum.** « Finis totius universi, *ait S. Thomas,* est perfecta beatitudo sanctorum » *(P. 1, q. 73, a. 1).* — Et *Magister* (2. *Sent.*, D. 1): « Sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret. Positus est ergo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret, ut acciperet utrumque, et refluerct totum ad bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus sibi ab homine serviri ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur; et voluit ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo... Omnia enim nostra sunt, ut ait Apostolus, I Cor. III. »

B. *Omnia creata visibilia in hominem, ut in finem, tendunt.* « Creaturæ, *inquit S. Th.,* tendunt in divinam bonitatem sicut in illud cui per se assimilari intendunt. Sed quia optimo

assimilatur aliquid per hoc quod simile fit meliori se, ideo omnis creatura corporalis tendit in assimilationem creaturæ intellectualis quantum potest, quæ altiori modo divinam bonitatem consequitur, et propter hoc etiam forma humana, scilicet anima rationalis, dicitur esse finis ultimus intentus a natura inferiori» *(2 S., D. 1, q. 2, a. 3).* — Et *S. Bonaventura:* «Quia (homo) per similitudinem natus est in Deum tendere immediate, ideo omnes creaturæ irrationales ad ipsum ordinantur, ut mediante ipso in finem ultimum perducantur» *(2 Sent. D. 15, a. 2, q. 1).*

657. — Corollaria. — Cum quælibet corporalis creatura ad hominis utilitatem condita sit, exinde:

Deducis I: *Nullam creaturam per se hominem a Deo, fine suo ultimo, retrahere.* «Creaturæ quantum est de se, non retrahunt a Deo, sed in ipsum ducunt... Sed quod avertant a Deo, hoc est ex culpa eorum qui insipienter eis utuntur.» *(S. Th., q. 65, a. 1, ad 3).*

Deducis II: *Nullam creaturam de se esse homini nocivam, vel inutilem.* Ea enim, quæ sunt nunc nociva, «non fuerunt a principio homini nociva, *ait S. Th.*, sed postea per peccatum nociva sibi facta sunt; ex quibus tamen aliqua utilitas sibi provenit, dum per hoc humilior fit, et in talibus etiam vilibus gloriam et sapientiam Dei considerat. Et sic etiam in utilitatem cedunt ea quæ in usum operationis ejus non veniunt, dum de eis aliquam cognitionem habet vel in universali vel in particulari.» *(2 Sent., D. 1, q. 2, a. 3, ad 4).* — Præterea, quæ homini nociva vel inutilia videntur, alteri prodesse possunt creaturæ; «id quod est uni nocivum quantum ad aliquid, vel alteri vel eidem quantum ad aliquid est proficuum.» *(P. 1, Q. 65, a. 1, ad 2).*

658. — Prop. III. *Finis secundarius minus principalis est propria cujuslibet creaturæ perfectio, atque ejus ordinatio in utilitatem sibi superioris.*

Prob. «In partibus universi, *ait S. Th.*, unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. Secundo autem, creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores; sicut creaturæ quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. Singulæ autem creaturæ sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem, totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem; in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repræsentatur

ad gloriam Dei. Quamvis creaturæ rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando. » *(Q. 65, a. 2).*

« Sunt ergo, *addit S. Doctor,* elementa propter corpora mixta; hæc vero propter viventia; in quibus plantæ sunt propter animalia; animalia propter hominem: homo enim est finis totius generationis..... Unde videmus quod corpora mixta sustentantur per elementorum congruas qualitates; plantæ vero ex mixtis corporibus nutriuntur; animalia ex plantis nutrimentum habent; et quædam etiam perfectiora et virtuosiora ex quibusdam imperfectioribus et infirmioribus. Homo vero utitur omnium rerum generibus ad sui utilitatem, etc. » *(Cont. Gent. III, 22).*

659. — Corollarium. Inter creaturarum fines adest gradatio; Deus autem est omnium creaturarum finis ultimus, quia « in exitu creaturarum a primo principio, *ait S. Th.,* attenditur quædam circulatio vel regiratio; eo quod omnia revertuntur sicut in finem in id a quo sicut principio prodierunt. » *(1 Sent. D. 14, q. 2, a. 2).*

Jamvero rectus ordo exigit, ut finis nobilior minus nobili semper anteponatur, et in acquisitione finis inferioris omnia in superiorem referantur, quia finis proximus est propter finem ultimum. Ordo igitur a Deo constitutus exigit, ut creatura primo quærat bonum Dei, ejus scilicet gloriam; et deinde bona creata, sed propter Deum, et non unice propter seipsam aut propter ipsa bona. Creatura, quæ ratione non pollet, hunc ordinem necessario implet; creatura libera, quia libera, ab hoc ordine deflectere potest: potest se ipsam primo quærere, neglecto vel posthabito bono divino. « Natura deficiens, *ait S. Bonaventura,* in se recurvatur: ideo proprium bonum desiderat, et ideo suum commodum. Natura vero perfecta amore caritatis sursum elevatur, et multo magis improportionaliter Dei gloriam desiderat quam utilitatem propriam. » — Et: Anima in cœlo « plus gaudebit de Dei gloria et honore, quam de sua glorificatione; et plus jucundabitur in laudando, quam in considerando proprium bonum. » *(2 Sent. D. 1, P. 2, a. 2, q. 1, ad 2 et 4).*

CAPUT III.

DE COSMOGONIA MOSAICA [1].

660. — Mundi creationem enarrat Moyses, Gen. c. I. « In cujus productione, *ait S. Th.* (P. 1, q. 65, prol.), tria opera Scriptura commemorat: scilicet opus creationis, cum dicitur: *In principio creavit Deus cælum et terram*, etc. Opus distinctionis, cum dicitur: *Divisit lucem a tenebris; et aquas quæ sunt supra firmamentum, ab aquis quæ sunt sub firmamento.* Et opus ornatûs, cum dicitur: *Fiant luminaria in firmamento*, etc.». — Quæ tria opera explicat Angelicus Doctor in *P. 1, q. 65 et seq.*

In mosaica narratione de creatione mundi, unum speciatim difficultatem affert, quomodo scilicet illi sex dies, in quibus condita est creaturarum universitas, intelligi debeant.

Isti dies, quales sint, perfecte scire non possumus. « Qui dies, *inquit S. August.*, cujusmodi sint, aut perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere. » *(De Civit. Dei, l. XI, c. 6).* De natura enim istorum dierum tacet Scriptura, et nihil est ab Ecclesia definitum. Quæ igitur hac de re vel a Sacræ Scripturæ expositoribus, vel a geologis aut aliarum scientiarum naturalium cultoribus referuntur, opiniones sunt et systemata, non autem inconcussæ veritates.

Diversa igitur systemata, quæ inter catholicos de natura sex dierum vigent, paucis referre juvat.

Quatuor existunt diversæ explicationes, videlicet: 1. Interpretatio allegorica; — 2. interpretatio litteralis antiquior; — 3. interpretatio litteralis recentior minus communis; — 4. interpretatio litteralis recentior communior.

661. — I. **Interpretatio allegorica.** — Docent nonnulli, præsertim ex antiquioribus, Deum omnia simul in eodem temporis

[1] Cf. Mazzella, De Deo creante, Disp. I, art. 10, p. 139; Dubillard, *Prælect. theol. dogm.* De Deo creante, P. I, c. 2 (T. 3, p. 19); Lambrecht, De Deo creatore, Sect. II, c. I, p. 120.

momento creasse; dies proinde a Moyse enumeratos non intelligendos esse *litteraliter*, pro diversis spatiis 24 horarum, vel pro majoris temporis periodis; sed *allegorice*, pro cognitione scilicet angelica, quæ, quia lux est, dies apte vocatur. Per hoc autem quod dicitur: *Et factum est vespere et mane*, indicari dicunt angelorum cognitionem vespertinam et matutinam.

« Ponit (S. Augustinus), *inquit S. Th.*, quod per omnes illos septem dies unus dies intelligatur, ipsa scilicet angelorum cognitio, et numerus ille ad rerum cognitarum distinctionem pertineat magis quam ad distinctionem dierum; ut videlicet per sex dies intelligatur cognitio angeli relata ad sex rerum genera divinitus producta, unus vero dies sit ipsa cognitio angeli relata ad quietem artificis, prout in seipso a rebus conditis requievit; et tunc per *vespere* intelligitur cognitio rei in propria natura, per *mane* vero cognitio in Verbo. » *(De Potent., q. 4, a. 2. Cf. 2 Sent. D. 12, q. 1, a. 3).*

Hæc interpretatio est S. Augustini [1]; sed ut notat *S. Alphonsus* [2], S. Augustinus hanc sententiam potius per modum hypothesis, quam per modum affirmationis, tenuit; quod ipse S. Doctor declarare videtur, dicens: « Quisquis ergo non eam, quam pro modulo meo indagare potui, sed aliam requirit, quærat, et divinitus adjutus inveniat. » *(De Gen. ad litt. l. IV, c. 28).* — Hanc sententiam S. Thomas probabilem judicat; eam tamen pauci admodum secuti sunt theologi.

662. — II. **Interpretatio litteralis antiquior** docet: dies creationis fuisse spatia temporis 24 horarum, et nostris diebus similia; a quarta die, solis ortu et occasu fuisse dici noctisque vicissitudines determinatas; quas tamen lucis tenebrarumque vicissitudines etiam præcedentibus diebus, licet alia ex causa, adfuisse. — Hæc interpretatio est communis Patrum sententia; ipsam, paucos si excipias, secuti sunt omnes antiquiores scholastici.

Hæc litteralis expositio allegoricæ videtur anteponenda, tum quia est apud Patres et theologos communior, tum quia

[1] Cf. *De Gen. ad litt.* l. IV, c. 22 ad 34, et *De Civit. Dei* l. XI, c. 7 et 9. — [2] *Via mirabilis div. Prov.* P. I, c. I, n. 9.

regulæ hermeneuticæ ab ipso S. Augustino traditæ magis consonat, scilicet quod *Sacra Scriptura semper est intelligenda in sensu litterali, nisi aliquid absurdi, quod sensum translatum aut spiritualem postulet, inde sequatur.*

663. — Sed et hæc ipsa litteralis expositio jam multis hodie cum scientiarum naturalium progressu componi non posse videtur. Et re quidem vera, geologia, v. gr., ex natura diversorum stratorum terrenorum probare nititur, terram longissimam sæculorum seriem ad sui primitivam formationem expostulasse: paleontologia fossilibus et terrenis carboniferis pervetustam adscribit antiquitatem; astronomia asserit ex astris plura adesse, quorum radii plus quam 10000 annis indigent, ut ad terram usque perveniant. Hæc autem et similia phænomena, antiquioribus ignota, nobis autem per scientias naturales revelata, cum supradicta interpretatione litterali conciliari posse non videntur: inde nata est duplex interpretatio litteralis recentior.

664. — III. **Interpretatio litteralis recentior minus communis.** — Qui hanc admittunt interpretationem, duplicem adstruunt creationem, quam in Genesi indicari perhibent. Secundum ipsos, in vers. 1, *In principio creavit Deus cælum et terram*, enarratur primaria quædam totius universi creatio; in vers. 2, enarratur ruina nostræ terræ in hac primæva creatione productæ: et in vers. 3 et seqq., enarratur nova terræ creatio, vel potius ejus restauratio, quæ facta est spatio sex dierum naturalium 24 horarum, et quam Moyses descripsit.

In primitiva autem illa terra, aiunt, per longissimum temporis spatium exstiterunt plantæ atque animalia, quorum fossilia nunc inveniuntur; tunc etiam temporis formata sunt terrena carbonifera diversaque strata terræ, necnon omnia alia, quæ maximam antiquitatem sibi expostulare videntur.

Hæc opinio, ab Ecclesia tolerata, vix hodiedum propugnatores habet, nulloque solido fundamento innititur.

665. — IV. **Interpretatio litteralis recentior communior.** — Rejecta antiquiore interpretatione litterali tanquam scientiis contraria, recentiores scientiarum naturalium cultores docent: dies genesiacos non esse dies naturales 24 hora-

rum, sed periodos (jours-périodes), quarum quælibet plura complectatur sæcula, (nonnulli cuilibet periodo assignant 43.200 annos), ita ut inter initium primæ diei atque hominis creationem, ingens effluxerit temporis spatium (assignatur spatium 259. 200 annorum). Hac tantum explicatione arbitrantur optime solvi posse omnes difficultates, quæ contra narrationem mosaicam ex illis desumuntur phænomenis, quæ sibi summam antiquitatem vindicant [1].

666. — Conclusio. — Quatuor istæ sententiæ catholicæ sunt, et quælibet ex eis teneri potest. Sed *prima* obsolevit, et nullus hodiedum ei adhæret. *Tertia* est tantum ab Ecclesia tolerata, et paucos solum habuit parvi nominis defensores, nulloque solido nititur fundamento. *Quarta* cum S. Scripturis cohæret, scientiarum experimento nititur, patronos habet multos ex recentioribus theologis ac Sacrarum Litterarum expositoribus: quilibet potest igitur ei absque temeritatis nota adhærere.

An autem hæc recentiorum sententia tanta polleat certitudine, ut antiquior litteralis sit omnino desereuda, nondum constat. Hæc est obvio S. Scripturæ sensui et catholicæ traditioni conformior; illa vero hoc solum sibi vindicat, quod non sit contra Scripturam aut traditionem. Multi præterea non indocti theologi et geologi docent tempus 6000 vel 7000 annorum abunde sufficere ad ea efformanda, quæ longissimam sibi existentiam expostulant; quocirca non est necesse, ut ad eorum efformationem dies periodi exquirantur. Recentiorum denique opinio multa tanquam inconcussa principia assumit, quæ probanda remanent, v. gr.: Deum mundum creasse non in statu perfecto, sed in stato fluido aeriformi vel liquido, cum suis viribus, ex quarum naturali evolutione terra formata sit, atque ad eam perfectionem perducta, in qua a Moyse diebus sequentibus fuisse enarratur; vel: Deum creasse astra quin eorum radii statim usque ad terram pervenirent [2].

[1] Cf. Jaugey, *Dict.*, verbum: Cosmogonie, p. 642, et: *Jours de la Genèse*, p. 1728. — [2] Cf. Mazzel. n. 230 et seq.

Usquedum igitur in gratiam recentioris interpretationis validiora afferantur argumenta, cuique integrum est eam, quæ sibi magis arriserit, amplecti sententiam; et qui interpretationi antiquiori litterali adhærent, nihil eos, ut ab ea recedant, cogit. — In hac præsertim quæstione illius memores semper esse debemus, scilicet quod Deus *mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque in finem.* (Eccl. III, 11).

PARS II.

DE ANGELIS[1].

667. — Consideratis iis, quæ ad creationem in genere pertinent, considerandum est opus a Deo productum; et primo quidem agendum est de creatura pure spirituali, scilicet de Angelis.

Quæ de Angelis sunt dicenda, ad quatuor reducuntur capita.

In Cap. I. sermo erit de Angelis in esse naturæ: in II. de Angelis in esse gratiæ; in III. de hierarchiis et ordinibus angelicis; in IV. de actione Angelorum.

668. — **Monitum.** De Angelis angelicus Doctor, duce S. Dionysio, multa et pulcherrima scripsit. Cum autem propter materiæ abundantiam, vel multa in hac parte omitti deberent, quæ tamen sacerdotibus magnæ sunt utilitati, vel longior quam par est evaderet tractatus, si consueta et uniformis methodus in omnibus servaretur, in hac secunda parte ab ordinario procedendi modo aliquantulum recedere nos posse judicavimus. Expositis igitur et probatis more solito, quæ majoris sunt ponderis, plura compendiose tantum tradentur, omissis etiam non semel probationibus, quas diligens Lector apud Præceptorem et Ducem S. Thomam de facili invenire poterit. Ne miretur ergo benevolus Lector, si in hac materia deficiat methodi uniformitas; sed ex industria hoc in ipsius utilitatem contigisse, rememoretur.

CAPUT I.

DE ANGELIS IN ESSE NATURÆ CONSIDERATIS.

De Angelis in esse naturæ consideratis tria quæri possunt, scilicet: 1. an sint; 2. quid sint; 3. et quia operari se-

[1] Cf. *S. Th.*, P. 1, q. 50 ad 64 et 106 ad 114; In 2 *Sent.* D. 2 ad D. 12. — *De Pot.*, q. 6. — Bubali, *de Angelis.* — Chardon, *Mémoires d'un Séraphin;* et *Mémoires d'un Ange gardien.*

quitur esse, ordo logicus expostulat, ut perspecta Angelorum natura, de eorum principiis operativis agatur.

Loquendum est igitur I. de Angelorum existentia; II. de eorum essentia: III. de eorum facultatibus.

ARTICULUS I.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

669. - - Angelorum existentiam negarunt Sadducæi, sicut constat ex Actibus Apost. (XXIII, 8): *Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* — Quorum errorem renovarunt Anabaptistæ, Sociniani et Rationalistæ. Contra quos sequens sit propositio.

670. — Prop. *Angeli existunt.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis, et ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. I. ubi legimus: « Deus... utramque de nihilo condidit Creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam scilicet et mundanam. »

Prob. I. **Ex Script. S.** In sacris codicibus de Angelis sæpius sermo occurrit. Legimus (Genes. XXIV, 7): *Dominus Deus... ipse mittet Angelum suum coram te.* — (Matth. XVIII, 10): *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.* — (Luc. I, 28): *Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.*: « Angelos esse novimus ex fide... nec inde dubitare fas nobis est. » *(In Ps. CIII, Serm. I).* — *S. Greg. Mag.*: « Esse Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginæ testantur. » *(Hom. in Evang. 34, n. 7).*

III. **Ex Liturgia.** Ecclesia Angelorum Custodum festum celebrat; Gabrielem, Michaelem et Raphaelem speciali modo colit. Sed *lex orandi legem statuit credendi.* Ergo.

IV. **Ex Ratione.** Ad Angelorum existentiam probandam, ratio naturalis non cogentia, sed congruentia tantum argumenta afferre potest. *a)* Conveniens est ut ad perfectionem

universi omnes gradus entium concurrant. Sicut ergo creaturæ pure materiales, et creaturæ materiales simul et spirituales existunt, ita summe conveniens est, ut adsit etiam creatura pure spiritualis, quæ est angelica.

b) Conveniens est ut in universo adsit creatura, quæ Deo in ea forma, per quam Deus res produxit, assimiletur. Porro, Deus creaturas produxit per intellectum et voluntatem. Conveniens ergo est ut in universo adsit creatura, quæ Deo secundum intellectum et voluntatem assimiletur; et hæc est angelica. *(Cf. S. Th., q. 50, a. 1).*

V. **Ex Experientia.** Experientia constat dari energumenos et magos, qui aliqua faciunt et dicunt, quæ nativas hominis vires superant, nec tamen Deo, ob adjunctam malitiam, attribui possunt. Talia sunt, v. gr., eventus distantes revelare; secreta detegere; ignotis loqui linguis; mirabilia operari qualia magi Pharaonis operati sunt. Ex his igitur factis magna cum probabilitate deduci potest aliquas supra hominem existere creaturas: has autem Angelos denominamus[1]. — Hac ratione præcipue ducti, ipsi pagani in cognitionem substantiarum separatarum devenerunt, quas dæmones, genios, intelligentias, Angelos, vocaverunt.

671. — Scholium I. *De Angelorum numero.* Maximam Angelorum multitudinem existere, fide certum est, secundum illud (Dan. VII, 10): *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* — Quisnam autem sit determinate Angelorum numerus, scire non possumus, cum Deus illorum numerum non revelaverit. *(S. Th. q. 50, a. 3).*

672. — Scholium II. *De tempore in quo Angeli creati sunt.* De fide est Angelos non ab æterno, sed ab initio temporis, ut ait Vaticanum, fuisse creatos.

Sed controvertitur utrum simul cum mundo corporeo, an paululum ante mundum creati sint.

Doctores Græci, immixi verbis (Job. XXXVIII, 4, 7): *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?... cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?*, communiter docent Angelos (quos designari autumant per verba: *omnes filii Dei*), *ante* mundum

[1] Cf. *S. Th., De Pot.* q. 6, a. 10; Isamb. q. 50, disp. I, a. 2; Bubali, *De Angelis*, art. I, q. II, diffic. 2, p. 56.

hunc nostrum corporeum fuisse productos. — *Latini vero Patres,* et cum eis fere omnes scholastici, docent Angelos fuisse *simul cum* mundo corporeo creatos; quorum opinio probatur præsertim ex verbis Genes. I, *In principio creavit Deus cœlum et terram,* et (Exodi XX, 11): *Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt.* Atqui Angeli sunt in cœlo.

Hæc secunda opinio est hodie adeo communiter recepta, ut citra temeritatis notam nullus ab ea recedere posset. *(Cf. S. Th. q. 61, a. 2 et 3).*

673. — **Scholium III.** *De loco, in quo Angeli creati sunt.* Certum est Angelos cum bonos tum malos, in cœlo fuisse creatos. Legimus enim (Is. XIV, 12): *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Quæ verba S. Patres de Lucifero, Angelorum capite, interpretantur. — Præterea dicitur (Luc. X, 18): *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* — (Apoc. XII, 7): *Factum est prælium magnum in cœlo.*

Suffragatur ipsa ratio: Decebat, *ut ait S. Th.,* Angelos, creaturarum utpote nobilissimas, in nobilissimo loco, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes, creari. Sed locus omnium nobilissimus est cœlum. Decebat ergo Angelos in cœlis creari. *(Cf. S. Th. q. 61, a. 4).*

ARTICULUS II.

DE ANGELORUM NATURA.

674. — Angelos esse spiritus, ex S. Scripturis manifeste colligimus; spiritus etiam vocantur ab omnibus Patribus.

Sed hæc vox *spiritus* multifarium præ se fert sensum, et significare potest, tum materiam subtilissimam et ætheream, quo sensu ventum dicimus spiritum; tum substantiam ab omni prorsus corporeitate et materialitate immunem. Nonnulli S. Patres Angelos spiritus esse in prima acceptione intellexerunt; et ideo eis corpora, non quidem carnea et crassiora, sed tenuissima et subtilissima, quæ tangi nequeunt, attribuerunt [1]. Alii de natura Angelorum dubii hæserunt [2]. Patrum tamen pars major, et theologi fere omnes docent, Angelos esse puros

[1] V. gr. S. Irenæus, *Hær.,* l. III, c. 20; Origenes, *Orat.,* 31; S. Ambrosius, *De Abraham,* l. II, c. 8. — [2] V. gr. S. Augustinus, *De Civit. Dei,* l. XV, c. 23.

spiritus, omnino incorporeos atque immateriales: a qua sententia post Concil. Later. IV et Vatic. recedere omnino temerarium foret.

675. — Prop. *Angeli sunt omnino incorporei et immateriales*[1]. — Certa.

Prob. I. **Ex Script.** S. Angeli in S. Scriptura spiritus vocantur. (Ps. CIII, 4), *Qui facis Angelos tuos spiritus.* — (Hebr. I, 14): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus.* Atqui vox *spiritus,* absolute dicta in Scripturis, rem prorsus incorpoream et immaterialem significat; quo in sensu dicitur (Joan. IV, 24): *Spiritus est Deus.*

II. **Ex Concil. Later. IV et Vatic.** Deus, *inquit Vatic.*, « de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam. » Quæ Vaticani verba, ex Later. IV renovata, naturam spiritualem angelicam naturæ corporeæ opponunt. Porro natura spiritualis, ut corporeæ opposita, nullum corpus, quantumvis subtile, habere potest. Ergo natura angelica est pure spiritualis.

676. — Corollaria. Ex dictis de natura angelica plura fluunt corollaria notatu digna.

I. *Angeli sunt formæ subsistentes;* id est, sunt formæ simplices, quæ in se, independenter a quacumque materia, subsistunt. In Angelo igitur, secundum S. Thomam, non differt suppositum et natura: sed ipse est sua forma, sua natura, suus actus. *(Cont. Gent. II, c. 50, 51; P. 1, q. 3, a. 3).* — Angelus tamen non est suum existere; et in hoc a Deo, cujus substantia est ejus existere, differt; sed substantia angelica se habet ad existere ut potentia ad actum. Est igitur in Angelo compositio ex actu et potentia. *(Cont. Gent. II, c. 52, 53, 54).*

II. *Angeli secundum naturam suam sunt incorruptibiles et immortales.* — « Intellectuales substantiæ, *ait S. Dionys.*, vitam habent indeficientem, ab universa corruptione, morte, et materia, et generatione mundæ existentes. » *(De div. nom. c. IV).* — « Cujus ratio est, *inquit S. Th.*, quia nihil corrumpitur nisi per hoc quod forma ejus a materia separatur. Unde cum Angelus sit ipsa forma subsistens, impossibile est quod ejus substantia sit corruptibilis. » *(Q. 50, a. 4).*

III. *Non existunt plures Angeli ejusdem speciei.* — Ita explicite S. Thomas. — Cum enim principium individuationis sit materia, se-

[1] Cf. Gotti, *De Angelis,* q. II, dub. 1; Maderni, *De Angelis,* q. I, a. 4.

quitur quod « ea quæ conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma; sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia et forma, sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei; sicut etiam impossibile esset dicere quod essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates; cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis. » *(Q. 50, a. 4; Cf. 2 Sent., D. 3, q. 1, a. 4).*

Nonnulli tamen docent omnes Angelos, vel saltem omnes Angelos ejusdem hierarchiæ aut ejusdem ordinis, esse ejusdem speciei, ut *S. Bonaventura, Albertus Magnus.* — Alii ut *Alex. Alensis, Scotus, Isambertus,* docent non omnes Angelos ejusdem ordinis, esse etiam ejusdem speciei, sed in qualibet specie plures Angelos solo numero differentes existere.

IV. *Angelus est in loco non circumscriptive, sed definitive. — Non circumscriptive:* præsentia localis circumscriptiva propria est corporum, quæ sunt in loco secundum contactum quantitatis dimensivæ; Angeli autem dimensiva quantitate carent. — *Sed definitive,* sicut convenit substantiæ spirituali, quæ est tota in toto loco, et tota in qualibet **parte loci, quin a loco contineatur.**

Id, per quod formaliter Angelus in aliquo loco præsens constituitur, non est ejus substantia, quæ, utpote spiritualis, ab omni loco est absoluta; sed est applicatio ejus virtutis ad aliquid operandum; et ideo Angelus definitur ad locum determinatum unice per suam operationem: **ergo ubi operatur, ibi est.** *(Q. 52)* [1].

677. — Scholium. *De loco adæquato Angelorum.* Cum Angelus sit in loco per applicationem suæ virtutis, quæ limitibus constringitur, *locus adæquatus* Angeli dicitur ille, qui virtuti ejus activæ ita proportionatur, ut Angelus nec sphæram activitatis suæ latius extendere, nec proinde in majori loco simul præsens adesse possit. — *Locus inadæquatus* ille dicitur, qui virtutem Angeli non adæquat, et in quo proinde Angelus ita est præsens, ut in majori loco esse possit. — Locus adæquatus major vel minor est prout Angeli sunt ex superiori vel inferiori ordine. — Nullus Angelus simultanee in pluribus locis adæquatis esse potest, sed successive tantum; potest autem simul esse in diversis locis inadæquatis intra latitudinem ejusdem loci adæquati.

ARTICULUS III.

DE ANGELORUM FACULTATIBUS.

In natura omnino spirituali, cujusmodi est angelica, non alia præter intellectum et voluntatem potest esse facultas

[1] Cf. Gabr. a S. Vinc., P. I, Disp. 42; Gibbon, Tr. II, disp. 12.

Agendum est igitur: 1. De Angelorum intellectu; 2. de ipsorum voluntate.

§ 1. *De Angelorum intellectu.*

678. — Angelos esse intellectu præditos, ex Scriptura et traditione invicte constat, et a nemine negatur.

Docent etiam theologi: 1. Angelicum intellectum esse potentiam ab eorum substantia realiter distinctam: solius enim Dei tanta est simplicitas, ut in eo compositio essentiæ et potentiæ non reperiatur; — 2. angelicum intellectum in agentem et passibilem non dividi, quippe Angeli nec a rebus corporeis species acquirant, nec eas paulatim decursu temporis recipiant; sed eas omnes a Deo simul infusas habeant. — His igitur suppositis, tria cum Doctore Angelico, breviter inquiruntur, nempe: 1. De medio cognitionis angelicæ; 2. de ejus objecto; 3. de ejus modo.

I. DE MEDIO ANGELICÆ COGNITIONIS.

679. — Medium angelicæ cognitionis vocatur id, in quo vel per quod Angelus objectum suæ cognitionis attingit.

I. *Angelus seipsum cognoscit immediate absque medio, per suam substantiam sese habentem ad instar speciei impressæ.* — Substantia Angeli est res spiritualis intellectui angelico perfecte proportionata, atque ei intime unita. Atqui hujusmodi objectum immediate per se, et non mediante specie, cognoscitur. *(Q. 56, a. 1).*

680. — II. *Alia a se Angelus non cognoscit per suam propriam substantiam, neque per substantiam eorum, sed per species intelligibiles.*

a) Non per propriam suam substantiam: Ut substantia Angeli per modum speciei intelligibilis ad omnia cognoscenda sese habeat, oportet ut in se omnia alia eminenter contineat. « Hoc autem proprium est essentiæ divinæ, quæ infinita est, ut in se simpliciter omnia comprehendat perfecte. Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam; Angelus au-

tem per suam essentiam non potest omnia cognoscere. » *S. Th., (q. 55, a. 1).*

b) Non per substantiam aliarum rerum. Cognitio postulat ut cognitum sit potentiæ maxime unitum, ita ut unio objecti cum potentia aliquo modo sit intrinseca. Sed nulla creatura per suam substantiam in intellectum alterius illabi potest. Ergo unus Angelus alium Angelum, aut alias res, per ipsorum substantiam cognoscere nequit.

c) Sed per species. Ad cognitionem requiritur, ut cognitum sit in cognoscente. Si igitur objectum per suum proprium esse cum intellectu angelico uniri nequeat, necesse est ut per speciem intelligibilem, quæ est ipsummet objectum in esse intentionali, eidem uniatur. *(Cf. Isamb., q. 55, a. 2).*

681. — III. *Species, per quas Angeli alia a se cognoscunt, non sunt a rebus acceptæ, sed eis a Deo immediate in sua creatione infusæ.*

a) « Ea quæ in Verbo Dei ab æterno præexstiterunt, *ait S. Th.*, dupliciter ab eo fluxerunt: uno modo in intellectum angelicum; alio modo ut subsisterent in propriis naturis. In intellectum autem angelicum processerunt per hoc quod Deus menti angelicæ impressit rerum similitudines, quas in esse naturali produxit. In Verbo autem Dei ab æterno exstiterunt, non solum rationes rerum corporalium, sed etiam rationes omnium spiritualium creaturarum. Sic igitur unicuique spiritualium creaturarum a Verbo Dei impressæ sunt omnes rationes rerum omnium, tam corporalium quam spiritualium; ita tamen quod unicuique Angelo impressa est ratio suæ speciei, secundum esse naturale et intellectuale simul, ita scilicet quod in natura suæ speciei subsisteret, et per eam se intelligeret: aliarum vero naturarum tam spiritualium quam corporalium rationes sunt ei impressæ secundum esse intellectuale tantum; ut videlicet per hujusmodi species impressas, tam creaturas corporales quam spirituales cognosceret. » *(Q. 56, a. 2).*

b) Has porro species Angeli a Deo in prima sua creatione infusas acceperunt, secundum illud (Ezech. XXVIII, 12 et 15): *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia.... Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* Quæ verba, secundum

S. Patres, et communem interpretum et theologorum sententiam, de supremo Angelo, Lucifero, intelligenda sunt. Quod autem de supremo Angelo quoad scientiam dicitur, de cæteris etiam, cum sint ejusdem intellectualis naturæ, dicendum est. *Ratio hujus est*, quia sicut corpora cœlestia per suam formam adeo sunt perfecta, ut ad alias formas non sint in potentia; ita etiam decuit, ut substantiæ spirituales superiores ab initio per receptionem omnium formarum, ad quos intellectus est in potentia, perficerentur.

c) Angeli, nisi species a Deo infusas accepissent, rem materialem nullam cognoscere possent, utpote qui a rebus materialibus nullam speciem accipere valeant [1].

Et re quidem vera: ex una parte, nulla res materialis speciem, quæ ad cognitionem est necessaria, in Angelum immittere potest, tum quia nulla res materialis in substantiam spiritualem agere potest, tum quia nulla res materialis effectum spiritualem, qualis est species intelligibilis, virtute sua producere valet: nihil enim virtute sua operari potest illud, quod virtutem suam superat.

Ex altera autem parte, nec Angelus virtute sua species a rebus materialibus colligere potest, quemadmodum nos colligimus. Cum enim species intelligibiles non existant formaliter in rebus materialibus, necesse est ut intellectus ex phantasmatibus, conditionibus materialibus et individuantibus remotis, species colligat. Sed Angelus, utpote pure spiritualis, phantasmata nulla habet, ex quibus species colligat. Non potest igitur a rebus propria virtute species colligere.

682. — IV. *Angeli superiores per species universaliores quam inferiores Angeli intelligunt.* — Cum superiores quoad esse magis ad Deum appropinquent, Deo etiam quoad modum operandi, similiores esse debent: operari enim sequitur esse. Jamvero Deus per unicam speciem, quæ est ejus essentia, omnia cognoscit. « Sic igitur quanto Angelus fuerit superior, tanto per pauciores species universalitatem intelligibilium apprehendere poterit: et ideo oportet quod ejus formæ sint uni-

[1] Cf. Maderni, *De Angelis*, q. III, a. 4, p. 508.

versaliores, quasi ad plura se extendentes unaquæque earum.» *(S. Th., q. 55, a. 3).*

II. DE OBJECTO COGNITIONIS ANGELICÆ.

683. — I. *Quilibet Angelus per sua naturalia seipsum perfecte cognoscit:* quilibet enim est suo intellectui in ratione objecti maxime proportionatus. — Et quilibet *seipsum semper cognoscit in actu secundo:* « Angelus, *ait S. Th.*, semper est in actuali consideratione sui ipsius.» *(2 Sent., D. 11, q. 2, a. 4, ad 4).* « Quod ideo contingit quia mens Angeli intelligit se per essentiam suam, qua semper informatur.» *(De Verit. q. 8, a. 14, ad 6).*

684. — II. *Quilibet Angelus omnes alios Angelos cognoscit:* decet enim ut omnia membra cœlestis Jerusalem se mutuo cognoscant. Angeli superiores perfecte comprehendunt inferiores; sed inferiores probabilius non comprehendunt superiores. — Quilibet etiam Angelus cognoscit formas intellectuales in intellectu aliorum existentes; usum verum, quem de illis facit alter Angelus, non cognoscit, nisi hic illum ei manifestum velit.

685. — III. *Angelus per sua naturalia cognoscit evidenter, sed abstractive, non autem intuitive, Dei existentiam atque ejus attributa.* — Si tanta est vis intellectus humani, ut ex effectibus creatis Creatoris existentiam ejusque attributa cognoscere valeat, hoc a fortiori de intelligentiis superioribus affirmandum est. — Hæc vero cognitio est abstractiva, ascendendo ab effectibus creatis ad causam; non intuitiva, seu per essentiam, quia nulla creatura per sua naturalia Deum intuitive cognoscere potest. *(Cf. n. 450).*

686. — IV. *Angelus cognoscit cognitione clara et perfecta, omnia materialia tam universalia quam particularia.* — Deus ab initio menti angelicæ omnium rerum similitudines infudit. Istæ autem species menti angelicæ impressæ, formarum seu idearum in mente divina existentium sunt similitudines. Jamvero ideæ rerum in Deo sunt factivæ rerum quoad formam simul et materiam, quæ est individuationis principium. Sicut

igitur Deus per unam suam essentiam, quæ est omnium forma, omnia cum universalia tum particularia cognoscit, ita Angelus per eamdem speciem clare et perfecte tam universalia quam particularia cognoscit. *(Q. 57, a. 1 et 2).*

687. — V. *Angelus aliqua, non autem omnia, futura cognoscit.*

a) Certitudinaliter Angelus in causis suis ea futura cognoscit, quæ ex causis necessariis proveniunt, et impediri nequeunt, ut est, v. gr., eclipsis futura. Ratio est, quia cognoscit perfecte omnes causas naturales, et mutuam earum inter se connexionem; ac proinde etiam effectus ex illis provenientes.

b) Conjecturaliter illud cognoscit, quod dependet a causa naturali, quæ ab altera causa secunda suo effectu frustrari potest; v. gr., mortem ægrotantis, quæ medicina impediri potest.

c) Nullo modo, neque in se neque in suis causis, futura libera citra revelationem cognoscere potest: hæc enim in se nondum existunt, nec cum sua causa necessariam connexionem habent. Talia cognoscere solius Dei proprium est, teste Isaia, XLI, 23: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* — Dicendum tamen est quod « circa actus humanos ex libero arbitrio dependentes, qui ex naturalibus causis præcognosci non possunt, dæmones per experientiam multa cognoscunt. » *(De Malo, q. 16, a. 7, ad 10. — Cf. P. 1, q. 57, a. 3).*

688. — **NB.** Quonam autem modo Angeli futurorum cognitionem acquirant, quando incipiunt actu existere, explicat S. Th.: « Angeli, *inquit,* non cognoscunt singularia, quando sunt in actu, per species de novo acquisitas, sed per species quas prius habebant; per quas tamen non cognoscebant ea prout erant futura. Cujus ratio est, quia omnis cognitio fit per quamdam assimilationem cognoscentis et cogniti: species autem intelligibiles quæ sunt in intellectu angelico, sunt directe similitudines respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt; non tamen nisi in quantum participant naturam specierum, quod non est antequam sint in actu. Et ideo statim quando sunt in actu, cognoscuntur ab Angelo. » *(De Malo, loc. cit. ad 5).*

689. — VI. *Angeli secretas et occultas animæ cogitationes atque volitiones non cognoscunt.* — Teste S. Scriptura, harum cognitio solius Dei est: Legimus (Jerem., XVII, 9): *Pravum est cor omnium, et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* — (II Paral. VI, 30): *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* — Dictum est *secretas et occultas cogitationes et volitiones*, si enim per aliqua corporalia signa animi affectiones produntur, per hæc in earum cognitionem Angelus devenire potest. *(Q. 57, a. 4. — De Malo, q. 16, a. 8).*

690. — VII. *Mysteria gratiæ Angeli naturali cognitione scire non possunt.* — « Hæc enim mysteria ex pura Dei voluntate dependent. Si enim unus Angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes, multo minus potest cognoscere ea, quæ ex sola Dei voluntate dependent. » Sed visione beatifica, qua vident Verbum et res in Verbo, Angeli boni « cognoscunt mysteria gratiæ; non quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare. » *S. Th. (Q. 57, a. 5).*

III. DE MODO COGNITIONIS ANGELICÆ.

691. — De modo, quo Angeli per species connaturales proprium suum objectum cognoscunt, plura disserit S. Thomas, q. 58, ex quibus aliqua tantum excerpere juvat.

I. *Intellectus angelicus, respectu sui objecti proprii, nunquam est in potentia quoad actum primum; sed respectu aliquorum est in potentia quoad actum secundum.* — Ratio *primi* est, quia in ipsa sua creatione potentia intellectiva Angeli completa est per omnium specierum infusionem. — Ratio *secundi* est, quia Angelus ea omnia, quorum species penes se habet, non semper actualiter considerat. *(Art. 1).*

692. - II. *Unica cogitatione Angelus plura cognoscit.* — Angelus unica cogitatione ea omnia actu cognoscere potest, quæ in eadem specie repræsentantur; non autem ea, quæ diversis speciebus continentur. — *Ratio est,* quia « unumquodque est intelligibile in actu, secundum quod ejus similitudo est in intellectu. » Atqui intellectus pluribus similitudinibus simul affici nequit. Ergo intellectus actu intelligere nequit ea, quæ diversis similitudinibus seu speciebus continentur; bene vero ea quæ in eadem specie repræsentantur, quia hæc se habent per modum unius. *(Art. 2).*

693. — III. *Angelica cognitio est intuitiva, non vero discursiva.* — Discursus dicitur ex eo quod intellectus ex principiis notis ad alia cognoscenda procedit; sed intellectus angelicus tantæ est virtutis, ut in ipsa cognitione principii omnes conclusiones consequentes statim intueatur. *(Art. 3).* — Similiter, in ipsa apprehensione quidditatis alicujus subjecti, Angelus notitiam de omnibus habet, quæ eidem attribui vel ab eo removeri possunt; et idcirco non cognoscit eliciendo judicium, seu componendo vel dividendo. *(Art. 4).*

694. — IV. *Angelus circa objectum suum connaturale errare non potest.* — Ratio est, quia intellectus circa quidditates rerum est semper verus, non secus atque sensus circa proprium objectum. In nobis error et falsitas accidunt, quia intellectus noster discurrendo, componendo et dividendo cognoscit, in quibus actibus error de facili contingere potest: Angelus autem omnia cognoscit intuitive.

Per accidens tamen Angeli mali, qui per perversam voluntatem intellectum a divina sapientia subducunt, decipi possunt, et interdum decipiuntur, quando nimirum ex iis, quæ naturaliter cognoscunt, judicant absolute de iis, quæ naturaliter cognoscere non possunt, ut sunt vel futura libera et cogitationes cordium, vel supernaturalia, quæ divino fiunt interventu, ut est mortui resurrectio. — Angeli vero boni ne per accidens quidem decipiuntur, quia de iis, quæ nesciunt, judicium absolutum non ferunt, nisi salva ordinatione divina. *(Art. 5).*

695. — V. *In Angelis beatis existit cognitio matutina et cognitio vespertina.* — Cognitio *matutina* est ea, qua Angeli res in Verbo divino, in quo omnium rerum rationes perfectissime præexistunt, intuentur et clarissime cognoscunt. Vocatur *matutina*, quia sicut aurora splendoribus fulget, ita hæc scientia claritate eminet.

Cognitio *vespertina* est ea, qua Angeli res per species sibi connaturales extra Verbum cognoscunt; hæc cognitio imperfectior est quam matutina, et dicitur *vespertina* « quia creatura tenebra est comparata excellentiæ divini luminis » *(q. 64, a. 1, ad 3)*; habet tamen adhuc aliquid luminis adjunctum, quia Angeli boni hanc scientiam ad laudem Creatoris referunt.

Scientia matutina et vespertina *specifice* inter se differunt; licet enim circa idem objectum versentur, medium tamen illud attingendi est specifice diversum.

Ad diabolum quod attinet, in eo sola adest cognitio per species innatas, et *nocturna* vocatur; quia sicut Angeli boni omnia in Dei gloriam referunt, ita reprobi sua scientia utuntur, ut Deum indesinenter blasphement et animas a Deo abducant. *(Art. 6 et 7).*

§ 2. *De Angelorum voluntate.*

De Angelorum voluntate hæc pauca tantum sunt notanda:

696. — I. *In Angelis existit voluntas.* — Angelis in S. Scripturis ea adscribuntur actiones, quæ in solo voluntatem habente inveniri possunt, v. gr., locutio. — *Præterea*, in omni cognoscitiva natura, ut probant philosophi, potentiam cognoscitivam sequitur proportionata potentia appetitiva. Cum igitur in Angelis adsit intellectus, in eis etiam adest inclinatio ad bonum intellectu apprehensum, quam voluntatem dicimus. *(Q. 59, a. 1).*

697. — II. *Voluntas Angeli libertate gaudet.* — Ratio: ubicumque est intellectus, ibi est liberum arbitrium, facultas scilicet unum præ aliis eligendi: quæ facultas oritur ex indeterminatione judicii intellectus, qui, quodnam ex multis sit hic et nunc eligendum, judicare potest. — *Præterea*, S. Scriptura Angelos exhibet agentes cum libertate, capaces præmii et pœnæ, capaces Deum videndi atque ei ministrandi: quæ omnia liberum arbitrium in eis adesse comprobant. *(Q. 59, a. 3).*

698. — III. *Voluntas angelica objecto semel electo firme et immobiliter adhæret.* — Voluntas, utpote sequens ductum intellectus, ab objecto semel libere electo sese retrahere non potest, nisi intellectus ultimum suum judicium practicum immutet. Sed intellectus angelicus judicium suum practicum immutare nequit. Enimvero, ad judicium practicum de aliquo objecto mutandum, requiritur ut intellectus in eo aliquam apprehendat rationem, quam prius non apprehenderit; sed intellectus angelicus in nullo objecto novam apprehendere potest rationem, quam antea non cognovit: cognoscit enim objectum unico intuitu, absque discursu, penetrando omnes ejus rationes (*cf. n. 693*), quocirca in nullo objecto aliquid novi cernere unquam potest. Intellectus igitur angelicus judicium suum practicum nunquam immutare potest; quapropter nec angelica voluntas a suo proposito unquam

dimoveri potest; sed quod simul libere elegit, ei fixe et immobiliter adhæret. *(Q. 64, a. 2)*[1].

CAPUT II.

DE ANGELIS IN ESSE GRATIÆ.

Angeli in gratia constituti, alii suum principatum servaverunt, alii propria malitia in peccatum lapsi sunt. Considerandum igitur est: I. de gratia et gloria bonorum Angelorum; II. de lapsu dæmonum.

ARTICULUS I.

DE GRATIA ET GLORIA BONORUM ANGELORUM [2].

699. — I. *Angeli in sua creatione non fuerunt beati beatitudine supernaturali.* — Si Angeli in supernaturali beatitudine creati fuissent, jam nullus ex eis peccare potuisset, quippe beati, felici quadam necessitate, ad Deum amandum rapiantur. — Fuerunt tamen a principio beati beatitudine naturali, quæ in perfecta cognitione et dilectione Dei, ut auctoris naturæ, consistit; perfectam autem hanc Dei cognitionem et dilectionem Angeli a primo instanti suæ creationis habuerunt. *(Q. 62, a. 1).*

700. — II. *Ad supernaturalem suam beatitudinem acquirendam Angelus indiguit gratia.* — Beatitudo supernaturalis, quæ in clara Dei visione consistit, vires cujuslibet naturæ creatæ incomparabiliter excedit. Nulla autem facultas illud, quod ejus vires superat, assequi potest, nisi superiori auxilio adjuvetur. Ut igitur Angelus beatitudinem suam supernaturalem assequi posset, supernaturali auxilio, quod est auxilium gratiæ, indiguit. *(Q. 62, a. 2).*

[1] Cf. Gonet, *Manuale*, c. XIV. — [2] Cf. *S. Th.*, q. 62; Gonet, *Clyp.*, disp. XII; Gotti, q. VII.

Quæ gratia pro Angelis, non secus ac pro homine, duplex esse debuit, *habitualis* scilicet et *actualis*, cum utraque sit necessaria, sicuti ex dicendis in tractatu de Gratia constabit. Sed quia Angelus liber erat a miseria peccati, gratia in eo non fuit sanans, sed tantum elevans.

701. — III. *Angeli, tam boni quam mali, dum essent in via, gratia sanctificante donati sunt.* — Omnes Angeli a Deo creati sunt, ut supernaturalem assequerentur beatitudinem; ad quam consequendam gratia sanctificans est absolute necessaria. Sed Deus, præstituendo finem, semper concedit media ad finem necessaria. Omnibus igitur Angelis, dum essent in via, gratiam sanctificantem elargitus est.

Præterea, legimus in *Catech. Trid., P. I, c. II, n. 17:* Deus Angelos « ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiæ suæ et potestatis munere auxit atque ornavit. Nam quum illud sit in divinis litteris, diabolum *in veritate non stetisse* (Joan. VIII, 44): perspicuum est, eum reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia præditos fuisse. De quo ita est apud S. Augustinum. *Cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, Angelos creavit, simul in eis et condens naturam et largiens gratiam (De Civit. Dei, l. XII, c. 9).* »

Quonam autem momento Angeli gratiam acceperint, disputatur. Alii docent eos in puris naturalibus fuisse prius creatos, et gratiam deinde accepisse; alii vero, quorum opinio anteponenda videtur, docent, eos *simul* et naturam et gratiam accepisse, secundum verba S. Augustini modo citata. *(Q. 62, a. 3).*

702. — IV. *Angelus beatitudinem suam supernaturalem mereri debuit.* — Talis est divinæ providentiæ ordinatio, ut quælibet creatura propria operatione finem suum assequatur. Quæ operatio vel est *factiva* finis, si finis vires naturales non superat; vel *meritoria* finis, si finis vires naturales excedit, et ex dono alterius habetur. Jamvero supernaturalis beatitudo, quæ est Angelorum finis, eorum vires naturales undequaque excedit. Debuit ergo Angelus suam beatitudinem mereri. *(Q. 62, a. 4).*

Præterea, potuisset equidem Angelus absque proprio merito gloriam a Deo accipere, eo modo, quo parvuli in gratia decedentes eam accipiunt; sed Angelos, utpote creaturas nobilissimas, nobilior decet modus acquirendi gloriam. Qui nobilior modus acquirendi gloriam in eo situs est, ut eam per propriam dispositionem accipiant. Angeli igitur per propriam dispositionem, seu per proprium meritum, gloriam accepisse censendi sunt.

703. — V. *Angelus bonus beatitudinem suam statim post primum actum meritorium consecutus est.* — « Cujus ratio est, *ait S. Th.*, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ... Est autem hoc proprium naturæ angelicæ, quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat. Sicut autem ex sua natura Angelus habet ordinem ad perfectionem naturalem: ita ex merito habet ordinem ad gloriam. Et ita statim post meritum in Angelo fuit beatitudo consecuta... Meritum autem beatitudinis, esse potest per unicum actum. Unde relinquitur quod statim post unum actum caritate informatum Angelus beatus fuit. » *(Q. 62, a. 5).*

ARTICULUS II.

DE ANGELORUM LAPSU.

De lapsu Angelorum duo consideranda occurrunt: 1. ipsum peccatum Angelorum; 2. pœna dæmonibus irrogata.

§ 1. *De peccato Angelorum*[1].

704. — I. *Angelus est peccabilis.* — Peccare est in operando a debita rectitudine deficere. Sed Angelus ex natura sua habet, ut in sua operatione a debita rectitudine deflectere possit. Omne enim agens, quod non est sibi suæ operationis regula, vel quod regulam sibi inseparabiliter conjunctam non habet, in operando a regula deviare, et a debita rectitudine

[1] Cf. *S. Th.*, q. 63; *De Malo*, q. 16; Gotti, q. VIII.

deficere potest. Atqui Angelus, utpote creatura, nec est sibi sua agendi regula, sed regulæ divinæ voluntatis subjicitur; nec, dum fuit in via, hanc regulam sibi inseparabiliter conjunctam habuit: per solam enim visionem divinam suæ regulæ indeficienter unitus est. Angelus igitur, dum fuit in via, peccare potuit. *(Q. 63, a. 1).*

705. — II. *Angeli quidam de facto peccaverunt.* — Angelos quosdam peccasse, fide certum est. Legimus enim in Scripturis (II Petr. II, 4 : *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* — Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.* — (Joan. VIII, 44 : *Vos ex Patre diabolo estis... Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.*

706. — III. *Primum peccatum Angelorum fuit superbia, nec aliud esse potuit.* — Superbiam, id est, inordinatum propriæ excellentiæ appetitum, fuisse primum peccatum Angelorum, S. Scripturæ passim testantur. Isaias, c. XIV, describens peccatum dæmonum sub persona Regis Assyriorum, ait: *Detracta est ad inferos superbia tua... Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti.* — Et (Eccli. X, 15): *Initium omnis peccati est superbia.*

Nec in Angelis aliud potuit esse peccatum atque superbia: non potest enim in eis alius esse affectus, nisi ad bona spiritualia. « In spiritualibus autem bonis, *ait S. Th.*, non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc quod in tali affectu superioris regula non servatur. Et hoc est peccatum superbiæ, non subdi superiori in eo in quo debet. Unde peccatum primum Angeli non potest esse aliud quam superbia. » *(Q. 63, a. 3).*

707. — IV. *Angelus, qui primus peccavit, fuit supremus inter omnes.* — Communiter docent S. Patres et theologi, ex omnibus ordinibus aliquos Angelos cecidisse; horum autem omnium ducem fuisse Luciferum, supremum Angelum, in quo, quia major fuit excellentia naturalis, majus fuit motivum peccati superbiæ. *(Q. 63, a. 7).*

Lucifer aliis fuit causa peccandi, secundum illud Apocal., XII, 4: *Cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Fuit aliis causa peccandi, non eos cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens, proponendo scilicet ipsis suum peccatum tanquam rebellionis vexillum, quod isti videntes, statim in ejus peccatum consenserunt, atque Luciferum ut principem elegerunt. *(Q. 63, a. 8).*

Angelorum tamen numerus, qui Deo fideles remanserunt, major est numero eorum, qui ceciderunt: draco enim tertiam tantum stellarum, id est, Angelorum, partem secum traxit in gehennam. *(A. 9).*

708. — **Scholium I.** *De objecto peccati superbiæ Angelorum* [1]. — Angelos pravos ex superbia peccasse, ex Scriptura et Traditione certum est. Sed circa quodnam objectum superbierint, incertum est.

Secundum *Alensem, Catharinum* aliosque, Lucifer cognoscendo per revelationem mysterium Incarnationis, ex superbia unionem hypostaticam sibi appetivit, eo fine, ut per unionem cum Verbo divino ad dexteram Patris sedere posset.

Isambertus (loc. cit. prop. ult.), cum aliis tenet quod «primus Angelus peccavit per superbiam, quia ex consideratione suæ perfectionis et pulchritudinis, appetiit tyrannidem, dominatum et potestatem, quatenus noluit subesse Deo, ut sibi imperanti, et præterea voluit omnia alia inferiora sibi subjacere.»

His autem opinionibus anteponenda videtur sententia *thomistarum*, qui cum Magistro suo (P. 1, q. 63, a. 2) docent: Luciferum ex superbia peccasse, quia similitudinem cum Deo inordinate appetiit, secundum illud (Is. XIV, 14): *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;* et (Ezech. XXVIII, 2): *Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum.* Hæc autem similitudo, in eo consistit, quod sicut Deus seipso et suo naturali bono beatus est, atque sibi ipsi est finis suus ultimus, ita et Angelus, in proprio suo bono naturali intumescens, voluit sibi ipsi esse finis suus ultimus, et bono suo naturali esse beatus, non referens illud in bonum superius, et avertens appetitum suum a supernaturali beatitudine, quæ est ex gratia Dei. «Vel si appetiit, *addit S. Thomas*, ut ultimum finem illam Dei similitudinem quæ datur ex gratia (beatitudinem scilicet supernaturalem), voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem... Et hæc duo quodammodo in

[1] Cf. Isamb., In q. LXIII, a. 3; Gotti, q. VIII, dub. 3; Gabr. a S. Vinc. In I P. *S. Th.*, disp. 48.

idem redeunt; quia secundum utramque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei. » *(Loc. cit.)*.

Occasio autem angelicæ probationis fuit probabiliter mysterium Incarnationis, cujus Angeli, dum essent in via, cognitionem a Deo per revelationem acceperunt. Jubente Deo ut Verbum Incarnatum adorarent, secundum illud (Hebr. I, 6): *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei;* alii jussui Deo obsequentes, Verbum Incarnatum adoraverunt; alii vero, illud adorare præ superbia renuentes, et in proprio bono intumescentes, in seipsis et per seipsos beatitudinem suam habere voluerunt. « Lucifer, *inquit S. Alphonsus*, jussus Dei Filium, qui homo debebat fieri, adorare, noluit præ superbia obedire. Et a Deo deficiens etiam Angelorum partem secum traxit. » *(Instit. catech. P. I, c. I, n. 1)*.

709. — **Scholium II.** *De possibilitate peccati in Angelo.* — Gravissima et vix solubilis difficultas, *ut ait Billuart (diss. V, a. 1)* movetur circa peccatum Angelorum: quomodo scilicet Angelus peccare potuerit. Peccatum enim nequit esse in voluntate, nisi aliquis defectus præcedat in intellectu; sed in intellectu angelico nulla potuit esse ignorantia, nullus error. Ad hanc solvendam difficultatem respondet Doctor Angelicus, Angelum peccasse, non ex errore aut ignorantia, sed ex inconsideratione, scilicet convertendo se ad proprium bonum absque ordine ad regulam divinæ voluntatis. *(Cf. q. 63, a. 1, ad 4)*.

§ 2. *De pœna dæmonum.*

Commisso peccato, pœna, eaque acerbissima, statim subsecuta est. *(Cf. S. Th., q. 64)*. Pœnæ Angelis desertoribus irrogatæ, sunt:

710. — I. *Donorum supernaturalium totalis privatio.* — In pœnam sui peccati Angeli desertores Dei gratiam æternamque beatitudinem amiserunt, atque omnibus donis gratuitis et supernaturalibus spoliati sunt. — Dona vero naturalia, ut: substantia, intellectus, voluntas, species infusæ, etc., omnino intacta et integra in eis remanent, secundum illud *S. Dionysii:* « Naturalia in Angelis integra manent. » *(De div. Nom., c. 15)*.

711. — II. *Exclusio e cælo et in infernum detrusio.* — Angelos post peccatum e cœlo statim expulsos, atque in infernum, ubi igne cruciantur in æternum, detrusos esse, ex

Scriptura et perenni Patrum traditione compertum est. Legimus (Luc. X, 18): *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* — (Jud. 6): *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* — (II Petr., II, 4): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* — Matth. XXV, 41): *Discedite.... in ignem æternum qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* — Cf. etiam Apocal. XII, 7.

Multi vero ex dæmonibus, ut docet S. Th. *(q. 64, a. 4)*, ad nostram exercitationem, versantur in aere usque ad diem judicii; quapropter nos monet B. Petrus, dicens, (I Petr. V, 8): *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Licet autem hi in inferno non existant, infernalibus tamen cruciatibus non carent, siquidem, ut ait Glossa Jacobi: « portant secum ignem gehennæ quocumque vadant. » Post diem judicii, omnes in inferno, æternis cruciandi ardoribus, jugiter detinebuntur. — Quomodo autem diabolus, ens scilicet omnino spirituale, ab igne materiali cruciari possit, in tractatu de novissimis dicetur, ubi de pœnis inferni sermo erit.

712. — III. *Intellectus obtenebratio.* — Ad cognitionem speculativam naturalem quod attinet, dæmonum intellectus per peccatum nullatenus obtenebratus fuit: species enim eis in sua creatione infusæ, utpote dona naturalia, integræ remanserunt; nec per peccatum ablata aut imminuta est eorum vis intellectiva. Ast propter suam malitiam, diabolus in specierum usu et applicatione falli potest, dum scilicet absque subjectione ad divinam ordinationem de practicis judicat: ejus igitur cognitio practica et effectiva valde imminuta est. In multis etiam speculativis dæmones a cognitione impediuntur, vel a Deo, vel a bonis Angelis; sic, v. gr., ignotus eis remansit partus Virginis Mariæ, ut testatur S. Ignatius Martyr.

Quod spectat ad divina mysteria, quorum cognitio per revelationem accipitur, diabolus cognitione affectiva, quæ producit amorem, totaliter privatus est; non vero totaliter cognitione speculativa, quæ in simplici veritatis apprehensione consistit: de divinis enim mysteriis quædam, vel mediantibus bonis Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis ef-

fecta, ei manifestantur. Quare dicitur quod « *dæmones credunt et contremiscunt.* » (Jac. II, 19).

713. — IV. *Voluntatis perfecta et consummata obstinatio.* — Voluntas dæmonum est omnino obstinata, atque immobiliter et fixe ad malum determinata.

Dolet equidem diabolus de malo pœnæ, quod incurrit; de malo autem culpæ non dolet; sed vult se fecisse quod fecit; et si posset, vellet facere quod fecit; atque in malo adeo defixus est, ut ne minimum quidem opus, quin sit vel ex odio Dei, vel ex invidia, vel ex affectione ad malum, exerceat.

Cujus obstinationis duplex assignatur causa, *extrinseca* una; altera *intrinseca.* Causa extrinseca est omnimoda gratiæ privatio: diabolo, utpote in termino jam existenti, nullum prorsus conceditur auxilium gratiæ, sine quo conversio ad Deum est omnino impossibilis. — Causa intrinseca sita est in angelicæ voluntatis natura, quæ de se habet, ut fini semel libere electo fixe et immobiliter adhæreat. (*Cf. n. 698*).

714. — V. *Dolor vehementissimus.* — Dolorem acerbissimum adesse in dæmonibus, fide certum est. Legimus enim (II Petr. II, 3): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* — « Necesse est dicere, *ait S. Th.*, quod in eis (dæmonibus) sit dolor, quia dolor secundum quod significat simplicem actum voluntatis nihil est aliud quam renisus voluntatis ad id quod est, vel non est. Patet autem quod dæmones multa vellent non esse, quæ sunt; et esse quæ non sunt. Vellent enim, cum sint invidi, damnari eos qui salvantur. Unde oportet dicere quod in eis sit dolor, et præcipue quia de ratione pœnæ est quod voluntati repugnet. Privantur etiam beatitudine, quam naturaliter appetunt; et in multis eorum iniqua voluntas cohibetur ». *(Q. 64, a. 3).*

CAPUT III.

DE HIERARCHIIS ET ORDINIBUS ANGELICIS [1].

715. — Efformant beati angelici spiritus cœtum quemdam ordinatissimum, cœlestem Jerusalem, cujus Deus, sicut est auctor, ita etiam est finis, cui omnes in executione divinæ providentiæ famulantur. Ubi autem est multitudo ordinata, ibi ordines diversos necesse est inveniri. Distinguunt igitur sacræ doctrinæ doctores Angelos in tres hierarchias et novem ordines seu choros.

S. Dyonisius, (De cœl. hier.), Angelos in tres hierarchias, et quamlibet hierarchiam in tres choros distinguit. In *prima* hierarchia, Seraphim, Cherubim et Throni; in *secunda*, Dominationes, Virtutes et Potestates; in *tertia*, Principatus, Archangeli et Angeli ponuntur. — Eamdem ordinum distinctionem admittit *S. Gregorius, (Hom. 34 in Evang.)*, immutatis tamen ordinibus Virtutum et Principatuum; ponit enim Virtutes in tertia hierarchia, loco Principatuum; et Principatus in secunda, loco Virtutum. — Dicendum est ergo: I. de hierarchiis; II. de ordinibus.

ARTICULUS I.

DE HIERARCHIIS ANGELICIS.

716. — Hierarchia in genere est *sacer principatus*, seu *ordinata multitudo sub principe ad sacram potestatem exercendam*. Hierarchia igitur angelica est: *ordinata multitudo Angelorum sub Deo principe summo, ad divina mandata circa gubernationem mundi et salutem electorum exequenda.*

Tres adesse in cœlis hierarchias angelicas, omnes admittunt doctores; sed in ratione assignanda variant theologi. Tres rationes attulisse sat erit.

[1] Cf. *S. Th.*, q. 108; et *2. Sent.*, D. 9; Ferrar. *Cont. Gent.*, l. III, c. 80; Gonet, *Clyp.* disp. XVI.

Prima ratio desumitur ex modo, quo Angeli divinam gubernationem, seu divinas illuminationes recipiunt. Qui divinam gubernationem aut illuminationem eodem modo recipiunt, hi ad eamdem pertinent hierarchiam. Jamvero rationes rerum et effectus divinæ providentiæ cognosci possunt, vel *in causa universalissima*, quæ est ipsa voluntas Dei; vel *in causis creatis universalissimis*, quæ aliquo modo jam multiplicantur; vel *in causis creatis particularibus;* sic, v. gr., salus Petri cognosci potest, vel in voluntate Dei, vel in passione Christi, vel in martyrio Petri.

Angeli, qui rationes rerum in ipso Deo cognoscunt, primam constituunt hierarchiam; qui eas cognoscunt in causis creatis universalissimis, secundam; qui vero eas in causis particularibus cognoscunt, tertiam hierarchiam constituunt.

Secunda ratio desumitur ex officiorum diversitate. Sacer principatus circa actiones in bonum commune tendentes versari debet. Angelorum autem actiones versari possunt, vel immediate circa Deum, totius mundi principem; vel circa universum in communi: vel circa partes universi, aut res particulares. Angeli quorum officia immediate circa Deum versantur, primam constituunt hierarchiam; illi, quorum officia versantur circa universale regimen mundi, secundam; illi vero, quorum officia versantur circa partes mundi aut circa res particulares, tertiam hierarchiam constituunt.

Tertia ratio desumitur ex actione hierarchica, quæ in transfusione scientiæ consistit. Angeli, qui immediate a Deo de effectibus divinæ gubernationis illuminantur, et istam cognitionem inferioribus transmittunt eos illuminando, primam constituunt hierarchiam. Angeli, qui a superioribus illuminati, inferiores illuminant, tradendo eis cognitionem a superioribus acceptam, secundam constituunt hierarchiam. Angeli vero, qui circa mundi regimen ab aliis fuerunt illuminati, et alios sub se non illuminant, sed divinas ordinationes executioni mandant, tertiam et ultimam hierarchiam constituunt.

717. — NB. Omnes Angeli primæ hierarchiæ de aliquibus immediate a Deo, de aliquibus vero mediantibus superioribus Angelis ejusdem hierarchiæ illuminantur; idem de Angelis

secundæ hierarchiæ relate ad primam, et tertiæ relate ad secundam hierarchiam, dicendum est.

ARTICULUS II.

DE ORDINIBUS ANGELICIS.

718. — « Ordo Angelorum dicitur multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ assimilantur, sicut et in naturalium donorum munere conveniunt. » *Magist. Sent. (2. Sent., D. 9).*

Ubi enim est cœtus ordinatus, qualis est hierarchia angelica, distingui possunt tres gradus, *primus, medius* et *infimus*, qui et in aliquo munere conveniunt, et in aliquo differunt. Quocirca, ordo vel chorus angelicus est unus gradus hierarchiæ, conveniens cum aliis in communi modo illuminationis, et distinctus secundum diversa officia et actus diversos. *(Q. 108, a. 2).*

719. — **Numerus ordinum angelicorum.** — Novem existere Angelorum choros, ex Scripturis Sacris manifeste deducitur. « Esse namque Angelos et Archangelos, *ait S. Greg.*, pene omnes sacrii eloquii paginæ testantur. Cherubim vero atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios (cap. I) enumerat, dicens: *Supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem.* Qui rursus ad Colossenses scribens (cap. I), ait: *Sive throni, sive potestates, sive principatus, sive dominationes*... Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, principatibus, potestatibus, virtutibus, atque dominationibus conjunguntur throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli, et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. » *(Hom. 34).*

720. — **Nomina ordinum angelicorum.** — Nomina diversa ordinum angelicorum desumi et explicari possunt, vel ex spirituali perfectione cuilibet choro propria; quo modo ea exponit

S. Dionysius: — vel ex ministerio cuilibet proprio; et eo modo ea exponunt *S. Gregorius, (Hom. 34)*, et *S. Bernardus, (De consid. l. V, c. 3)*. Utraque expositio est aptissima *(cf. S. Th., q. 108, art. 5 et 6; 2. Sent., D. 9, a. 3)*.

721. — Prima hierarchia. — Angeli primæ hierarchiæ ii sunt, qui Deo semper assistunt, et ideo ex sua habitudine ad Deum nomen sortiuntur.

1. Seraphim vocantur, qui per ardentissimum amorem Deo semper uniuntur. Nominantur etiam *incendentes, ardentes, calefacientes*. — « Putemus Seraphim Spiritus totos divino igne succensos succendere universa, ut singuli cives singulæ sint lucernæ ardentes et lucentes. » *(S. Bern.)*.

2. Cherubim vocantur ab excessu scientiæ. Sunt illi, qui Deum ut peculiariter eis sua secreta revelantem respiciunt. Nominantur etiam *plenitudo scientiæ, profusio scientiæ*. — « Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes, et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis. » *(S. Bern.)*.

3. Throni vocantur, qui Deum respiciunt ut peculiariter in eis sedentem, et in eis illuminationibus suis ultimum quiescentem. « Vocantur *throni* « quia in eis sedet Deus et quiescit, dum eos in se quiescere facit. » *(S. Th., 2. Sent., D. 9, a. 3)*. — Secundum *S. Gregorium* « throni illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda judicia semper Deus omnipotens præsidet... throni Dei dicti hi, quia tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat. » Ipsorum est inferioribus ordinibus divina judicia de iis, quæ per illuminationem a Deo acceperunt, immediate communicare.

722. — Secunda hierarchia. — Secunda hierarchia rebus creatis præest; ad eam generalis rerum agendarum dispositio pertinet; qua de causa in secunda hierarchia illi ponuntur ordines, quorum nomina communem quamdam gubernationem sive dispositionem designant.

1. Dominationes dicuntur illi, ad quos pertinet aliis, quæ agenda sunt, distribuere, eosque in suis ministeriis dirigere: domini enim est de agendis præcipere et in eis diri-

gere. — « Dominare est subjectos possidere. Ea ergo Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, dominationes vocantur. » *(S. Greg.)*.

2. Virtutes excellunt fortitudine; ad ipsos spectat generalia quædam opera exequi, ut v. gr., movere cœlos, et ea patrare mirabilia, quæ ad mundi gubernationem et ad regimen Ecclesiæ pertinent. — « Virtutes vocantur illi spiritus per quos signa et miracula frequentius fiunt. » *(S. Greg.)*.

3. Potestates dicuntur illi, ad quos pertinet inconcussum divinæ Providentiæ ordinem servare, adversas potestates arcendo, ne illum turbent. — « Potestates vocantur hi qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare valeant, quantum volunt. » *(S. Greg.)*.

723. — Tertia hierarchia. — Ad tertiam hierarchiam spectat ordinem divinæ providentiæ executioni mandare, et causis particularibus applicare.

1. Principatus vocantur, qui sunt primi et quasi duces eorum, qui divinas jussiones explent et causis particularibus applicant: principari enim est inter aliquos priorem existere. — Ad hos etiam pertinet ea implere ministeria, quæ ad bonum publicum pertinent, ut, v. gr., est mutatio provinciarum, dispositio regnorum. « Putemus Principatus, quorum moderamine et sapientia omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. » *(S. Bern.)*.

2. « Putemus Archangelos, qui conscii mysteriorum divinorum, nonnisi ob præcipuas et maximas causas mittuntur. » *(S. Bern.)*.

3. Angeli sunt illi, qui ad communia et minima ministeria, qualia sunt quæ ad personas privatas pertinent, delegantur.

724. — **Quæritur.** *An omnes Angeli in ministerium mittantur* [1].

NB. Angeli in assistentes et ministrantes distinguuntur « ad similitudinem eorum qui alicui regi famulantur; quorum aliqui semper

[1] Cf. *S. Th.*, q. 112; 2. *Sent.*, D. 10; Bannez et Sylv. In q. 112.

ei assistunt, et ejus præcepta audiunt; alii vero sunt ad quos præcepta regalia per assistentes mittuntur, sicut illi qui administrationi civitatum præficiuntur, et hi dicuntur ministrantes.» *(S. Th., q. 112, a. 3).* — Igitur *Angeli assistentes* illi vocantur, qui circa Deum semper occupantur, et divinas illuminationes immediate a Deo accipiunt: hi primam constituunt hierarchiam. — *Ministrantes* illi dicuntur, qui a superioribus illuminantur, et in executione divinæ providentiæ circa regimen mundi et salutem electorum occupantur. Secundam et tertiam constituunt hierarchias.

Missio Angeli est ejus *deputatio ad exequenda aliqua officia circa regimen mundi et salutem animarum.* Ratione istius deputationis Angeli vocantur *ministri Dei*, et dicuntur *missi* in ministerium. Missio potest esse *visibilis* vel *invisibilis.*

Hisce notatis respondetur: 1. Secundum ordinariam divinæ providentiæ legem, *quinque tantum ordines inferiores* mittuntur ad exequendum jussiones divinas circa regimen mundi et salutem hominum. — *Dominationes*, etsi inter ministrantes computantur, non mittuntur, quia nullum ministerium exequuntur, sed aliis agenda distribuunt, eosque in executione dirigunt. — *Ordines vero primæ hierarchiæ* Deo semper assistunt, et circa executionem divinæ providentiæ non occupantur tanquam exequentes. *Ita theologi communiter.*

2. An autem de lege Dei extraordinaria Angeli primæ hierarchiæ etiam aliquando mittantur, controvertitur. — *Affirmant* Magister Sent., Scotus, et alii. — Hanc opinionem Bannez probabilem judicat.

Negant S. Dionysius, S. Thomas, et alii: *ratio,* quia in ordine naturæ aliquid fieri potest præter consuetum ordinem propter ordinem gratiæ, qui ei est superior. Sed ordo Angelorum pertinet ad ordinem gratiæ, qui supra se superiorem ordinem non habet, propter quem aliquando prætermitti debeat; et ideo in ordinibus angelicis nihil fit præter legem ordinariam. — Utraque sententia probabilis est, et pro se sua habet valida argumenta.

CAPUT IV.

DE ACTIONE ANGELORUM.

Angelorum actio considerari potest, vel in ordine ad alios Angelos, vel in ordine ad creaturam corporalem, vel in ordine ad homines. Disserendum est igitur: I. de Angelorum

actione in se invicem; II. de Angelorum actione in creaturam corporalem; III. de Angelorum actione in homines.

ARTICULUS I.

DE ANGELORUM ACTIONE IN SE INVICEM.

Duplicem actionem in se invicem habent Angeli: superiores videlicet illuminant inferiores, et omnes inter se loquuntur. Igitur 1. de Angelorum illuminatione, 2. de eorum locutione agendum est.

§ I. *De illuminatione Angelorum.*

725. — « Illuminare, *ait S. Th.*, nihil est aliud quam manifestationem agnitæ veritatis aliis tradere. Sic igitur unus Angelus dicitur illuminare alium, in quantum manifestat illi veritatem quam ipse cognoscit. » *(Q. 106, a. 1).*

726. — I. *Angelus unus alium illuminat.* — Ita communiter theologi cum S. Dionys., et S. Thoma *(q. 106. De Verit. q. 9)*. Insinuatur hæc veritas a Scriptura, quæ (Ps. XXIII) Angelos quosdam introducit Christi triumphum admirantes et quærentes: *Quis est iste rex gloriæ?*, et alios ipsos instruentes, dicendo: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio... Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

Accedit etiam ratio: Cum Angeli sint et pure intellectuales, et perfectione tam gloriæ quam naturalis intellectualitatis inter se inæquales, Angelus superior plura cognoscit quam inferior. Sed « omnes creaturæ, *ait S. Th.*, ex divina bonitate participant, ut bonum quod habent, in alia diffundant. Nam de ratione boni est, quod se aliis communicet. Et inde est etiam, quod agentia corporalia similitudinem suam aliis tradunt, quantum possibile est... Multo igitur magis sancti angeli, qui sunt in plenissima participatione divinæ bonitatis, quidquid a Deo percipiunt, subjectis impartiuntur. » *(Q. 106, a. 4).*

727. — II. *Angelus superior inferiorem illuminat; ast ab eo nunquam illuminatur.* — Illuminare est alii tradere cognitionem veritatis prius incognitæ vel minus clare notæ. Sed Angeli superiores « qui sunt Deo propinquiores, sunt et

gradu sublimiores, et scientia clariores, et propter hoc superiores nunquam ab inferioribus illuminantur. » *(Q. 106, a. 3, ad 1).*

Præterea, Deus nova dum revelat mysteria, ea de lege ordinaria non communicat immediate Angelis inferiorum ordinum, prætermissis superioribus; sed illuminat vel omnes Angelos primæ hierarchiæ, vel superiores primæ hierarchiæ, per quos ad Angelos inferiores ejusdem hierarchiæ, et ulterius ad Angelos aliarum hierarchiarum, illuminatio transfertur.

Item, Angeli superioris hierarchiæ probabilius non illuminant nisi Angelos secundæ hierarchiæ, cujus omnes de aliquibus illuminantur immediate ab Angelis superioris hierarchiæ, et de aliquibus ab Angelo qui sibi immediate præfertur. *(Q. 113, a. 2, ad 2).* — Idem de Angelis secundæ hierarchiæ relate ad tertiam affirmandum est.

An vero de lege Dei extraordinaria omnes Angeli aliquoties a Deo immediate illuminentur, et Angeli infimæ hierarchiæ immediate ab Angelis primæ hierarchiæ de aliquibus illuminentur, non pauci sunt qui affirmant, quorum opinio probabilitate non caret.

728. — III. *Angelus superior inferiorem de omnibus sibi notis illuminat.* — « Unaquæque cœlestis essentia, *ait S. Dionys.*, intelligentiam sibi a superiori datam inferiori communicat. » *(De cæl. hier., c. 15).* Cujus ratio est, quia Angeli, ad communicandum bonum suum in quantum possunt, ex sua bonitate inclinantur.

729. — Scholium I. *De objecto angelicæ illuminationis.* — Angelus superior inferiorem illuminat: 1. de his, quæ ipse in essentia divina videt, et quæ non videt inferior. « Unusquisque, *ait S. Th.*, in Deo plures rationes cognoscit, quanto eum perfectius videt. Unde superior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit quam inferior; et de his eum illuminat. » *(Q. 106, a. 1, ad 1).* — 2. de his, quæ ei extra visionem beatificam a Deo revelantur, et quæ pertinent « ad statum naturæ, et gratiæ et gloriæ, » *(loc. cit., ad 2) : ad statum naturæ*, ut sunt terræmotus futuri, pestis, fames, etc.; Angeli enim futura contingentia naturaliter non cognoscunt; *ad statum gratiæ et gloriæ*, ut sunt futura conversio peccatoris, effusio superabundans gratiæ, insignis punitio alicujus regni vel particularis

personæ, etc. « Unus Angelus alium illuminat... de divinis mysteriis pertinentibus ad Ecclesiam superiorem vel inferiorem. » *(De Verit., q. 9, a. 1, ad 9)*, ut futura bella contra Ecclesiam, vel futura pax et triumphus Ecclesiæ de inimicis. Uno verbo: In omnibus « divinis effectibus pertinentibus ad statum naturæ vel gratiæ, quæ per Angelorum officia dispensantur, superiores inferiores illuminant et instruunt. » *(2. Sent., D. 9, a. 2, ad 2)*.

730. — **Scholium II.** *De modo illuminationis angelicæ* [1]. — Juxta S. Thomam « unus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, sed confortando lumen naturale ipsius et manifestando ei veritatem. » *(Q. 106, a. 1, ad 2)*. — Neque in illuminatione novæ species infunduntur: « quando unus Angelus ab alio illuminatur, non infunduntur ei novæ species, sed ex eisdem speciebus quas prius habebat, intellectus ejus confortatus per lumen superius, efficitur plurium cognoscitivus. » *(De Verit., q. 9, ad 10)*.

Sed illuminatio fit per modum cujusdam artificiosi magisterii, quatenus scilicet Angelus superior inferiori objectum, antea ei incognitum, modo ei proportionato proponit. « Superior Angelus habet cognitionem de rebus per formas magis universales; unde inferior Angelus non est proportionatus ad accipiendum cognitionem a superiori Angelo, nisi superior Angelus cognitionem suam quodammodo dividat et distinguat, concipiendo in se illud de quo vult illuminare, per modum talem quo fit comprehensibile ab inferiori Angelo; et talem conceptum suum alteri Angelo manifestando, eum illuminat... et est simile de magistro, qui videt discipulum non posse capere ea quæ ipse cognoscit, per illum modum quo ipse cognoscit; et ideo studet distinguere et multiplicare per exempla, ut sic possent a discipulo comprehendi. » *(De Verit., q. 9, a. 5. — Cf. ibid. a. 1)*.

§ 2. *De Angelorum locutione.*

« Loqui ad alterum, *ait S. Th.*, nihil est aliud quam conceptum mentis alteri communicare. » *(Q. 107, a. 1)*.

731. — I. *Angeli inter se colloqui possunt.* — Hæc veritas evidenter in Scripturis insinuatur. Legimus (Is. VI, 3): *Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus*, etc. — (Apoc. VII, 2): *Et vidi alterum Angelum ascendentem... et clamavit voce magna quatuor Angelis, dicens*, etc. — (I Cor. XIII, 1): *Si linguis hominum loquar et Angelorum.* « Sed frustra esset lingua, si non esset locutio » *ait S. Th., (De Verit., q. 9, a. 4)*.

[1] Cf. Gonet, *Clyp.*, disp. XV, a. 2; Gotti, q. X, dub. II, § 2.

Suadetur etiam ratione: Angeli cœtum quemdam creaturarum intelligibilium efformant, perfectamque societatem constituunt. Ad hoc autem requiritur, ut inter se suos conceptus communicare valeant.

732. — II. *Angelus inferior superiori loqui potest.* — Potest inferior Angelus superiori conceptus suos manifestare: in hoc autem consistit locutio. Non potest quidem inferior loqui superiori illuminando ipsum; sed licet omnis illuminatio sit locutio, non omnis tamen locutio est illuminatio.

733. — III. *Localis distantia angelicam locutionem nullatenus impedit.* — « Locutio Angeli, *ait S. Th.*, in intellectuali operatione consistit. Intellectualis autem operatio Angeli omnino abstracta est a loco et tempore... In eo autem quod est omnino abstractum a loco et tempore, nihil operatur neque temporis diversitas, neque loci distantia. Unde in locutione Angeli nullum impedimentum facit distantia localis. » *(Q. 107, a. 4).*

734. — **Scholium.** *De modo locutionis angelicæ.* — De modo quo fit angelica locutio, non concordant auctores. Secundum S. Thomam: Angelus quilibet habet in se speciem infusam omnium aliorum Angelorum. In hac sua specie omnia, quæ ad alium Angelum pertinent, et speciatim formas intelligibiles, quæ in ejus intellectu existunt, clare videt: sed non cognoscit usum, quem alter Angelus de suis formis intelligibilibus facit, nisi hic eum illi manifestare velit, ordinando per actum voluntatis conceptum suum ad illum, cui eum communicare intendit. Qua ordinatione, Angelus ad quem dirigitur, percipit ea, quæ alter actu considerat: in qua perceptione consistit angelica locutio.

« Unus angelus, *ait S. Th.*, cognitionem alterius cognoscit per speciem innatam per quam alium Angelum cognoscit, quia per eamdem cognoscit omne quod cognoscit in alio Angelo. Unde quam cito Angelus se ordinat ad alium Angelum secundum actum alicujus formæ, ille Angelus cognoscit ejus cognitionem. » *(De Verit. q. 9, a. 4, ad 11).* Quapropter « Angelum loqui Angelo nihil aliud est quam conceptum suum ordinare ad hoc ut ei innotescat per propriam voluntatem. » *(Q. 107, a. 2).*

Sed quemadmodum homo alium hominem, cui loqui intendit, prius excitare debet, ut suæ locutioni auditum præstet, ita et Angelus Angelum, cui vult loqui, excitet, necesse est. Assignandum est igitur in Angelis aliquod excitativum, quo unus ad alterius locutionem attentus reddatur, quia unus Angelus non semper actu omnes alios considerat.

« Quantum ad Angelos bonos, *ait S. Th.*, qui semper se invicem vident in Verbo, non esset necessarium ponere aliquid excitativum; quia sicut unus semper videt alium, ita semper videt in eo quidquid est ad se ordinatum. » *(Q. 107, a. 1, ad 3).* Pro Angelis in statu naturæ et pro dæmonibus dicendum est quod: « Angelus semper est in actuali consideratione sui ipsius et per consequens eorum quæ ad ipsum pertinent, quorum omnium ipse est ratio cognoscendi... Quam cito

autem unus Angelus ordinat locutionem suam ad alterum, efficitur locutio ejus de pertinentibus ad illum, et ita ab eo cognoscitur. » [1]. *(2. Sent., D. 11, q. 2, a. 4, ad 4).*

Ipsa igitur directio conceptuum, Deo sic providente, id præstat quoad Angelos, quod vocalis locutio præstat quoad hominem, quocum alter loqui intendit.

Ex dictis intelligitur quomodo videlicet unus Angelus alteri loqui possit, aliis ejus locutionem non percipientibus. Potest enim Angelus suum conceptum ad unum ordinare, quin eum ad alios ordinet: et sic ejus locutionem ille percipit, ad quem fit ordinatio, aliis nescientibus. *(Q. 107, a. 5).*

ARTICULUS II.

DE ANGELORUM ACTIONE IN CREATURAM CORPORALEM.

735. — I. *Angeli boni præsidentiam et administrationem super omnes creaturas corporales habent.* — « Ordo communis divinitus institutus, *ait S. Th.*, hoc habet ut corporalis creatura ab ipso (Deo) moveatur spiritu mediante. » *(Opusc. X, a. 1).* Et « omnia corporalia reguntur per Angelos. Et hoc non solum a Sanctis Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus philosophis qui incorporeas substantias posuerunt. » *(Q. 110, a. 1).*

Ratio est: quia Deus voluit quibusdam aliis communicare, non solum ut ipsa sint bona in se, sed etiam ut sint aliis causa bonitatis, movendo ea in finem.

Accedit Patrum auctoritas: « Unaquæque res visibilis, *inquit S. August.*, in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam. » *(Lib. 83 Quæst., q. 79).* — Et *S. Greg.:* « In hoc mundo visibili, nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. » *(Dial. IV, c. 15).*

736. — II. *Angelus solo voluntatis actu substantialem corporum transformationem efficere non potest.* — Non potest Angelus vi solius voluntatis suæ efficere, ut materia unius corporis suam formam substantialem amittat novamque accipiat; v. gr., ut aqua in vinum, vel baculus in serpentem mutetur. — Sed, ut Angelus corpus transformet, causas corpo-

[1] Cf. Contenson, l. IV, Diss. III, c. II, spec. 2.

rales proportionatas adhibeat, necesse est; seu debet applicare *activa passivis*. Cum autem Angelus et acutissima scientia polleat, et mira virtute donetur, et stellarum aliarumque causarum influentiam perfectissime cognoscat, tali modo causas naturales seligere et applicare, atque contraria obstacula tollere potest, ut mirabili prorsus modo corpora efformentur. *(Q. 110, a. 1 — De Pot., q. 6, a. 3).*

737. — III. *Angeli actu voluntatis suæ naturam corporalem localiter movere possunt.* — « Natura corporalis nata est moveri immediate a creatura spirituali secundum locum. » *(Q. 110, a. 3).* Angeli igitur per simplicem actum voluntatis corporibus virtutem suam immediate applicare, eaque localiter ita movere possunt, ut corpora eis ad nutum obediant, atque ubi ea esse voluerint, illico transferantur.

Angeli, ad corpora movenda, ea contactu virtutis tangant, oportet. Cum autem contactus virtutis convenientiam proportionis moventis ad mobile expostulet, ideo evenit ut quilibet Angelus non quodlibet corpus, sed tantum corpus suæ virtuti proportionatum, movere valeat. *(Opusc. X, a. 16).*

738. — IV. *Angeli miracula proprie dicta efficere nequeunt.* — « Ex hoc aliquid dicitur esse miraculum, *ait S. Th.*, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere nisi Deus: quia quidquid facit Angelus vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturæ creatæ: et sic non est miraculum. » *(Q. 110, a. 4. — Cf. De Pot., q. 6, a. 3 et 4).*

Angelis vero bonis Deus quandoque virtutem vera faciendi miracula elargitur; quod ubi evenit, Angeli miracula, non virtute propria, sed virtute superaddita tanquam Dei ministri et instrumenta, efficiunt. *(De Pot., q. 6, a. 4).* — Diabolo ad verum efficiendum miraculum Deus nunquam utitur. *(De Pot., q. 6, a. 5).*

Possunt tamen dæmones virtute sua naturali res omnino mirabiles et stupendas efficere. Enimvero « omnia quæ visibiliter fiunt in hoc mundo, possunt fieri per dæmones, non sola propria virtute, sed mediantibus activis naturalibus. » *(De Malo, q. 16, a. 9, ad 1).* — Imo « dæmones per activa

naturalia, quæ adhibent ad effectus, possunt quædam facere ultra virtutem naturalium agentium. » *(Loc. cit. ad 2).*]

Quæ virtus dæmonis ad prodigia operanda in S. Scriptura aperte affirmatur. De Antichristo legimus (II Thess., II, 9 et 10): *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* — (Apoc., XIII, 13): *Et fecit signa magna ut etiam ignem faceret de cælo discendere in terram in conspectu hominum.* — (Cf. Matth., XXIV, 24).

Angeli boni sua potentia ad mira operanda non utuntur, nisi secundum ordinationem divinam; et « angeli mali minus possunt ex divina providentia eos reprimente, quam possint secundum naturalem virtutem » *(De Pot., q. 6, a. 5)*; eorum quippe potestas est ligata, nec ea, sive ad exercitationem bonorum sive ad punitionem malorum, uti possunt, nisi quando et in quantum Deus permittat.

ARTICULUS III.

DE ANGELORUM ACTIONE IN HOMINES.

739. — « Quantum ad virtutem propriæ naturæ, *ait S. Th.*, eadem possunt dæmones, quæ et boni Angeli, quia est eorum eadem natura communis. Est autem differentia in usu virtutis secundum bonitatem et malitiam voluntatis: nam boni Angeli ex caritate hominem ad bonum juvare intendunt ad perfectam cognitionem veritatis, quam dæmon impedire intendit, sicut et alia hominis bona. » *(De Malo, q. 16, a. 12).*

De tribus igitur in hoc articulo est disserendum: 1. de actione in genere Angelorum in hominem; 2. de actione bonorum Angelorum, seu de custodia bonorum Angelorum; 3. de actione malorum, seu de impugnatione dæmonum.

§ 1. *De Actione Angelorum in hominem in genere.*

NB. Non agitur hic de Angelorum actione in corpus humanum proprie dictum, quia « Angeli boni et mali ex virtute naturæ suæ habent potestatem transmutandi corpora nostra sicut etiam alia corpora naturalia. » *(2. Sent., D. 8, a. 5)*; sed agitur de eorum actione in facultates hominis.

740. — I. *Angeli in intellectum humanum agere possunt.* — Angelos intellectum humanum illuminare, eique scientiam in-

fundere posse, apud omnes in confesso est; admittunt enim omnes quod « revelationes divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis », *ut ait S. Dionys. (De cæl. hier. c. 4).*

De modo autem, quo Angeli in intellectum humanum agunt, non una est omnium sententia. Secundum S. Thomam, Angelus in intellectum directe agere non potest, speciem aut cogitationem interius causando aut directe imprimendo: quippe quod solius Dei, qui intellectum creavit, proprium est. Sed cum intellectui humano naturale sit, ut mediantibus sensibus et præsertim imaginatione a rebus externis species accipiat, Angelus in intellectum indirecte agere potest, objiciendo videlicet sensibus aliquod objectum, aut interius phantasmata commovendo. *(De Malo, q. 12, a. 12; 2. Sent., D. 8, a. 5).*

741. — II. *Angelus voluntatem humanam non directe sed indirecte immutare potest.* — Non potest Angelus hominis voluntatem immutare, inclinando eam intrinsece, per modum causæ efficientis, ad aliquid volendum. « Ex parte ipsius potentiæ voluntas nullo modo potest moveri nisi a Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quædam volentis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest qui virtutem volendi creaturæ contulit... Solus autem Deus est qui potentiam volendi tribuit creaturæ, quia ipse solus est auctor intellectualis naturæ. » *S. Th. (q. 106, a. 2; cf. q. 111, a. 2).*

Sed Angelus in voluntatem agere potest *indirecte*, et quidem dupliciter, nempe: 1. per modum suadentis, proponendo scilicet objectum, quod voluntatem moveat: voluntas enim movetur a bono, quod intellectu apprehenditur; — 2. concitando passiones appetitus sensitivi, quæ in voluntatem influant, sicut, v. gr., ex concupiscentia voluntas ad aliquid prosequendum inclinatur. His autem modis voluntas ex necessitate non movetur; sed ad consentiendum vel resistendum suasioni et passioni, libera semper remanet.

742. — III. *Angelus potest hominis imaginationem movere.* — « Angelus tam bonus quam malus, *inquit S. Th.*, virtute naturæ suæ potest movere imaginationem hominis... Natura corporalis obedit Angelo ad motum localem. Illa ergo, quæ ex motu locali aliquorum corporum possunt causari, subsunt vir-

tuti naturali Angelorum. Manifestum est autem quod apparitiones imaginariæ causantur interdum in nobis ex locali mutatione corporalium spirituum et humorum... Et tanta potest esse commotio spirituum et humorum, quod hujusmodi apparitiones etiam vigilantibus fiant, sicut patet in phreneticis. Sicut igitur hoc fit per naturalem commotionem humorum, et quandoque etiam per voluntatem hominis, qui voluntarie imaginatur quod prius senserat, ita etiam hoc potest fieri virtute Angeli boni, vel mali, quandoque quidem cum alienatione a corporis sensibus, quandoque autem absque tali alienatione. » *(Q. 111, a. 3).*

743. — IV. *Angelus externos hominis sensus immutare potest.* — « Sensus immutatur dupliciter, *ait S. Th.*, uno modo ab exteriori, sicut cum mutatur a sensibili; alio modo ab interiori... Utroque autem modo Angelus potest immutare sensum hominum sua naturali virtute. Potest enim Angelus apponere exterius sensui sensibile aliquod vel a natura formatum, vel aliquod de novo formando, sicut facit dum corpus assumit. Similiter etiam potest interius commovere spiritus et humores, ex quibus sensus diversimode immutentur. » *(Q. 111, a. 4).* — Igitur « possunt dæmones mirabiliter in nobis operari dupliciter: uno modo per veram corporis transmutationem; alio modo per quamdam illusionem sensuum ex aliqua immutatione imaginationis. » *(De Potent., q. 6, a. 5).*

§ 2. *De bonorum Angelorum custodia*[1].

744. — Prop. *Homines custodiuntur ab Angelis.*

Ad fidem pertinet, ex apertis Scripturæ testimoniis, et unanimi Patrum traditione.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Gen. XLVIII, 16) legimus verba Jacobi: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* — (Tobias, V, 21): *Sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum.* — (Matth., XVIII, 10): *Angeli*

[1] Cf. *S. Th.*, q. 113; 2. *Sent.*, D. 11, q. 1; Victorello Bass, *De Angel. Custodia; Catech. Rom.*, IV, c. 9, n. 4.

eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis.

II. **Ex Traditione.** Ait *Theodoretus:* « Ex his docemur singulis Angelis uniuscujusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant, tueantur, et a pravi dæmonis liberent insidiis. » *(In c. 12 Dan.).* — *S. Ambrosius:* « Non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit. » *(In c. 2 Lucæ).* — *S. Bernardus:* « Beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pedagogos. » *(Sermo 12 super Ps.* **Qui habitat).**

III. **Ex Liturgia.** Ecclesia festum SS. Angelorum Custodum instituit, eosque invocat. Sed lex orandi legem statuit **credendi.**

IV. **Ex Ratione.** 1. « Deus, *ait S. Th.*, providentiam suam quam de omnibus rebus habet, mediantibus quibusdam causis exequitur.... Quia ergo inter Deum et homines media est natura angelica, et secundum legem sapientiæ suæ hoc est ordinatum ut inferioribus per superiora provideat: ideo ipsi Angeli exequuntur divinam providentiam circa salutem hominum, adjuvando ad tendendum in finem, et liberando ab his quæ processum in finem impediunt: et hæc executio divinæ providentiæ per Angelos de hominibus, vocatur custodia **Angelorum.** » *(2. Sent., D. 11, q. 1, a. 1).*

2. « Homo in statu vitæ istius constitutus est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam. In qua quidem via multa pericula homini imminent tum ab interiori, tum ab exteriori... Et ideo sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes: ita et cuilibet homini, quamdiu viator est, custos Angelus deputatur. » *(Q. 113, a. 1).*

Corollaria. Ex illo principio, quod Angelorum custodia est quædam divinæ providentiæ executio, plura corollaria deducit S. Thomas, videlicet:

745. — 1. *Omnes omnino homines ab Angelis custodiuntur.* — Omnes homines divinæ subsunt providentiæ, quæ eos in finem ordinat. Omnibus ergo adstant Angeli, tanquam Dei provi-

dentis ministri, ad ea conferenda, quæ finem promovent, et ea, quæ finem impediunt, removenda.

Consonat traditio. « Magna est dignitas animarum, *ait S. Hieronymus*, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. » *(In Matth. l. III, c. 18, v. 10).* — *S. Joan. Chrysost:* « Unusquisque fidelis habet Angelum. » *(Hom. in Colos. III, n. 4).*

Hac Angelorum custodia gaudent ipsi præsciti et infideles; ea nec Antichristus privabitur. *(Cf. q. 113, a. 4. ad 3).* — Solus Christus, utpote omnibus Angelis superior, Angelum custodem non habuit, sed habuit Angelos tanquam ministros, secundum illud: (Matth. IV, 11) *Angeli accesserunt, et ministrabant ei. (2 Sent., D. 11, a. 3, ad 6).*

746. — II. *Quilibet homo suum proprium Angelum custodem habet.* — Communis Patrum et theologorum sententia docet, cuilibet animæ proprium deputari Angelum. — An autem etiam cuilibet homini a Lucifero deputatus sit malus Angelus ad exercitium, disputatur. Affirmat Magister Sententiarum. *(II, D. XI)*, cum S. Gregorio, Bannez, *(q. 113, a. 2)*, aliisque; negat Sylvius *(q. 113, a. 4)*, cum aliis.

747. — III. *Angelica custodia incipit ab hominis nativitate et usque ad ultimum vitæ halitum perdurat.* — « Beneficia, *ait. S. Th.*, quæ providentur homini a Deo, in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; et tale beneficium est custodia Angelorum. Unde statim a nativitate habet homo Angelum ad sui custodiam deputatum. » *(Q. 113, a. 5).* Et cum ultimus terminus angelicæ custodiæ sit perceptio æternæ hæreditatis, ideo « quanto jam ad terminum viæ pervenerit homo, jam non habebit Angelum custodem: sed habebit in regno Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem. » *(Q. 113, a. 4).*

748. — IV. *Angelus custos hominem nunquam in vita sua totaliter deserit.* — Angelorum custodia est quædam executio divinæ providentiæ. Sicut igitur divina providentia nulli unquam in hac vita totaliter subtrahitur, ita nec Angelorum custodia. *Secundum quid* tamen Angelus hominem interdum deserit, « prout scilicet non impedit quin subdatur ali-

cui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum. » *(Q. 113, a. 6).*

749. — V. *Cuilibet regno et provinciæ specialis præficitur Angelus custos.* — Hæc sententia, *ait Bannez, (q. 113, a. 2),* a S. Patribus est communiter recepta, et nullus ab ea absque temeritatis nota recedere posset.

Colligitur hæc assertio ex Cap. X Danielis, in quo sermo est, tum de Angelo, qui erat princeps regni Persarum, tum de Angelo, qui erat princeps Græcorum, tum de alio, qui princeps Israelitarum erat.

Imo probabile est, *ait Sylvius,* quamlibet urbem et parochiam, quemlibet ordinem religiosum, quamlibet communitatem, suum peculiarem habere Angelum custodem, a quibus defendantur a noxiis, ad bonum promoveantur, singulaque communitatis membra in ordine ad bonum commune dirigantur. — « Ratio suffragatur huic sententiæ, *ait Bannez,* quoniam alius modus gubernationis et directionis requiritur ad totam communitatem, ab illo qui est necessarius privatæ gubernationi hominis singularis. Ergo. » *(In q. 113, a. 2).*

750. — **Scholium.** *De officiis Angeli custodis circa hominem*[1].

« Angeli, *ait S. Th.,* exequuntur divinam providentiam circa salutem hominum, adjuvando ad tendendum in finem, et liberando ab his quæ processum in finem impediunt. » *(2. Sent., D. 11, q. 1, a. 1).*

Angeli igitur, secundum mensuram a divina sapientia statutam, hominibus omnia bona, cum spiritualia tum temporalia, procurant, quibus, ut æternam percipiant hæreditatem, adjuventur; et eos a malis, quæ processum in finem ultimum impediunt, liberant.

Ex hoc principio, quinam sint particulares angelicæ custodiæ effectus, dijudicare licet.

1. Angeli custodes nos adjuvant, ne erremus; intellectum illuminant; salutaria consilia inspirant; ad bonum excitant;

[1] Victor Bass., p. 138; Gerson, Tr. VIII, super *Magnificat,* partitio 3; S. Antoninus, *Summa,* P. III, Tit. 31, c. VI, § 5.

subministrant bene faciendi occasiones; congruas vias ad perficiendum demonstrant, atque in executione adjuvant; hortantur ne divinæ gratiæ resistamus; peccantes corripiunt, etc.

2. Damna exteriora avertunt; et ab eis, si in ea inciderimus, eripiunt: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* (Gen. 48).

3. Arcent dæmones ne hominibus noceant, neve tantum ac tam frequenter noceant, quam vellent, sive in peccatum inducendo, sive temporalia nocumenta inferendo.

4. Orationes nostras Deo deferunt: *Ego obtuli orationem tuam Domino* (Tob. XII, 12), non quasi Deum de orationibus docentes, sed quasi ipsum pro nobis orantes. « Angeli, *ait S. August.*, gemitus nostros atque suspiria referunt ad te (Domine), ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, et referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. » *(Solil. 27).*

5. Fugant pestilentias: juvant in bellis: auxiliantur in morte. Hominibus sibi commissis permulta bona, etiam temporalia, quæ persæpe propriæ industriæ vel fato adscribuntur, procurant.

6. Infantulo suæ custodiæ commisso præsertim adest Angelus custos, « per quem prohibetur virtus dæmonis ab ejus nocumento, et propter multa impedimenta, quibus potest ejus complexio deteriorari, ut efficiatur pronior ad peccandum, vel etiam ipsa vita extingui. » *S. Th. (2. Sent., D. 11, q. 1, a. 3, ad 3).*

751. — **Quæritur I.** *Ad quemnam ordinem pertinent Angeli custodes.*

Resp. 1. Angelus custos personæ privatæ ad infimum pertinet ordinem, cujus est minima nuntiare. « Hoc autem videtur esse minimum in officiis Angelorum procurare ea quæ ad unius hominis salutem pertinent. » *(Q. 113, a. 3).*

2. Angeli custodes personarum publicarum, ut, v. gr., Summi Pontificis, Regis, Imperatoris etc., pertinent ad principatus vel archangelos. *(S. Th., 2. Sent., D. 11, q. 1, a. 2, ad 4).*

3. « Custodia humanæ multitudinis pertinet ad ordinem *Principatuum*, vel forte ad Archangelos, qui dicuntur Principes Angelorum.... Ulterius super omnes naturas corporeas habent custodiam *Virtutes*; et ulterius etiam super dæmones habent custodiam *Potestates.* » *S. Th. (q. 113, a. 3).*

752. — **Quæritur II.** *An Angelus cognoscat sortem futuram ejus, quem custodit.*

Resp. *Negative.* Sors futura cujuslibet hominis pertinet ad altum prædestinationis mysterium, quod Angelis, etiam beatis, obvium non est. Potest tamen Angelus, ex speciali Dei revelatione, ejus, quem custodit, futuram sortem cognoscere.

753. — **Quæritur III.** *Quænam sunt hominis officia erga suum Angelum custodem.*

Resp. Tria officia enumerat S. Bernardus. *(Sermo XII super Ps.* Qui habitat), videlicet: *Reverentiam* pro præsentia; *devotionem* pro benevolentia; *fiduciam* pro custodia.

Reverentia pro præsentia. Igitur « caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. » *(S. Bern.).*

Devotio, id est *honor et amor pro benevolentia:* « Adsunt igitur et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint... Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus. » *(S. Bern.).*

Fiducia pro custodia. « Etsi tam parvuli sumus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhereamus eis, et in protectione Dei cœli commoremur. Non te patientur tentari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollent, ut transeas offendiculum.... Quoties ergo gravissima cernitur tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum et dic: Domine, salva nos, perimus. » *(S. Bern.).*

§ 3. *De impugnatione Dæmonum.*

754. — Bonus Angelus nos in via semper comitatur, ut post labores præsentis vitæ in paradisum exultationis perducamur. Sed et malus Angelus semper etiam circuit, quærens quem devoret; et nihil intentatum relinquit, ut hominem secum in æternum excidium pertrahat. — Triplici præsertim via diabolus actionem suam in homines exercet, scilicet: vel eos tentando, vel eos possidendo, vel eos ad illicitum secum commercium alliciendo. Quædam igitur: 1. de tentatione; 2. de possessione; 3. de magia, sunt dicenda.

I. DE TENTATIONE.

755. — **Prop.** *Dæmonis officium proprium est homines tentare.*

NB. Tentare est sollicitare ad malum. Dicitur autem officium *proprium* dæmonis esse *tentare,* non quia a Deo ad impugnandum homines deputatur; sed quia ipse, permittente Deo, ex malitia et invidia hoc officium in se suscipit et suum facit.

PROB. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Petr. V, 8 et 9): *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* — (Ephes. VI, 11): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* — Et, (Matth. IV, 3). diabolus simpliciter vocatur *tentator.*

Plurima in Scripturis diabolicæ tentationis exempla referuntur, ut, v. gr., *Evæ,* quæ in prævaricatione fuit seducta; *Job,* quem Satanas pluribus conatibus in peccatum trahere studuit; *Davidis,* de quo dicitur (I Paral. XXI, 1): *Consurrexit Satan contra Israel, et concitavit David ut numeraret Israel.* — Præclarum est etiam exemplum ipsius Christi, quem diabolus trina tentatione probare aggressus est. (Matth. IV).

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.:* « Diabolus omnibus modis instat die ac nocte sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. » *(Solil. c. 16).* — *S. Leo M.:* « Quem tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Jesu Christo conatus suæ fraudis abstinuit? » *(Serm. II in quadr. c. 3).*

756. — *Ad tentationes quod attinet, notandum est:*

1. Omnes tentationes, ac proinde omnia peccata, suggestione diabolica, non quidem semper directe, indirecte tamen causari. *Non semper directe:* nam, deficiente etiam suggestione diabolica, homo a propria concupiscentia vel a mundo ad illicita induci potest; *unusquisque,* ait B. Jacobus (I, 14, 15), *tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* Et S. Joannes (I Ep. II, 16): *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* — *Sed indirecte:* ratione scilicet primi peccati Adami, quem diabolus ad peccandum instigavit, et ex cujus peccato consecuta est in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata. Si enim Adamus sub instigatione diaboli justitiam originalem non amisisset, nec in homine prava adesset concupiscentia, nec mundus homini causa foret ruinæ spiritualis. *(Q. 114, a. 3).*

2. Diabolus multis mirisque modis hominem ad malum incitare, cum tamen nunquam ad malum cogere potest. Adest quippe cuilibet homini sufficiens auxilium gratiæ, quo tentationis suggestionem, si

velit, semper repellere possit. (1 Cor. X, 13): *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

3. Diabolus omnes eodem modo non tentat, « sed tentat explorando interiorem conditionem hominis, ut de illo vitio tentet, ad quod homo magis pronus est. » *(Q. 114, a. 2, ad 2).*

4. Diabolus hominem tentare non potest, nisi, *quando* et *in quantum* Deus permittat. « Non tamdiu homines diabolus tentat, quamdiu vult, sed quamdiu Deus permittit; quia etsi permittat paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam. » *(Q. 114, a. 5).*

5. Remedia contra tentationes sunt: 1. *Vigilantia;* unde Christus Dominus ait: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* (Marc. XIII, 37). — 2. *Fuga otii:* unde *S. Hieronymus:* « Diabolus te inveniat semper occupatum. » — 3. *Oratio: Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* (Matth. XXVI, 41). Est quidem oratio remedium principalissimum contra tentationes: unde qui orat, vincit; qui non orat, vincitur. — 4. *Cogitatio* de passione Christi, vel de morte, de pœnis inferni etc. — 5. Fervens actus amoris erga Deum. *(Cf. Marc., Inst. mor. n. 378).*

II. DE POSSESSIONE DIABOLICA.

757. — Possessio dæmoniaca est *dominatus dæmonis in alicujus hominis corpus, cum continuata vel interrupta vexatione tum negativa tum positiva conjunctus.*

Dicitur: *Dominatus,* id est dominium in corpus alicujus ad homini nocendum, nimirum vexando eum sive continue, sive certis temporibus, vexatione tum *negativa,* quæ in hoc consistit, quod facultas sive interna sive externa, a suo actu impediatur; v. gr., privando hominem loquela vel auditu; tum *positiva,* quæ in dolorum et cruciatum irrogatione consistit.

Duplex distinguitur possessio, videlicet: possessio *late sumpta,* quæ vocatur *obsessio;* et possessio *stricte vel proprie dicta.*

In obsessione dæmon hominem non inhabitat, sed ab extra tantum corpus, in quod potestatem obtinuit, movet et excruciat.

In possessione proprie dicta, dæmon corpus inhabitat; vim et potestatem habet hominem cruciandi, atque ejus facultatibus plus minusve utendi; ita ut homo sive in omnibus sive saltem in aliquibus libertatem amittat; sic, v. gr., diabolus quandoque per hominem loquitur, opera materialiter peccaminosa exercet, etc. — Qui tali modo a diabolo possidentur, *energumeni* vocitantur.

Signa possessionis ex Rituali Romano sunt: « ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere, distantia et occulta pate-

facere; vires supra ætatem, seu conditionis naturam ostendere, et id genus alia.»

758. — Possessiones diabolicas negant, quotquot dæmonum existentiam inficiantur; ipsas etiam negant non pauci ex protestantibus, necnon recentiores rationalistæ. Hi possessiones, quæ in Sacra Scriptura referuntur, tanquam ludibria febricitantis imaginationis, vel tanquam morbidas affectiones ex naturali causa provenientes habent. — Alii demum concedunt multos ante Christum natum a dæmonibus fuisse possessos; ast post Christi passionem, quippe qui principem hujus mundi foras ejecit, jam nullos energumenos existere autumant.

759. — **Prop.** *Admittenda est veri nominis possessio* [1].

Ad fidem pertinet.

Prob. I. **Ex Script. S.** Dari possessiones proprie dictas, ex evangelica narratione certe constat. Legimus (Matth. IV, 24): *Obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curavit eos.* — (Marc. I, 32, 34): *Afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes,... et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* — (Cf. etiam Matth. VIII, et XII, — Luc. XI, etc). Ex his, Christum dæmonia vere ejecisse, illasque possessiones non fuisse tantum infirmitates naturales, omnino compertum est.

Veras, etiam post Christum passum, existere possessiones diabolicas, ex Scripturis liquido constat. Legimus enim Christum Apostolis potestatem ejiciendi dæmones contulisse; quæ potestas, veræ ni existerent possessiones, prorsus foret inutilis. (Matth. X, 1): *Convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.* — Et (Marc. XVI, 17): *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.*

II. Ex **Traditione.** S. Patres uno ore testantur, etiam post Christi passionem veros dari energumenos, eosque in nomine Jesu a dæmonio liberari. Ait *S. Irenæus:* «Nonnulli in veritate et absque dubio dæmones expellunt.» *(Adv. hær., l. II, c. 32).* — *S. Justinus:* «Plurimos esse dæmoniis agitatos in toto orbe.» *(Apol. n. 6).*

III. Ex **praxi Ecclesiæ.** In Ecclesia a primis jam sæculis ordinem exstitisse exorcistarum, omnibus compertum est. Nefas est autem dicere ordinem adesse in Ecclesia, cui nullum subjectum, in quod collata potestas exerceri possit, correspondeat. — *Præterea,* in libris liturgicis Ecclesia solemnes approbavit exorcismos; et plura Concilia, ut. v. gr., Carthaginiense IV, Toletanum XI, Constantinopolitanum III, regulas de exorcismis tradiderunt.

[1] Cf. Mazzella, *De Deo creante,* p. 337 et seq.

IV. **Ex Ratione.** Humana corpora a diabolo possideri posse, ratione liquido comprobatur. Ex una enim parte, quæ de Angelorum natura atque potestate supra notata sunt, hæc, et dæmones humana corpora intrare, et ea commovere atque perturbare, et variis cruciatibus vexare posse, clare manifestant; ex altera autem parte manifestum est, tantam esse dæmonum nequitiam atque invidiam, ut, quoties permittantur a Deo, homines lubenter torqueant. Quam licentiam eis quandoque a Deo concedi, minime repugnat.

« Permittit hoc Dominus, *ait S. Bonav.*, sive ad gloriæ suæ ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram eruditionem: sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt judicia Dei: hoc tamen planum est, quod non fiant injuste, et ideo non permittit talia sine causa. » *(2 Sent., D. 8, p. 1, a. 2, q. 7).*

Notandum est tamen post passionem Christi, qui diaboli potestatem confregit, multo rarius, quam ante Salvatoris adventum, dæmonibus licentiam possidendi homines a Deo concedi. — Experientia etiam constat, ut testantur Evangelii præcones, adhuc nostris temporibus apud gentes ethnicas multo frequentius, quam apud gentes christianas, homines a dæmonibus vexari et possideri.

III. DE MAGIA [1].

760. — Magia in genere est *ars efficiendi mira et insolita.*

Duplex existit magia, videlicet: *naturalis* et *diabolica.* — Magia *naturalis* (seu alba) est facultas efficiendi res miras viribus naturalibus: fieri enim potest ut aliquis, sive fortuito sive post diuturnam inquisitionem, occultas vires naturæ detegat, per quas effectus naturales, qui aliis videntur prodigiosi, efficere valeat.

Magia *diabolica* (seu nigra) est ars efficiendi mira cooperatione dæmonis. — Si magia vel ad alicujus rei occultæ indagationem, vel ad alicujus futuri prænotionem ordinatur, vocatur *divinatrix* seu *divinatio;* si ordinatur vel ad effectus quosdam stupendos producendos, vel ad mala aliis inferenda, *operatrix* nuncupatur. Ad magiam operatricem pertinet *maleficium,* quod est vis nocendi aliis operatione dæmonis.

Magia nigra sive explicitum sive implicitum pactum cum dæmone semper supponit.

Ut rectum de magia ferri possit judicium, tria sunt accurate distinguenda, scilicet: 1. *crimen magiæ,* 2. *facta magica,* 3. *ars magica.*

[1] Cf. S. Th, 2. 2, q. 95 et 96; *De Potent.,* q. 6, a. 10; Torreblanca, *De Magia.*

761. — I. **Crimen magiæ** est impius conatus hominis mira efficiendi ope dæmonis, sive effectus sequatur, sive non. Quotiescumque igitur homo seriam voluntatem habet industria diabolica aut sibi emolumentum procurandi, aut aliis nocumentum inferendi, aut futura vel absentia cognoscendi, et ad hos effectus procurandos conatus adhibet, criminis magiæ reus efficitur.

762. — **Prop.** *Existit crimen magiæ.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus in Scripturis leges a Deo contra magos latas esse, Judæisque, ne ad ariolos converterentur, prohibitum fuisse, (Exod. XXII, 18): *Maleficos non patieris vivere.* — (Levit. XIX, 31): *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini* — In Act. Apost. refertur historia Simonis Magi, qui incolas Samariæ magiis suis dementavit (cap. VIII) — et (cap. XIII), Elymæ *magi* a Paulo cæcitate perculsi.

II. **Ex praxi Ecclesiæ.** Ecclesia variis in Conciliis contra sortilegos, divinatores, veneficos, acerbissimas leges tulit. « Episcopi, *ait Concil. Mediolanense, (sub S. Carolo Borromeo),* magos, veneficos, sortilegos, divinatores severe puniant, et a fidelium societate repellant. » — Et in Constit. Sixti V, *Cœli et terræ creator,* ii damnantur, qui « sortilegiis et superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate aut tacita pactione operam dare non verentur... (qui) etiam expressa cum diabolo pactione nefarias magicæ artis incantationes adhibent. »

763. — II. **Factum magicum** vocatur effectus ab homine ope dæmonis productus; v. gr., nocumentum proximo per maleficium illatum; rei occultæ inventio, etc. Quoad effectus magicos duplex vitandus est excessus: nimia scilicet credulitas, quæ in omnibus insolitis interventum dæmonis æstimat, atque omni vetularum garrulitati hac in re fidem adhibet; et nimia incredulitas, quæ omnem interventum diaboli in rebus humanis negat, omnemque eventum magicum absolute rejicit.

764. — **Prop.** *Dantur facta magica.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Effectus a magis producti in Scripturis enarrantur. (Exod. VII, 11): *Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas et arcana quædam similia;* id est, similia miraculis, quæ fecerat Moyses. — In lib. I Reg., XXVIII, legimus mulierem pythonissam Samuelem e mortuis evocasse. — Christus ipse testatur (Matth. XXIV, 24) quod in novissimis diebus *Surgent Pseudochristi, et Pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi;* et de Antichristo dicit S. Paulus (II Thessal. II, 9): *Cujus*

est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus.

II. **Ex Traditione.** *S. Augustinus* in suis libris de *Civitate Dei (cf. præsertim l. XXI, c. 6)* multa de Gentilium magia enarrat, et confitetur homines ope dæmonum signa et prodigia multa fecisse. — « Quidam dixerunt, *ait S. Th.*, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in æstimatione hominum qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritatem Sanctorum, qui dicunt, quod dæmones habent potestatem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur, unde per eos malefici signa aliqua facere possunt.» *(4 Sent., D. 34, q. 1, a. 3).*

III. **Ex Ratione.** Possibilitatem factorum magicorum evincit ipsa ratio. Dæmones, si Deus permittit, viribus suis multa miraque efficere possunt; quod autem, hominibus eos non sollicitantibus, efficere possunt, hoc etiam, permittente Deo, efficere possunt, quando ab homine vel expressa invocatione invitantur, vel signis quibusdam alliciuntur: quidquid igitur dæmon potest, id etiam ex pacto magi possunt ope diaboli.

765. — III. **Ars magica** est facultas, positis quibusdam signis, vel recitatis quibusdam orationibus, effectus insolitos et miros ope dæmonis *certo* et *constanter* operandi; ita ut in potestate hominis sit mira et prodigiosa efficere, quotiescumque voluerit.

Artem magicam existere, nonnulli, præsertim ex antiquioribus, admiserunt; sed multo probabilius est eam non existere. Diabolus enim nihil in mundo efficere potest, nisi Deus velit, aut saltem permittat. Sed nullatenus concedendum esse videtur, Deum, cujus sapientia omnia suaviter et fortiter gubernantur, tantam dæmonibus concessisse facultatem, ut, quotiescumque ab improbis hominibus aut signis invitantur, aut adjuratione invocantur, ipsis semper adsint, atque opera miranda et prodigiosa ad magorum et sagarum libitum efficiant.

Certis tamen temporibus certisve locis, sicuti experientia constat, Deus justis de causis ampliorem dæmonibus concedit licentiam, ut homines malignis infestationibus validius vexare, atque ad magorum invocationem insolita frequentius patrare valeant.

766. — Ad facta magica revocari posse videntur potiora ex iis phænomenis, quæ nostra ætate, magnetismo, spiritismo et hypnotismo adscribuntur [1]. Hæc enim potiora phænomena, si vera sunt quæ narrantur, a nulla causa naturali produci queunt, et idcirco in causam superiorem necessario referri debent. Agens de magnetismo, Congr. S. Officii, die 30 Jul. 1856, ad Episcopos scripsit: « Hinc somnambu-

[1] Cf. Franco, *L'hypnotisme.*

lismi et claræ visionis, uti vocant, præstigiis mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum. »

PARS III.

DE HOMINE.

767. — De homine philosophia disserit et theologia. Omissis proinde iis, quæ in philosophia de hominis natura, facultatibus, ac dotibus naturalibus disputantur, de iis tantum, quæ ad theologiam proprie pertinent, quæstio hic movetur. Agemus igitur: I. de hominis productione in esse naturæ; II. de ejus elevatione in statum supernaturalem; III. de ejus lapsu.

CAPUT I.

DE HOMINIS PRODUCTIONE IN ESSE NATURÆ.

768. — **Errores.** — Circa hominis originem duæ præsertim erraverunt hominum classes.

1. *Transformistæ*, inter quos eminet Darwinus, docent hominem non a Deo creatum, sed ex alia specie, specie scilicet simiaca, per naturalem evolutionem procreatum fuisse. — Transformistæ in duas classes scinduntur: alii docent Deum in mundi primordiis unam aliamve speciem entium viventium creasse, ex quibus decursu temporis novæ animalium species, et denique ipse homo, naturali evolutione, prodierint. Alii vero tenent nullam animalium speciem a Deo fuisse immediate creatam, sed ex sola virtute innata materiæ increatæ spontanee natas esse species quasdam infimas et imperfectas, ex quibus, decurrente longissima sæculorum serie, species aliæ aliis perfectiores juxta leges naturalis evolutionis successive procreatæ sint, donec denique ipse homo ex specie simiaca, vi ejusdem evolutionis, naturaliter enatus sit.

Transformistis accenseri debet *Mivart*, professor Londiniensis, qui opinatur hominem quoad corpus non esse a Deo immediate creatum, sed naturali evolutione a specie simiaca esse productum, cui Deus decursu temporis animam rationalem univerit.

769. — 2. *Præadamitæ*, duce Lapereyro, calvinista, Adamum immediate a Deo creatum agnoscunt; atvero docent jam ante Adamum alios exstitisse homines; exinde *præadamitæ* nominati sunt. Adamum Patrem Judæorum prædicant; alias vero nationes ab aliis hominibus

Adamo antiquioribus descendere opinantur. — His adnumerari debent *coadamitæ,* qui docent Deum in mundi creatione non solum Adamum, sed alios etiam immediate produxisse homines; quocirca et unitatem stipitis humanæ in Adamo negant. Hunc errorem tuentur præsertim nostri temporis physiologistæ, qui diversas stirpes humanas, ob maximas dissimilitudines, quæ in eis observantur, ab unica stirpe primordiali originem ducere non posse autumant, et ideo plures stirpes primordiales statuunt: qua de causa *polygenistæ* vocantur.

Sint igitur sequentes propositiones:

770. — Prop. I. *Primi parentes quoad corpus et animam a Deo immediate conditi sunt.*

Quantum ad productionem animæ, prop. est *de fide.* ex apertis Scripturæ testimoniis; quantum ad productionem corporis, alii eam dicunt *de fide,* alii tantum *certam* vel *fidei proximam.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Scriptura Sacra, quoties de prima hominis origine loquitur, eam quoad corpus et animam Deo tanquam ejus auctori immediato semper attribuit, et ita quidem, ut concursum cujuslibet animalis, a quo transformistæ hominem procreatum dictitant, diserte excludat.

Legimus (Genes. I, 26, 27): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... et creavit Deus hominem ad imaginem suam... masculum et feminam creavit eos.* — Et cap. II: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem... Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem... Dixitque Adam: Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea.*

Hanc hominis genesim innumera confirmant Scripturæ loca. (Tob. VIII, 8): *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Evam.* — (Matth. XIX, 4): *Non legistis* (ait Christus), *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos?* — (Cf. Eccles. XVII, 1-5; — I Tim. II, 13; — I Cor. XV, 47).

II. **Ex Traditione.** Omnes Doctores, non solum Ecclesiæ christianæ, sed et synagogæ tam ante quam post Christum natum, omnes Ecclesiæ Patres, theologi omnes, et populus christianus universus, narrationem mosaicam in sensu suo obvio et litterali semper intellexerunt, et sibi persuasum semper habuerunt primos humani generis parentes, non a bellua fuisse procreatos, sed immediate a Deo quoad animam et corpus productos fuisse. Porro, unanimis omnium Doctorum et fidelium consensus est irrefragabile veritatis testimonium.

III. **Ex Ratione** [1]. 1. Transformismus universali omnium sæculorum experientiæ contradicit. Docet quippe constans experientia ex eadem specie semper nasci animalia ejusdem speciei, ex avibus, aves, ex piscibus, pisces; neque ullum unquam exemplum evolutionis unius speciei in aliam perfectiorem, nequi lem pro speciebus infimis, assignari potuit, sicuti non pauci ex transformistis et materialistis ultro fatentur. Non solum igitur absque fundamento, sed contra rationem, transformistæ primi hominis originem e specie belluina deducunt.

2. Tanta corpus humanum inter atque corpus animalis etiam perfectissimi intercedit differentia, ut ipsi transformistæ, hominem a nulla specie nunc adhuc existente, sed a specie quadam intermedia simiam inter et hominem, et hodie omnino extincta, ortum traxisse fateri cogantur [2]. Quænam autem fuerit species illa intermedia, definire prorsus nequeunt; imo neque ullum unquam ipsius vestigium in natura rerum invenire potuerunt. Eam igitur omnino gratis et absque ullo fundamento affirmant.

3. Ad animam humanam quod attinet, per se constat eam non aliunde, quam a Deo, produci potuisse: quippe forma materialis, qualis est anima belluina, animam spiritualem procreare nequit. Quocirca, qui ex transformistis animæ spiritualitatem admittunt, ejus ortum in Deum auctorem referunt; qui

[1] Cf. Mazzella, *De Deo creante*, n. 520 et seq.; Moigno, *Splendeurs de la foi*, t. II, p. 335; Jaugey, *Dict. apol.*, verba: *Homme*, p. 1403, et *Transformisme*, p. 3094. — [2] Cf. Jaugey, *Dict.*, p. 1386, et 1398.

vero ex eis animam primi hominis ex specie belluina procreatam dicunt, ejus spiritualitatem negant, atque seipsos bestias esse fatentur, de quibus testatur Regius Vates (Ps. XLVIII, 13): *Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

771. — Monitum. Transformistarum doctrina nostris temporibus maxima celebritate gaudet, et a multis scientiarum naturalium cultoribus admittitur, non quia vera et solidis fundamentis stabilita, sed quia ipsis medium suppeditat totius hujusce mundi adspectabilis productionem sine Dei interventu explicandi [1], atque atheismum, quem profitentur, corroborandi. Hæc est ultima hujusce doctrinæ ratio. « Il faut, *ait blasphematorie impius transformista Vogt*, mettre sans plus de façon le createur à la porte et ne plus laisser la moindre place à l'action d'un tel être » [2].

Omnis igitur opinio, quæ a Veterum sententia de productione omnium specierum per immediatam Dei actionem recedere, et transformistarum placitis etiam remotissime favere videtur, tanquam suspecta est tenenda, et ut talis rejicienda. Ex S. enim Scripturis constat, species omnium rerum (non loquor de diversis varietatibus ejusdem speciei) a Deo immediate fuisse creatas, non autem unam ex alterius evolutione decursu temporis productam fuisse. Legimus (Gen. I): *Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam... Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. — ... Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo.*

Lugendus est igitur eorum catholicorum, etiam valde piorum, imo et sacerdotum, modus agendi, qui depositum fidei non satis vigilanter custodientes, nec devitantes profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, ut ait Apostolus *(I Tim., VI, 20)*, Scripturæ et Traditioni hac in parte non satis adhærent, et transformistarum placitis etiam sub specie boni favent. Timendum est enim ne, dum in aliquibus cum transformistis concordant, ipsis validiora arma ad auctoritatem S. Scripturæ vehementius impugnandam, fidemque in Dei Creatoris existentiam e fidelium cordibus evellendam, suppeditent.

772. — Prop. II. *Universum genus humanum ab Adamo et Eva, omnium protoparentibus, propagatum est* [3].

[1] Cf. Jaugey, *loc. cit.*, p. 3088. — [2] Apud Jaugey, p. 1402. — [3] Cf. Mazzella, n. 526 et seq.; Moigno, *Splendeurs*, t. II, p. 511.

Ad fidem pertinet, ex dogmate de peccato originali.

Prob. I. **Ex Script. S.** In S. Scriptura apertis verbis declaratur nullos ante Adamum homines exstitisse; et cum Adamo, vel post Adamum, nullum alium a Deo fuisse creatum; sed omnes, quotquot sunt, ab Adamo et Eva propagari.

De tempore ante Adami creationem legimus (Gen. II, 5): *Et homo non erat qui operaretur terram.*

De tempore, quo Adamus jam erat creatus, legimus (Gen. II, 18, 20): *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi... Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* — (Gen. III, 20): *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium.* Si autem præter Adamum et Evam alii homines a Deo creati fuissent, Eva mater cunctorum viventium dici non potuisset.

(Sap. X, 1): *Hæc* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.* — (Act. XVII, 26): *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.*

II. **Ex Traditione.** « In ipso exordio, *ait S. August.*, Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum. » *(Tract. IX in Joan.).* — Et *Lactantius:* « Si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus, et ideo maximum sceleris putandum est, odisse hominem vel nocentem. » *(Instit., l. VI, c. 10).*

III. **Ex Ratione,** *ex dogmate scilicet de peccato originali.* Si aliqui homines ab alio protoparente, quam ab Adamo, ortum haberent, hi neque in Adamo peccassent, neque cum labe originali nascerentur. Atqui de fide est, omnes homines, una excepta Virgine Maria, in Adamo peccasse, et dum concipiuntur, labem peccati originalis contrahere (*n. 808*). Ergo omnes ex Adamo originem ducunt.

IV. **Ex debilitate argumentorum polygenistarum** [1]. Polygenistæ in confirmationem suæ doctrinæ tria præcipua afferunt argumenta.

1. Tanta, aiunt, inter diversas stirpes humanas, v. gr., inter caucasicam stirpem atque ethiopicam, adsunt discrimina, præsertim

[1] Cf. Moigno, *Splendeurs*, t. II, p. 511, 541, 569, 582.

ratione coloris, formæ, structuræ cranii, et capillorum naturæ, etc., ut hæ ad unam eamdemque stirpem referri nequeant.

2. Dein, explicari nullatenus potest quomodo regiones Americæ vel insulæ Oceani inhabitarentur, nisi homines ibidem creatos fuisse admittatur.

3. Denique, tanta inter diversas linguas adest disparilitas, ut hæ ad eandem communem originem reduci non possint. Ex quo manifeste sequitur, nec homines, qui diversis iis linguis utuntur, ad eamdem communem originem referri posse.

Porro, hæc tria argumenta infirma prorsus sunt. Enimvero:

1. Discrimina, quæ inter varias stirpes existunt, ex climate, victu, vitæ ratione, optime explicari possunt, sicuti testantur omnes melioris nominis naturalistæ.

Præterea, licet quædam adsint discrimina, omnes tamen cujusque stirpis essentiales characteres, cum physici tum anatomici, ejus sunt naturæ, ut, testibus melioris notæ physiologistis, omnes stirpes eamdem communem originem sibi vindicent.

Denique, in brutis animalibus, v. gr., in specie canina, inter varias stirpes majora, quam inter homines, existunt discrimina, et naturalistæ tamen fatentur omnes eas stirpes ad eamdem speciem pertinere. Cur autem hoc in sola specie humana impossibile foret?

2. Nec majus pondus obtinet argumentum ex regionum dissidentium inhabitatione ductum: polygenistæ quippe nunquam probare potuerunt homines ex aliis regionibus in eas dissitas regiones transmeare non potuisse. Perantiqua siquidem est ars navigandi; et nihil obstat quominus homines, etiam præter intentionem vi ventorum abrepti, in eas regiones appulerint, ibique manserint. Quod pro America eo facilius fieri potuit, quo hæc regio in parte sua septentrionali cum Asia magis sit contigua.

Præterea, etsi transmissionis modus nos penitus lateret, transmissionis tamen factum negari non posset, cum multi ritus, mores, traditionesque istis gentibus cum aliis Europæ gentibus communes, communem etiam omnium arguant originem.

3. Nihil demum ea probant, quæ ex linguarum varietate allegantur. Consentientibus philologis atque ethnographis modernis, tanta inter diversas linguas adest affinitas, ut hæ omnes ad eamdem linguam primordialem merito referantur.

Præterea, deficiente etiam omni affinitate, polygenistæ ex linguarum diversitate nullum validum argumentum desumere possent. Constat enim ex Genesi, XI, diversas hominum linguas inter nepotes Noe subito per miraculum ortum habuisse. Legimus: *Et dixit* (Deus): *Ecce unus est populus, et unum labium omnibus... Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in uni-*

versas terras, et cessaverunt ædificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ; et dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

CAPUT II.

DE HOMINIS ELEVATIONE IN STATUM SUPERNATURALEM.

773. — Quem Deus condidit hominem, non solis naturalibus cumulavit donis, sed altioribus etiam auxit beneficiis, quibus in via felicissimam vitam potuisset transigere, et in termino, quin mortem subiret, longe beatiorem inchoare. De quo optatissimo primi hominis statu in hocce capite disserendum est.

Quo facilius autem et rectius intelligantur quæ dicenda occurrunt, quædam præmittenda sunt de ordine naturali et supernaturali in genere, necnon de diversis vitæ statibus. Agemus igitur: I. de duplici ordine, naturali scilicet et supernaturali; II. de diversis naturæ statibus; III. de statu, in quo Adam conditus fuit.

ARTICULUS I.

DE DUPLICI ORDINE, NATURALI SCILICET ET SUPERNATURALI.

774. — Definitio. — Ordo in genere definitur: *Ordinatio seu dispositio entis ad finem per apta media.* — Ordo tria complectitur, nimirum: *naturam*, quæ ad finem dirigitur; *finem*, ad quem natura dirigitur; et *media*, per quæ natura finem attingere possit.

775. — Divisio. — Duplex distingutur status: *naturalis* videlicet et *supernaturalis*. 1. Si finis constitutiva naturæ principia non excedit, et a natura propriis suis viribus attingi potest, ordo est naturalis. Naturale igitur dicitur illud omne, quod: *a)* vel rei essentiam constituit; ut, v. gr., anima et corpus

in homine; *b)* vel ex ipsa natura, effluentia quadam naturali, dimanat; ut, v. gr., intellectus et voluntas; *c)* vel quod natura propriis suis viribus attingere aut efficere potest; ut, v. gr., acquisitio sive scientiæ sive virtutis; *d)* vel quod ei, ut finem suum connaturalem consequi valeat, debetur; ut est, v. gr., concursus Dei ad agendum.

2. Si vero finis constitutiva naturæ principia ita excedit, ut ad illum attingendum superiori auxilio facultatibus suis naturalibus superaddito indigeat, ordo adest supernaturalis.

776. — *Ordo supernaturalis* in supernaturalem *relative*, et in supernaturalem *absolute* subdividitur. *Ordo supernaturalis relative* ille est, in quo finis est quidem supra naturam creatam, quæ consideratur ad hunc finem relata; sed non supra omnem naturam creatam vel creabilem; v. gr., beatitudo naturalis angelica respectu hominis est supernaturalis, non vero respectu Angeli.

Ordo supernaturalis absolute ille est, in quo Deus ipse, in se videndus et possidendus, est finis. Hujusmodi autem finis naturales vires totius naturæ creatæ vel creabilis supergreditur, et soli Deo naturaliter proportionatur. *(Cf. n. 450).*

Cum vero inter finem, atque naturam in finem ordinatam, et media, quibus finis attingitur, quædam proportio adesse debeat, ideo ut creatura in ordinem supernaturalem constituatur, necesse est: *a)* ut ejus natura per donum quoddam ipsam deificans, per gratiam scilicet sanctificantem, quæ est divinæ naturæ consortium, elevetur; *b)* ut media operationis et concursum divinum, hujusmodi elevationi proportionata, accipiat. Quæ media sunt virtutes theologicæ et morales infusæ, dona Spiritus Sancti, gratia actualis, etc.

777. — Supernaturale absolute aliud est *essentialiter* tale, aliud *participative*. *Supernaturale essentialiter* est solus Deus, quatenus est auctor gratiæ et gloriæ. — *Supernaturale participative* est ens creatum, quod vel ad Deum in se videndum ex natura sua refertur, vel ad illud per se proxime aut saltem remote disponit: cujusmodi sunt gratia, lumen gloriæ, virtutes theologicæ, etc.

Supernaturale igitur *stricte* sumptum dicitur *illud omne et solum, quod naturæ creatæ nullo modo debetur, et ad Deum in se attingendum ex natura sua ordinatur.*

778. — Inter bonum naturale et supernaturale medium locum tenet bonum *præternaturale.* — Bonum *præternaturale* illud dicitur, quod naturæ humanæ nullatenus debetur; ac proinde, si datur, omnino gratuito datur; quod tamen ex se naturam humanam ad Deum intuitive videndum non ordinat; sed naturam intra solos limites suos proprios perficit. Hujusmodi, v. gr., fuerunt immortalitas et exemptio a concupiscentia in Adamo innocente.

ARTICULUS II.

DE DIVERSIS STATIBUS [1].

779. — Status, de quo hac in quæstione agitur, definitur: *Stabilis totius naturæ humanæ conditio in ordine ad suum finem ultimum, juxta ordinem divinæ providentiæ.*

Duplex datur status, *viæ* scilicet et *termini.* De statu termini in tractatu de novissimis sermo erit.

Status viæ quinque enumerantur videlicet: status naturæ puræ, status naturæ integræ, status justitiæ originalis, status naturæ lapsæ, et status naturæ reparatæ.

780. — **I. Status naturæ puræ.** — Status naturæ puræ ille dicitur, in quo homo nasceretur absque ullo dono supernaturali vel præternaturali, et absque peccato, cum omnibus perfectionibus et imperfectionibus, quæ ipsam naturam consequuntur: obnoxius proinde ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis, aliisque hujus vitæ miseriis, ac ipsi tandem morti.

In hoc statu tria adfuissent, nimirum: *a)* pura naturalitas finis et virium; *b)* naturalis oppositio partem rationalem inter et animalem; *c)* naturale luctamen ex causis naturam corrumpentibus exsurgens.

[1] Cf. Gotti, *De Homine,* q. III et XI; Billuart, *De Gratia,* Diss. II præambula; Medina, In I. II, q. CIX, Introd.

A. — *Naturalitas finis et virium.* — In illo statu homo tanquam finem habuisset beatitudinem naturalem, quæ in hoc consistit quod Deo, auctori naturæ, perfecte conjungatur, eum videlicet abstractive per effectus creatos cognoscendo, atque ei suaviter et constanter per amorem naturalem adhærendo. Ad Deum autem, finem supernaturalem, facie ad faciem videndum ordinatus non fuisset, nec proinde ad eum supernaturaliter possidendum anhelasset.

Ad quam naturalem beatitudinem attingendam, homo facultates suas naturales, virtutes naturales, Dei concursum, et providentiam sibi naturaliter debitam habuisset. Habuisset etiam ad legem implendam, et ad rebellantem concupiscentiam refrænandam, auxilium Dei necessarium. Sed gratiam supernaturalem, aut virtutem infusam nullam accepisset.

B. — *Naturalis oppositio partem rationalem inter et animalem.* — Cum superior pars hominis inferiorem imperio non despotico, sed politico regat, pars inferior, seu appetitus sensitivus, potuisset, non secus atque nunc, concupiscere adversus spiritum, et sese, neglecto vel spreto recto rationis judicio, in objectum suum proprium ferre.

C. — *Naturale luctamen ex causis naturam corrumpentibus.* — Corpus humanum ex contrariis est compositum. (*2. 2. q. 164, a. 1, ad 1*). In omni autem composito ex contrariis naturalis adest pugna inter componentia, ex qua necessario sequitur corruptibilitas. Homo proinde fami, morbis, cruciatibus necnon necessitati moriendi, obnoxius fuisset.

NB. Nulla intellectualis creatura fuit in statu naturæ puræ creata; potuisset tamen homo in hoc statu creari, ut infra dicetur, *n. 801.*

781. — II. **Status naturæ integræ.** — Status naturæ integræ importat: *a)* perfectam rationis et voluntatis ad Deum conversionem naturalem; *b)* perfectam subjectionem appetitus sensitivi ad rationem; *c)* perfectam subjectionem corporis ad animam, et consequenter præservationem a causis naturam corrumpentibus. In hoc statu homo fuisset igitur a concupiscentia liber, fuisset impassibilis et immortalis.

Status naturæ integræ *nec est naturalis;* hæc enim integritas neque fluit ex principiis naturæ humanæ constitutivis, neque ab ea naturaliter exigitur; — *nec est supernaturalis;* hæc enim integritas per se hominem, non in ordine ad bonum supernaturale, sed in ordine tantum ad bonum naturæ consentaneum, perficit; — sed est *præternaturalis;* quia, etsi hic status absque gratia subsistere possit, non potest tamen esse absque speciali Dei dono ac privilegio naturæ superaddito. « Intelligimus ergo, *ait Medina,* per hominem constitutum in statu naturæ integræ, hominem constitutum in statu rationi consentaneo, cum dono sanante naturam, ad officia virtutum, et ad finem naturæ nostræ consentaneum. » *(In 2. 2, q. 109).*

In Adamo hæc integritas ab ejus gratia sanctificante fluxit, non tamen vi ipsius gratiæ, sed speciali Dei ordinatione; potuisset igitur hæc integritas in Adamo etiam absque gratia adesse: quocirca integritas a gratia sedulo distingui debet.

782. — III. **Status justitiæ originalis.** — Status justitiæ originalis, qui dicitur etiam *status innocentiæ,* est idem ac status integritatis, sed superaddita elevatione ad ordinem supernaturalem per gratiam sanctificantem. « Per hominem constitutum in justitia originali, *ait Medina,* intelligimus hominem rectum, tum in ordine ad finem naturæ suæ proportionatum, tum in ordine ad finem supernaturalem. Itaque status justitiæ originalis supra statum naturæ integræ addit gratiam, quæ est principium bonorum meritorum, et quæ facit homines gratos Deo et consortes divinæ naturæ: additque cætera charismata Spiritus Sancti, quæ ipsam gratiam consequuntur in homine viatore, nempe fidem, spem, caritatem, dona Spiritus Sancti. » *(loc. cit.).*

Status justitiæ originalis, propter finem omnino supernaturalem, scilicet Deum ut auctorem gloriæ videndum et amandum, est ordinis omnino supernaturalis.

NB. Nomina *justitiæ originalis* et *integritatis originalis* promiscue a Patribus usurpantur; licet enim hi duo status distincti sint, atque diversi ordinis, non separatim tamen exstiterunt; sed in primo homine integritas originalis arcte cum justitia connectebatur, atque ab ipsa originem duxit.

783. — IV. **Status naturæ lapsæ.** — Status naturæ lapsæ est ille, in quo homo, ex gratia decidens, per peccatum constitutus est. — Consistit in eo, quod natura humana per peccatum Adæ spoliata fuit gratia sanctificante, et donis eidem annexis, virtutibus scilicet, dono integritatis, impassibilitate, immortalitate, atque exemptione ab ignorantia et concupiscentia. Neque solum his gratuitis exspoliata fuit donis, sed etiam in naturalibus quadruplici vulnere vulnerata fuit, nimirum: ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupiscibili, et infirmitate in irascibili.

Hujus miseri status, juxta S. Patres, typum habemus in parabola hominis, qui *descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt semivivo relicto.* (Luc. X, 30).

De quo infelici statu in cap. III, ubi de lapsu protoparentum agetur, longior protrahetur sermo.

784. — V. **Status naturæ reparatæ.** — Status naturæ reparatæ ille dicitur, in quo homo, gratia Salvatoris vivificatus, per Redemptionem iterum constitutus est. Pluribus in Scriptura insignitur nominibus: vocatur *Redemptio* et *liberatio, resuscitatio, vivificatio, sanatio, reconciliatio,* etc.

Habet hic status aliquid de omnibus præcedentibus: *a)* De statu naturæ puræ et lapsæ habet plus minusve supradictas imperfectiones in intellectu et in voluntate, necnon et rebellionem partis inferioris contra superiorem. In statu naturæ reparatæ istæ imperfectiones sunt vulnera remanentia, atque fomitem peccati constituunt, quem Deus nobis ad agonem et victoriam reliquit. — *b)* De statu naturæ integræ per gratiam habet initialem aliquam ordinis reparationem in potentiis suis, sed quæ in cœlesti patria tantum ad perfectionem ducetur. — *c)* De statu justitiæ habet gratiam et alia dona divinitus infusa, necnon et terminum, æternam scilicet beatitudinem.

ARTICULUS III.

DE STATU IN QUO PRIMUS HOMO CONDITUS EST.

785. — De statu, in quo conditus est primus homo, plures prodierunt errores. Docuit Pelagius hominem in statum supernaturalem evectum non esse, et morti ita fuisse obnoxium, ut, sive Adamus peccaret sive non peccaret, mortuus fuisset. — Pelagianorum errores renovarunt Sociniani. — Baius gratiam, et dona eidem in primo homine annexa, humanæ naturæ ita debita fuisse docet, ut absque illis homo creari non potuisset. — Rationalistæ demum, qui ordinem supernaturalem negant, primi hominis elevationem omnino rejiciunt.

786. — Prop. I. *Primi nostri parentes a Deo in statu justitiæ et sanctitatis fuerunt constituti.*

De fide, ex Trid. Sess. V, can. 1 et 2. Legimus in can. 1: «Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, A. S.»

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eccl. VII, 30): *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Sed hæc rectitudo non fuit solum in ordine ad bonum connaturale; sed fuit vera et interior justitia, sanctificans hominem in ordine ad vitam æternam, prout constat ex verbis Apostoli (Eph. IV, 23): *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* «Qui autem renovari jubetur, *ait Bellarm.*, fuit aliquando novus; quod si renovatio consistit in eo ut induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis, fuimus igitur aliquando, videlicet in primo nostro parente, homines novi, conditi secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis.» *(De grat. primi hom. c. 3; cf. etiam c. 2).*

II. **Ex Traditione.** Legimus in Arausicano II, can. 19: «Unde cum (natura humana) sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?» — Et *S. Joan. Damasc.* ait:

« Creavit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere decoratum. » *(De fide orth. l. II, c. 12).*

III. **Ex Ratione.** Christus Redemptor in mundum venit, ut homines redimeret, regeneraret, Deo reconciliaret, repararet, restauraret; ut genus humanum e potestate tenebrarum eriperet; ut illud a laqueo diaboli liberaret, et de morte ad vitam transferret. Quæ omnia manifeste nos docent, ante præsentem humanæ naturæ statum conditionem adfuisse perfectiorem, statum scilicet originalis justitiæ.

787. — Scholium. *De instanti in quo primus homo gratiam sanctificantem recepit.* — S. Bonaventura, Alensis, Scotus aliique ex antiquioribus tenent, Adamum in statu naturæ integræ creatum fuisse, et post aliquod tempus gratiam sanctificantem accepisse. — S. Thomas vero (I, q. 95, a. 1, et alibi) docet, Adamum in ipso instanti creationis suæ gratiam accepisse; quæ opinio hodie communiter a theologis ut certa habetur. — Utramque opinionem ut intactam relinqueret, Tridentinum, in citato canone, consulto abstinuit a verbis *in qua conditus,* aut *in qua creatus fuerat,* et posuit: *in qua constitutus fuerat,* ut refert Pallavicinus [1].

788. — Prop. II. *Hominis elevatio in statum justitiæ originalis fuit humanæ naturæ omnino indebita et gratuita* [2].

Ad fidem pertinet, ex condemnatione propositionum Baii, cujus prop. 21 hæc habet: « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis. » — Et prop. 23: « Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum. »

Prob. I. **Ex Script. S.** (II Petr. I, 4): *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Sed illud, per quod efficimur divinæ consortes naturæ, est gratia sanctificans; quia ergo Deus *donavit,* seu *dedit ex dono,* illa pretiosa promissa, hæc utique debita non sunt.

[1] *Hist. Conc. Trid.,* l. VIII, c. 9; cf. Bannez, In q. XCV, a. 1, concl. 4. — [2] Cf. Tournely, *Comp., De Gratia,* pars dogm., q. I, c. I, a. 2; S. Alph., *Hist. hær.,* conf. XII, a. 1 et 2.

(Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Si autem ex dono habetur Spiritus Sanctus, gratia etiam et caritas, quæ ab ipso dantur, gratis donantur.

II. **Ex Traditione.** S. Patres unanimiter docent, justitiam originalem Adamo non fuisse debitam, sed gratiose fuisse collatam. « Homo, *ait S. August.*, ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et ideo fit gratia filius, quia non est natura. » *(Cont. Max. l. II, c. 15, n. 2).*

III. **Ex Ratione.** Visio beatifica, sicut omne id quod ad eam ex natura sua ordinatur, totius naturæ creatæ vel creabilis exigentiam superat *(cf. n. 450)*. Porro status justitiæ originalis ex natura sua ad Deum intuitive videndum ordinatur. Ergo humanæ naturæ exigentiam omnino superat, eique naturaliter nullatenus debetur. Si igitur primo homini collata est originalis justitia, hæc ei prorsus gratuito data est.

789. — **NB.** Una cum gratia sanctificante atque ordinatione ad intuitivam Dei visionem, alia, et quidem pretiosissima, protoparentes nostri tum quoad animam, tum quoad corpus, a Deo acceperunt beneficia, quibus vitam undequaque felicissimam degere potuissent. Quinque præcipua enumerantur beneficia, videlicet: *scientia eximia; immunitas a concupiscentia; dominium super omnia creata; impassibilitas; immortalitas.*

790. — **Prop. III.** *Protoparentes nostri eximiam a Deo acceperunt scientiam.*

Ad fidem pertinet, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** De primo homine legimus (Eccli. XVII, 5-7): *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* Hæc autem verba indicant scientiam, non solum supernaturalium, sed et naturalium, a Deo primis nostris parentibus inditam fuisse. — Præterea, ex Gen. II, discimus Adam animalibus nomina imposuisse. « Nomina autem, *ait S. Th.*, debent naturis rerum congruere.

Ergo Adam scivit naturas omnium animalium, et pari ratione, habuit omnium aliorum scientiam.» *(Q. 94, a. 3).*

II. **Ex Traditione.** «Auctor ille nostri generis Adam, *ait S. Cyrill. Alex.*, non in tempore sicuti nos, sapientiam videtur esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia præditus cernitur.» *(In Joan. l. I, c. 9.)*

III. **Ex Ratione.** Primus homo Adam a Deo constitutus erat caput cæterorum hominum, non solum quoad corpus, sed etiam quoad animam, per instructionem scilicet et gubernationem. «Et ideo, *ait S. Th.*, sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare; ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare.» *(Q. 94, a. 3).*

791. — Scholium. *De objecto et modo cognitionis Adami innocentis.* — De cognitione Adami innocentis plura sunt notatu digna.

1. *Quoad Deum.* — Adamus, secundum communem statum vitæ suæ innocentis, Deum per essentiam non vidit: quippe qui status erat status viatoris. Probabile est autem Adamum divinam essentiam vidisse in raptu, quando Deus ei soporem immisit, ut dicitur Genes. II. *(Q. 94 a. 1).* — Fuit igitur in Adamo fides de Deo et de divinis mysteriis ei a Deo revelatis: fides enim per solam visionem beatificam evacuatur.

«Cognoscebat tamen Deum quadam altiori cognitione quam nos nunc cognoscimus, *ait S. Th.*, et sic quodam modo ejus cognitio media erat inter cognitionem præsentis status et cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur.» *(Q. 94, a. 1).* — In quo autem consistat ille altior cognoscendi modus, explicat S. Doctor *(De Verit., q. 18, a. 2):* «Cum in statu innocentiæ constitueretur Adam ab ipso (Deo) ut totius humani generis principium, non solum a quo natura humana propagaretur in posteros, sed etiam quo in alios originalem justitiam transfunderet, oportet ponere hominem in statu innocentiæ duplicem perfectionem habuisse: unam quidem naturalem, aliam autem gratiæ a Deo concessam supra debitum naturalium principiorum. Secundum autem naturalem perfectionem sibi competere non poterat ut Deum cognosceret nisi ex creatura... Sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in statu innocentiæ ut Deum cognosceret per inspirationem internam ex irradiatione divinæ sapientiæ; per quem modum Deum cognoscebat non ex visibilibus creaturis, sed ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressa.

«Ita igitur in homine duplex cognitio erat: una qua cognoscebat Deum conformiter Angelis per inspirationem internam; alia qua cognoscebat Deum conformiter nobis per sensibiles creaturas. Differebat

autem hæc ejus secunda cognitio a nostra, sicut differt inquisitio habentis habitum scientiæ, qui ex notis considerat ea quæ quandoque noverat, ab inquisitione addiscentis, qui ex notis ad ignota nititur pervenire. Nos autem aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus. Adam vero Deum aliter sibi notum, scilicet per illustrationem internam, ex creaturis considerabat. »

2. *Quoad Angelos.* — Cognovit Adam Angelorum existentiam, non autem eorum essentiam. « Duplex est cognitio, *ait S. Th.*, qua aliquid cognosci potest. Una qua cognoscitur de re *an sit;* et sic Adam in statu innocentiæ Angelos cognoscebat et naturali cognitione, et divina revelatione, multo familiarius et planius quam nos cognoscamus. Alia est qua cognoscimus de re *quid est;* et hoc est cognoscere rem per essentiam suam. Et sic Adam, ut mihi videtur, Angelos in statu innocentiæ non cognoscebat, etc. » *(De Verit., q. 18, a. 5).*

3. *Quoad naturalia.* — Cognovit Adamus ea omnia, quæ ab intellectu humano naturaliter cognosci possunt, quia « instituebatur ut pater et instructor totius humani generis. » *(Q. 101. a. 1, ad 1).* — « Non potest autem aliquis instruere nisi habeat scientiam. Et ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui. Et hæc sunt omnia illa quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt. » *(S. Th., q. 94, a. 3).*

« Alia vero, quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit; sicut sunt cogitationes hominis, futura contingentia, et quædam singularia, puta quot lapilli jaceant in flumine, et alia hujusmodi. » *(S. Th., loc. cit.).*

4. *Quoad supernaturalia.* — Cum vita humana ad finem supernaturalem ordinetur, ad gubernationem vitæ necessarium est ut, quæ fidei sunt, cognoscantur. « Unde et de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum statum illum. » *(S. Th., loc. cit.).*

5. *In Adamo innocente non potuit esse error vel deceptio.* — « Approbare falsa pro veris, *ait S. Aug.*, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. » *(De lib. arb. l. III, c. 18; cf. S. Th. De Verit. q. 18, a. 6).* — Et ratio est quia in statu innocentiæ nullum potuit adesse malum. Sed falsum est malum intellectus. « Unde non poterat esse quod, innocentia manente, intellectus hominis alicui falso acquiesceret quasi vero. » *(S. Th. q. 94, a. 4).* — Quæ immunitas ab errore ex duobus exsurgebat: « 1. ab illa deceptione, *ait S. Th.*, quæ interius contingit cum aliquis per seipsum paralogizat, defendebatur vigore propriæ rationis; 2. ab exteriori autem deceptione defendebatur auxilio divino, quod sibi ad omnia necessaria tunc aderat. » *(De Verit., q. 18, a. 6, ad 7).*

792. — Prop. IV. *Adamus innocens fuit a prava concupiscentia immunis.* — Certa.

NB. Concupiscentia in genere est appetitus sensitivus; dividitur in concupiscentiam in actu primo, et in concupiscentiam in actu secundo. Concupiscentia *in actu primo* est vis seu facultas tendendi in bonum sensibile. Concupiscentia *in actu secundo* est actualis tendentia appetitus sensitivi in bonum sensibus apprehensum. — Concupiscentia de se non est mala: fluit enim naturaliter ex humanæ naturæ principiis constitutivis; imo fit bona si a recta ratione, a qua nata est regi, regulatur; fit autem mala, quando tendit in bonum sensibile præveniendo dictamen rectæ rationis, vel resistendo ei. — De hac ultima concupiscentia procedit propositio.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Gen. II, 25): *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus; et non erubescebant.* (C. III, 7): *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.....* (V. 11): *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Ex quibus verbis patet, ante peccatum in Adamo non fuisse erubescentiam, patrato autem peccato, ipsam statim adfuisse. Illa vero erubescentia est effectus concupiscentiæ. Ergo hæc in Adamo innocente non adfuit.

Præterea, S. Paulus, (Rom. VII, 7), concupiscentiam vocat *peccatum,* et hoc quidem, ut ait Concilium Trident. *(Sess. V. de pecc. orig. n. 5)*, quia « ex peccato est et ad peccatum inclinat. » Si autem est ex peccato, non fuit utique ante peccatum.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Aug.:* « Nudi erant et non confundebantur: nullus erat motus in corpore cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrænandum. » *(De Gen. ad litt., l. XI, c. 1).*

Et *S. Th.:* « Erat hæc rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animæ corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundæ, et tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur... Unde *August.* dicit *(De Civit. Dei, l. XIII, c. 13): Postquam præcepti facta transgressio est, confestim, gratia decrente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt*

enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. » *(Q. 95, a. 1).*

793. — **Scholium.** *De integritatis origine.* — Integritas, seu immunitas a concupiscentia, non erat homini naturalis, sicuti constat ex propositione baiana 26 condemnata: « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Sed fuit Adamo, una cum dono gratiæ a qua ortum habuit, ex singulari Dei benevolentia concessa.

Concupiscentiam esse homini naturalem, ex ipsa natura humana manifestatur. Homo enim est animal rationale; habet igitur appetitum sensitivum. Sed appetitus sensitivus ad præsentiam objecti convenientis naturaliter movetur; in voluntate autem hominis non est, ut non alia objecta, nisi quæ velit, sensibus occurrant: potest ergo appetitus sensitivus moveri ante dictamen rectæ rationis, imo etiam contra rectam rationem, quia pars superior animæ inferiorem regit imperio politico, non despotico; ac proinde pars inferior contra superiorem positive rebellare potest.

794. — **Prop. V.** *Homini innocenti perfectum dominium in omnia animalia concessum erat.* — Certa.

NB. Duplex datur dominium seu jus in animalia: dominium scilicet in actu primo; et actuale istius dominii exercitium. Homini innocenti datum erat dominium non solum quoad actum primum, sed etiam actualis ejus usus, et quidem plenissimus et perfectissimus, ita ut absque reluctatione omnia animalia ei ad nutum obedivissent.

Prob. I. **Ex Script. S.** Ait Deus (Gen. I, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et præsit piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* — (Eccli. XVII, 4): *Posuit* (Deus) *timorem illius* (hominis) *super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium.* — Hæc autem perfectum hominis dominium in omnia animalia commonstrant; in cujus signum Deus *adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* (Gen. II, 1).

II. **Ex Traditione.** Hanc doctrinam unanimiter tradunt SS. Patres. Ait *S. Joan. Damasc.*: « Adamum animantibus, veluti mancipiis sibi datis, herili quadam auctoritate nomina imposuisse. » *(De fide orth., l. IV, c. 4).*

III. **Ex Ratione.** Idem docet et probat *S. Th.:* 1. *ex ipso naturæ processu:* quia imperfecta in usum perfectorum semper cedunt; 2. *ex ordine divinæ providentiæ,* quæ inferiora per superiora semper gubernat. *(Q. 96, a. 1).*

795. — **Scholium.** *De hujus dominii post peccatum existentia.* — Dominium seu jus in animalia *quoad actum primum* est homini naturale; commisso igitur peccato, integrum in eo remansit. — Actuale autem hujus juris exercitium, quale fuit in Adamo, partim fuit ex naturali Adami scientia, qua cognovit quomodo animalia ad sibi obediendum induceret; partim ex speciali Dei providentia, quæ animalia ad homini obediendum disposuit [1]. Commisso igitur peccato, imminuta est hominis scientia, et subtracta est specialis illa providentia, quæ animalia ad obediendum disposuit: qua de causa et actuale istius juris exercitium maxima ex parte amissum est; ita ut paucis tantum animalibus, et nonnisi cum labore et difficultate, homo imperare possit.

796. — **Prop. VI.** *Homo innocens creatus est impassibilis et ab omni miseria liber.* — Certa.

Prob. **Ex Script. et Traditione.** Legimus (Gen. II, 15): *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis.* « Non dicit simpliciter *in horto, ait S. Joan. Chrysost.*, sed apposuit *voluptatis*, ut excellentem voluptatem, qua fruiturus erat inhabitando, nobis declararet. » *(Hom. VIII in Gen).* Ubi autem est passio crucians, aut miseria affligens, ibi non est felicitas, nec excellens voluptas. Unde *S. August.* ait: « Felices erant primi homines, et nullis agitabantur perturbationibus, nullis corporum lædebantur incommodis. « *De Civit. Dei, l. XIV, c. 10).*

797. — **Scholium.** *De origine impassibilitatis primi hominis.* — Adami innocentis impassibilitas et immunitas ab ærumnis non fuerunt ex principiis naturæ [2], sed ex dono gratiæ per specialem Dei dispositionem. Naturale est enim corpori ex contrariis composito, ut et a passionibus alterantibus corrumpatur, et ab exterioribus agentibus, v. gr., calore, frigore, transmutetur. Ex dono igitur gratuito datum erat homini, ut se ab omni miseria immunem præservaret.

[1] Cf. S. Alph., *Via mirab.*, P. I, c. I, n. 16. — [2] Cf. 2. *Sent.*, D. 19, q. 1, a. 4.

798. — Prop. VII. *Adamus creatus est immortalis*[1].

De fide, contra Pelagianos, ex pluribus Conciliis, ut Carthaginensi, et Milevitano II, in quo, can. I, legimus: « Quicumque dicit, Adamum primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, A. S. » — Et ex Trid. Sess. V, can. 1.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Gen. II, 17), Deus Adamo, si de fructu vetito comederet, mortem minatus est: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris;* et, transgresso præcepto, eum ad mortem condemnavit (III, 19): *In pulverem reverteris.* — (Rom. V, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* — (Ibid, VI, 23): *Stipendia peccati, mors.* Ex his omnibus liquet, hominem ante peccatum morti obnoxium non fuisse. Quapropter dicitur (Sap. II, 23): *Deus creavit hominem inexterminabilem;.... invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

II. **Ex Traditione.** « Constat inter christianos, *ait S. Augst.....* etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati. » *(De Civit. Dei, l. XIII, c. 15).* — Et *S. Ambrosius:* « Deus mortem non fecit, sed postquam homo lapsus in flagitium est, prævaricationis et fraudis sententiam tulit, ut terra in terram suam remearet. » *(De bono mortis, l. I, c. 4).*

799. — Scholium I. *De immortalitatis origine in primo homine.* — Immortalitas, in qua primus homo conditus est, ex ejus natura ortum non habuit. « Ex principiis naturalibus, *inquit S. Th.*, esse perpetuum habere non potest (homo), cum ex contrariis componatur, quod est causa corruptionis in rebus. » *(2. Sent., D. 19, q. 1, a. 2).* Unde proscripta est Baiana prop. 78: « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. »

In Adamo igitur immortalitas fuit ex gratia Conditoris: « Non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset. » *(Q. 97. a. 1).*

[1] Cf. S. Th., q. 98, a. 1; 2. *Sent.*, D. 19, q. 2, a. 2 et 4; Gotti, q. IV, Dub. I, § 2.

800. — Scholium II. *De radicibus impassibilitatis et immortalitatis in Adamo.* — Primi hominis impassibilitas et immortalitas ex pluribus radicibus ortum habuerunt. *(Cf. S. Th. 2. Sent., D. 19, q. 1, a. 4; et P. I, q. 97).*

1. *Contra luctamen contrariorum,* ex quibus omne corpus componitur, subveniebatur homini per vigorem quemdam speciali Dei ordinatione ex justitia originali fluentem, et hunc in finem animæ collatum, ut anima corpus in perpetua complexionis æqualitate continere posset.

2. *Contra quotidianam deperditionem,* quæ fit in animalibus per actionem caloris naturalis, subveniebatur homini per esum lignorum paradisi, sicut et nunc subvenitur nobis per cibos, quibus nutrimur. — Quocirca primis parentibus datum est præceptum manducandi fructus: (Gen. II, 16): *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede.*

3. *Contra defectum senectutis,* homini per lignum vitæ, quod Deus in medio paradisi produxit, subveniebatur (Gen. II, 9). « Cibus, *inquit S. August.,* aderat homini, ne esuriret; potus, ne sitiret; et lignum vitæ, ne senectus eum dissolveret. » *(De civit. Dei, l. XIV, c. 26).*

4. *Contra externa nociva,* homini subveniebatur tum vigilantissima propria prudentia, tum continua Angelorum custodia, tum speciali Dei providentia, per quam decretum erat, ut homo nullum nocumentum pateretur in corpore, nisi prius a mentis innocentia deviasset [1].

801. — Prop. VIII. *Status naturæ puræ, etiam secundum ordinariam Dei providentiam, possibilis est* [2].

Propositio statuitur tum contra eos, qui docent statum naturæ puræ esse possibilem tantum de potentia Dei extraordinaria; tum et præsertim est contra Baium, qui istius status possibilitatem, etiam de potentia Dei extraordinaria, negat. — Si sumitur propositio prout contra Baium et Jansenium statuitur, *ad fidem pertinet,* ex propositione Baii condemnata 55: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur », et 79: « Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali. » Si sumitur propositio, prout contra eos statuitur, qui statum naturæ puræ impossibilem dicunt secundum ordinariam Dei providentiam, *certa* est et *communis.*

[1] Privilegia status innocentiæ perbelle describit S. August. in citato c. 26, l. XIV, *Civ. Dei.* — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* confut. XII a. 2; S. Th., 2. *Sent.,* D. 31 q. 1, a. 2, ad 3.

Prob. I. Status naturæ puræ ille dicitur, in quo homo nasceretur absque gratia et absque peccato, cum omnibus perfectionibus et imperfectionibus, quæ humanæ naturæ naturales sunt appendices; obnoxius proinde concupiscentiæ, morbis, passibilitati, et necessitati moriendi. Jamvero hominem in eo statu creari posse, ex iis, quæ supra statuta sunt, manifeste sequitur.

Et re quidem vera: *a)* creari potest *absque gratia:* gratia quippe est donum gratuitum, humanæ naturæ indebitum; sed homo, nullo dono indebito eidem concesso, creari potest. — *b)* Creari potest *absque peccato;* imo cum peccato condi non posset: alioquin Deus ipse auctor peccati directe existeret. — *c)* Creari potest obnoxius concupiscentiæ, passibilitati, necessitati moriendi: hæc quippe ex principiis humanæ naturæ constitutivis naturaliter fluunt; homo autem cum iis defectibus, quæ ex ejus constitutione naturaliter fluunt, produci potest. Ex parte igitur hominis nihil obstat, quominus in statu naturæ puræ creetur.

II. Status naturæ puræ nulli divino attributo repugnat: *Non omnipotentiæ*, ut ex dictis satis constat; — *non justitiæ*, creatura nullum jus habet ad ea, quæ naturæ exigentiam supergrediuntur, quale est donum supernaturalis gratiæ, vel donum integritatis; — *non bonitati*, quia in eo statu Deus homini omnia elargiretur tam operationis principia, quam alia auxilia necessaria, ut finem suum naturalem assequi posset. Nihil ergo ex parte Dei obstat, quominus hominem in statu naturæ puræ creet.

802. — Quæritur. *Quomodo nati fuissent pueri si Adamus in statu innocentiæ permansisset.*

Resp. Ad hanc quæstionem dirimendam, sequens principium ponit S. Thomas: « De iis quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur. Unde, ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem. » *(Q. 101, a. 1; cf. q. 99, a. 1).* — Igitur:

I. *Quoad corpus. — a)* In statu innocentiæ pueri, non secus ac nunc, ex carnali generatione nati fuissent. Enimvero, in prima hominis creatione, Deus *masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram.* (Gen. I, 27, 28); et (Gen. II, 24) addidit: *Et erunt duo in carne una.* — Con-

cepta autem fuisset proles absque deordinata parentum libidine, sicut etiam absque matris dolore nata fuisset. *(S. Th., q. 98).*

b) Pueri recenter nati perfectam virtutem movendi membra ad quoslibet actus non habuissent, sed solum ad actus pueritiæ convenientes. Non extitissent tamen adeo infirmi sicuti nunc sunt; et citius etiam atque perfectius omnium membrorum usum acquisivissent. *(Q. 99).*

II. *Quoad animam. — a)* In statu innocentiæ pueri cum justitia originali et gratia sanctificante nati fuissent. In eo enim statu gratia erat non donum solius personæ, sed donum naturæ; et pueri una cum natura, dona naturæ accepissent. — Ab initio tamen nativitatis suæ pueri in gratia confirmati non fuissent; sed eam per peccatum amittere potuissent. Quod si accidisset, ex parentibus peccatoribus pueri nati fuissent justi, sicuti in statu naturæ lapsæ ex parentibus justis nascuntur peccatores.

b) Pueris scientia non fuisset infusa; eam vero decursu temporis, inveniendo vel addiscendo, absque difficultate acquisivissent. — Adamo scientia erat infusa, sed ut donum personale, ratione scilicet tituli patris et instructoris totius generis humani; unde illud donum una cum natura filiis suis non communicasset. *(Q. 101, a. 1).*

c) Cum usus rationis quodammodo ex usu virium sensitivarum dependeat, pueri non statim ab initio perfectum habuissent usum rationis, sed cum decursu temporis acquisivissent. *(Q. 101, a. 2).*

CAPUT III.

DE LAPSU HOMINIS, SEU DE PECCATO ORIGINALI[1].

803. — In felicissimo illo statu, qui modo descriptus est, non diu perstitit Adamus protoparens noster: instigante serpente, præceptum Domini transgressus est, et peccavit; et nos omnes in eo peccavimus; et una cum eo justitiam originalem cum annexis donis amisimus. *(Pro B. Virg. Maria, cf. dicenda n. 1073).*

De quo peccato, quod originale nuncupatur, disserendum est. In qua inquisitione tractandum est:

[1] Cf. S. Th. 2. 2, q. 163-165; De Rubeis, *De Peccato orig.*; Gotti, *De Homine,* q. V et seq.; Conradus Kœllin, In I. II, q. 81-83.

I. De peccato actuali primorum parentum; II. de existentia peccati originalis; III. de ipsius natura; IV. de ipsius propagatione; V. de ejus effectibus.

ARTICULUS I.

DE IPSO PROTOPARENTUM PECCATO.

804. — Prop. *Primi nostri parentes præceptum Dei transgressi sunt, et graviter peccaverunt.*

De fide, ex Trid. Sess. V; et ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. Pars: *Præceptum Domini transgressi sunt.*

Prob. I. **Ex Script.** S. Peccatum protoparentum describitur Genes. III: « Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri; et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. » — Quæ verba interpretatione non indigent.

II. **Ex Traditione.** « Adam fuit perfectus, *ait S. Clemens Alex.*: elegit autem quod vetitum erat » *(Strom. I, 15)*. — Et *S. Cypr.*: « In origine statim mundi et generis humani, Adam præcepti immemor et datæ legis transgressor fuit. » *(De Inc. Verbi)*.

Prob. II. Pars: *Protoparentes graviter peccaverunt.*

Prob. I. **Ex Script.** S. Adami peccatum in Scripturis vocatur *apostasia, recessus a Deo, initium omnis perditionis.* Legimus (Eccli. X, 14, 15): *Initium superbiæ hominis* apostatare *a Deo; quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus.* —

(Tob. IV, 14): *In ipsa* (superbia) *initium sumpsit omnis perditio.* — Atqui peccatum, quod apostasiam et recessum a Deo includit, et quod est initium omnis perditionis, absque dubio mortale est.

II. **Ex Traditione.** S. Patres Adæ peccatum grave prædicant. « Non ideo, *ait S. August.*, debet aliquis existimare leve aut parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est non mala quidem, neque noxia, nisi quia prohibita. » *(De Civ. Dei l. XIV, c. 12).* — Et *in op. imperf. cont. Julian., l. I, c. 105*, illud vocat *ineffabiliter grave.* — Et *S. Joan. Chrys.* illud *grande peccatum* nominat *(Ep. ad Olymp).*

III. **Ex Ratione.** *a)* Per suam prævaricationem Adamus gratia sanctificante privatus est. Sed per solum peccatum mortale homo gratia privatur.

b) Ob peccatum Adæ gravissimæ pœnæ homini irrogatæ sunt, ut mors cum temporalis tum æterna. Cum igitur in omni justo judicio pœna culpæ commensurari debeat, ex gravitate pœnæ gravitas culpæ cernitur.

c) Quo excellentior est peccantis conditio, eo gravius est ejusdem peccatum. Licet ergo Adami peccatum ex genere suo non fuerit omnium gravissimum, attamen, propter perfectionem status, in quo versabatur Adamus, maximam habuit gravitatem *(2. 2, q. 163, a. 3).*

d) Denique peccatum Adami non potuit esse veniale, ergo fuit mortale. Enimvero: Peccatum veniale in nobis contingit, vel quia sensualitas rationem prævenit, ut, v. gr., in motibus indeliberatis; vel quia ratio, etsi a fine non deficiat, inordinate tamen circa ea, quæ sunt ad finem, se habet. Sed neutro modo homo innocens peccare poterat. *Non primo:* quia in homine innocente nulla fuit carnis rebellio adversus spiritum; *non secundo:* quia stante perfecta et immobili ordinatione ad ultimum finem, in ratione nulla inordinatio circa media contingere potest; inordinatio quippe circa media, etsi non semper est contra finem, est tamen præter finem; sed in statu innocentiæ talis fuit mentis adhæsio fini ultimo, ut nihil quod ratio ad illum non ordinaret, contingere potuerit. *(1. 2. q. 89, a. 3).*

805. — **Quæritur I.** *An prima Adami prævaricatio fuerit unum simplex peccatum.*

Resp. In prima sua prævaricatione cum Adamus tum Eva plura commiserunt peccata. In utroque adfuit: 1. Superbia: *Eritis sicuti Dei.* — 2. Curiositas, quæ consistit in inordinato appetitu scientiæ: *aperientur oculi vestri... scientes bonum et malum.* — 3. Gula: *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* — 4. Inobedientia: *tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit,* et (Rom. V, 19): *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* — 5. Excusatio (Gen. III): *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi... quæ respondit: Serpens decepit me, et comedi. (2. 2, q. 163, a. 1).*

Præterea in Eva adfuit: 1. Infidelitas, adhibendo fidem verbis serpentis, et dubitando de verbis Dei, *ne forte moriamur,* et (I Timoth. II, 14): *Mulier seducta in prævaricatione fuit.* — 2. Scandalum, inducendo virum ad graviter peccandum.

In Adamo vero adfuit: 1. Inordinatus amor mulieris. « Adam, *ait S. Aug.*, in peccatum consensit amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. » *(Sup. Gen. ad litt. l. XI, cap. ult.).* — 2. Utrum in Adamo fuerit etiam *infidelitas*, dubitatur. Probabilior est sententia S. Thomæ docentis Adamum fidem nunquam amisisse. Dicit enim S. Paulus (I Tim. II, 14): *Adam non est seductus,* quæ verba de fidei amissione intelliguntur. (2. 2, q. 163, a. 4).

Ex his autem peccatis primum est superbia, ex qua omnia alia tanquam e radice manaverunt, teste Scriptura (Eccl. X, 24 et 25): *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Quoniam initium omnis peccati est superbia.*

806. — **Quæritur II.** *An Adamus peccati sui veniam et salutem æternam consecutus sit.*

Resp. « Dogma fidei est, *ait S. Alphonsus,* Adamum de suo peccato pœnitentiam egisse et salutem consecutum fuisse, sicuti probant S. Irenæus, S. Augustinus, cum Tertulliano, S. Ambrosio, S. Hieronymo, aliisque a P. Natale Alex. citatis. — Specialius autem hoc probatur ex verbis Sapientiæ (X, 1 et 2): *Hæc illum qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit; et eduxit illum a delicto suo.*

« Extra dubium etiam est Evam, non secus ac Adamum, per fidem in Christum salutem consecutam esse. Ex tunc enim, ut scribit S. Thomas, (2. 2, q. 2, a. 7), verbis *Ipsa* (vel ipse) *conteret caput tuum* (Gen. III, 5), eis jam revelatum fuit Verbum divinum statuto tempore venturum esse, ut genus humanum redimeret et salvaret. » *(Via mirab., P. I, c. I, n. 24).*

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS [1].

807. — Peccatum originale definitur: *Justitiæ originalis mentem Deo subjicientis voluntaria privatio, orta in posteris Adæ ex eo quod in ipso peccaverunt.* (Polm.).

Pelagius primus peccati originalis existentiam aperte inficiatus est [2]. Cujus errores circa peccatum originale ad tria capita referri possunt, nimirum: 1. Progenitores humani generis, Adam et Evam, mortales a Deo esse creatos, nec quemquam posterorum sua prævaricatione læsisse, sed sibi tantum nocuisse. — 2. Infantes, qui nunc nascuntur, in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem. — 3. Infantes absque baptismo morientes habere, non quidem regnum cœlorum, sed vitam æternam.

Pelagii errores renovarunt moderni *Anabaptistæ* et *Sociniani;* recentiores quoque rationalistæ peccati originalis existentiam negant. Sit igitur sequens propositio:

808. — **Prop.** *Existit peccatum originale* [3].

De fide, ex Trid., sess. V, can. 2 et 4. Dicitur, can. 2: « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ: A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. (Rom. V, 12 : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* — (et v. 19): *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* (Cf. II Cor., V, 14). Per unum hominem intravit ergo in hunc mundum quoddam peccatum, quod omnes homines peccatores, et per hoc morti obnoxios

[1] Cf. S. Th., *De Malo*, q. 4; 1. 2, q. 81 et seq. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. V, a. 2. (t. III, p. 209); Tournely (Comp.) *De Grat.*, Disp. I, a. 3. — [3] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. II, (t. VI, p. 68); Gotti, q. VIII, dub. 1; Bellarm., *De amissione gratiæ*, l. IV.

reddidit. At ejusmodi peccatum non potest esse actuale, id est actuali voluntate commissum, cum etiam infantes sint morti obnoxii, et sæpe moriantur, antequam quidquam boni vel mali propria voluntate eligere potuerint. Igitur est peccatum originale.

2. Ps. L. 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, « quod non potest intelligi de peccato actuali, quum David ex legitimo matrimonio conceptus et natus dicatur. Oportet igitur ut hoc ad peccatum originale referatur. » *(S. Th., Cont. Gent. l. IV, c. 50).*

3. Job. XIV. 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* « Ex quo manifeste accipi potest, *ait S. Th.*, quod ex immunditia humani seminis aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum perveniat: quod oportet intelligi de immunditia peccati, pro quâ solâ homo in judicium deducitur: præmittitur enim: *Et dignum duxis super hujusmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium* (Job. XIV, 3). » *(loc. cit.).*

II. **Ex Traditione.** 1. Diversa concilia, idest 24, ab anno 412 ad annum 431, errores Pelagii ejusque discipuli Cælestii damnarunt: præcipua fuere Diospolitanum, Hierosolymitanum, Milevitanum, Carthaginiense, in quo anathematizantur « qui affirmant parvulos nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, » et præsertim Arausicanum II. cujus can. 2, a Trid. (can. 2) renovatum est.

2. S. Patres peccati originalis existentiam unanimiter confitentur. « Non ego, *(ait S. August., Pelagium interpellans)*, finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus. » *(De nupt. et concup. l. II. c. 12, n. 25).* — et *S. Cyprianus:* « Infans recens natus contagia mortis antiquæ prima nativitate contraxit. » *(Ep. ad Fidum).*

3. Cum traditione christiana concordat traditio omnium populorum. Omnes enim gentes, etiam incultissimæ, tenent primos ipsorum parentes in aliquod crimen lapsos esse, omnesque ipsorum posteros ob hoc peccatum protoparentum deteriores nasci, quam secus nati fuissent.

III. **Ex Ratione theologica.** 1. *Ex necessitate baptismi.* etiam pro parvulis. « Exhibetur baptismus secundum communem Ecclesiæ consuetudinem, pueris recenter natis, *ait S. Th.* Frustra igitur exhiberetur, nisi in eis esset aliquod peccatum. Non est autem in eis peccatum actuale, quia carent usu liberi arbitrii, sine quo nullus actus homini in culpam imputatur. Oportet igitur dicere in eis esse peccatum per originem traductum, cum in operibus Dei et Ecclesiæ nihil sit vanum et frustra. » *(Cont. Gent. IV, 50).*

2. *Ex necessitate Redemptionis.* Christus est Salvator et Redemptor omnium, non solum adultorum, sed et infantium. « Unde autem, *quærit S. August.*, salvos fecit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redemit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato? » *(De Peccat. merit., l. I, c. 23).*

3. *Ex præsentis vitæ miseriis.* Multis miseriis premuntur infantes, et sæpe moriuntur, antequam ad usum rationis pervenerint, et aliquid boni vel mali egere potuerint. Sed mors est stipendium peccati; adest igitur in parvulis peccatum quoddam origine contractum.

809. — Scholium. *De modo quo peccavimus in Adamo*[1] — Adamo in paradiso degenti collata fuit justitia originalis non quatenus personæ privatæ, sed quatenus capiti totius generis humani. Justitia originalis erat proinde *donum naturæ.*

Obligatio de non comedendo fructu, quæ a Deo imposita est Adamo, ei etiam, non prout privatæ personæ, sed prout capiti naturali et morali totius generis humani, imposita est; et consequenter tota natura humana, quæ tunc temporis tota in Adamo subsistebat, probationi subjecta est.

Quantum igitur ad conservationem vel amissionem justitiæ originalis, Adam et omnes ejus posteri unum censentur corpus morale, cujus Adam est caput, atque relate ad id, in quo est

[1] Cf. Gotti, q. VII, dub. I, § 9 (t. VI, p. 216); Gibbon, *Tr. de Vitiis et pecc.*, Disp. XXV, dub. 2 et 3 (t. III, p. 309); Curiel, In I. II, q. 81, a. 1, dub. 2, § 6 (p. 602); S. Alph., *Cont. hær.*, c. II, n. 4; S. Th., *De Malo*, q. IV, a. 1.

caput, personam omnium gerit: et voluntas ejus, in ratione capitis, est voluntas omnium posterorum, ita ut quidquid vellet in ratione capitis, ejus posteri etiam velle censerentur, non quidem voluntate propria, sed communi voluntate capitis.

Apposite *S. Augustinus:* « Per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. » *(De Naptiis, l. II, c. 5).* Et *Ps. 84, n. 7*, addit: « Adam ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur... non enim eramus jam nos, sed eramus in Adam. Ideo quidquid evenit ipsi Adam, secutum est et nos, ut moreremur: omnes quippe in illo fuimus. » — Consonat *S. Basilius* dicens: « Quia non jejunavimus in primo parente, ideo exulamus a paradiso. » *(Hom. I de jejunio).*

Ut autem quoad conservationem aut amissionem justitiæ originalis Adam omnium caput existeret, omniumque voluntates in ejus voluntate includerentur, duo erant necessaria: unum ex parte Dei, alterum ex parte Adami.

A. — **Ex parte Dei** necesse fuit ut Deus Adamum statueret caput nostrum morale: seu ut decreto decerneret voluntatem Adami haberi pro voluntate nostra, et voluntates nostras includi in voluntate Adami. Nam quod Adamus ageret in nomine omnium hominum, hoc ei competebat nec ex jure naturæ, nec ex titulo principii nostri naturalis. Si enim ratio capitis physici ei satis fuisset, ut in nomine omnium ageret, non apparet, *ait S. Alphonsus*[1] *cum multis aliis*, cur solum primum peccatum, non autem alia, posteris suis imputetur.

Hujus voluntatum translationis exemplum reperire est etiam in civilibus. Legislator enim voluntatem minoris, eo etiam non consentiente, in voluntatem tutoris transfert, et ita quidem, ut quidquid faciat tutor, illud et pupillus facere censeatur. Quod autem legislator humanus efficere valet, illud a fortiori Deus, supremus omnium Dominus et Gubernator, efficere potuit.

[1] *Cont. hær.*, c. II, n. 4 (t. VI, p. 71); Cf. Wenzl, *Controv.*, P. III, controv. 8, q. I, n. 7 (t. II, p. 723).

B. — **Ex parte Adami** necesse fuit, ut decretum divinum de ea voluntatum nostrarum translatione in ejus voluntatem ei manifestaretur. Hoc enim decreto ignoto, ipse ignorantia invincibili nescivisset se in nomine omnium agere; ac proinde non ut persona capitalis, sed ut persona privata, mandatum transgressus esset et peccasset; et consequenter pro se solo, non autem pro posteris, justitiam amisisset; nec ejus peccatum in posteros transfunderetur, cum solum illud, quod committitur a persona capitali, in membra transfundi valeat.

Necesse autem non fuit ut Adamus in illud decretum consentiret, illudque voluntarie acceptaret: Superioris quippe præceptum absque inferioris consensu obligat, dummodo hic legem sufficienter cognoscat.

Illud decretum ex parte Dei, et ejus cognitionem ex parte Adami, a multis auctoribus *pactum* vocatur. Pactum, eo in sensu explicatum, potest et debet admitti. Si vero per pactum intelligeretur *mutua pactio, mutua obligatio*, Deum inter et Adamum, omnino rejiciendum foret.

Adamus igitur, sciens se personam capitalem esse constitutum, totiusque suæ sobolis vices gerere, et non sciens se in nomine omnium agere, mandatum Dei de non comedendo fructu transgressus est, et peccavit. Cum autem Adami voluntas voluntates omnium eorum, qui ab eo erant per seminalem propagationem descensuri, in se contineret, in voluntate et cum voluntate Adami voluntates omnium peccaverunt, non quidem voluntate physice propria, sed voluntate physice aliena, et moraliter tantum propria.

Solvuntur objectiones [1].

810. — Objicitur I. (Ezech. XVIII, 20): *Anima quæ peccaverit ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem Patris.* Ergo nec posteri Adæ peccatum ipsius portant. (Ita Pelagius et Anabaptistæ).

Resp. *Filius non portabit iniquitatem patris*, si non est illius peccati particeps, *concedo*; si est particeps, *nego*. — « Dicendum, *ait S. Th.*, quod filius dicitur non portare peccatum patris, quia non punitur pro

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. II, n. 2-4; Gotti, q. VII, dub. I, § 6.

peccato patris, nisi sit particeps culpæ. Et sic est in proposito. *(1. 2. q. 81. a. 1. ad 1).* Nam posteri Adæ fuerunt ipsius prævaricationis participes, ut modo dictum est.

811. — Obj. II. Dicit Apostolus (Rom. IV, 15): *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Sed pueri legem violare nequeunt, cum usum rationis nondum habeant. Ergo nec in eis est prævaricatio.

Resp. Parvuli legem violare nequeunt, voluntate physice propria, *concedo;* voluntate physice aliena et moraliter propria, propter inclusionem ipsorum voluntatum in voluntate alterius, *nego.* — Ergo non est in eis prævaricatio, quæ propria voluntate physica ab eis sit commissa, *concedo;* quæ voluntate physice aliena sed moraliter propria ab eis sit commissa, *nego.* — Sed, ut ex dictis (n. 809) compertum est, omnium hominum voluntates in voluntate Adami erant inclusæ.

812. — Obj. III. Legimus (II. Cor. V, 10): *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum sive malum.* Sed parvuli nihil gesserunt in corpore: ergo de nullo peccato rationem reddere tenentur.

Resp. « Hæc verba, *ait S. Alph.*, de parvulis, qui sine baptismo ante usum rationis decedunt, non intelliguntur, sed de adultis, qui baptismum receperunt. » *(Loc. cit.).* — Ac proinde non tenet objectio.

813. — Obj. IV. Legimus (Rom. V, 19): *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Ergo *multi*, non autem omnes, per Adami inobedientiam peccatores constituti sunt; ergo peccatum originale non transit in omnes homines. — *Præterea:* non omnes homines constituuntur justi per Christum; ergo a pari, nec omnes constituti sunt peccatores per Adamum.

Resp. 1. Vox *multi*, in prædicto loco, significat *omnes*, ut patet ex aliis S. Pauli textibus. « Cum dictum est, *ait S. Aug.*, per unum in omnes transisse peccatum, et postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui et omnes. » *(Cont. Julian., l. VI, c. 24).*

2. Verba autem Apostoli sic « accipere debemus, *ait S. Th.*, quod sicut nullus moritur, nisi per peccatum Adæ; ita nullus justificatur nisi per justitiam Christi, quæ quidem est per fidem ipsius. » — « Quamvis possit dici, *addit S. Doctor,* quod justificatio Christi transit in justificationem omnium hominum quantum ad sufficientiam: licet quantum ad efficientiam procedat in solos fideles. » *(In Cap. V. ad Rom., lect. 5).*

814. — Obj. V. Nemo communicat quod non habet. Sed post suam justificationem Adamus peccatum jam non habuit. Ergo nec illud posteris communicare potuit.

Resp. Nemo communicat quod non habet, neque formaliter neque virtualiter, *concedo;* quod non habet in se formaliter, sed virtualiter et ut est causa, *nego.*

Quoad minorem: Adamus justificatus peccatum jam non habuit, *distinguo:* formaliter, et ut persona privata, *concedo;* — virtualiter, prout causa generationis aliorum, *nego.* — Adamus enim pœnitentiam egit, sed quatenus persona privata, non autem quatenus persona capitalis; quocirca denuo gratiam pro se, sed non pro natura accepit; ac proinde ipse generans prolem, licet sit sanctus quoad suam personam, proli tamen communicat naturam justitia destitutam, in qua privatione peccatum originale consistit. (Cf. n. 820).

ARTICULUS III.

DE NATURA PECCATI ORIGINALIS [1].

815. — Quæstio de natura peccati originalis est valde abstrusa, et scitu omnino difficilis. « Hoc antiquo peccato, *ait S. August.*, nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. » *(De morib. Eccl., l. I, c. 22, n. 40).* — Hac de re nihil fuit ab Ecclesia directe definitum: proscriptæ tamen sunt erroneæ quædam sententiæ. De Natura igitur peccati originalis tractaturi, primo opiniones erroneas vel minus communes removebimus, deinde sententiam inter theologos communiter receptam referemus.

816. — I. **Opiniones erroneæ vel minus communes.** — 1. Protestantes, ducibus Luthero et Calvino, docent peccatum originale consistere formaliter in concupiscentia, non actuali quidem, sed habituali, quam nos fomitem peccati vocamus.

Prop. *Peccatum originale non est formaliter concupiscentia, seu fomes ad peccatum inclinans.*

De fide, ex Trid., sess. V, can. 5, ubi definitur per baptismum tolli « totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. » Sed concupiscentia per baptismum non tollitur, ut experientia constat.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Rom. VIII, 1): *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Sed, si per baptismum non tolleretur quidquid habet rationem formalem originalis peccati, aliquid

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. II; Gotti, q. VIII; Gibbon, disp. XXVI.

damnationis, in iis, qui per gratiam Christi sunt renati, remaneret. Atqui concupiscentia in renatis remanet. Ipsa igitur non est formaliter originale peccatum.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.:* « Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis. » *(De Nupt. et concup., l. I, c. 23).*

III. **Ex Ratione.** Peccatum debet esse defectus moralis contingenter conveniens naturæ. Sed concupiscentia ex humana natura naturaliter effluit, ac proinde, etiam in statu naturæ puræ adfuisset: nequit igitur concupiscentia esse formaliter peccatum originale.

817. — 2. Durandus *(2 Sent., D. 30, q. 3)* docet, peccatum originale consistere essentialiter in reatu pœnæ, seu in obligatione ad pœnam sustinendam.

Prop. *Peccatum originale non consistit formaliter in reatu pœnæ.* — Certa.

Prob. Reatus pœnæ necessario supponit reatum culpæ, ut clare docet S. Thom. (1. 2, q. 87, a. 1). Ergo reatus pœnæ non potest esse ipsum peccatum.

Præterea: (Rom. VI, 23) mors vocatur *stipendium peccati;* et (Rom. V, 12) dicitur: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum et per peccatum mors.* Si ergo mors est effectus peccati, ipsa non potest esse peccatum formaliter.

818. — 3. Docent Albertus Pighius et Catharinus, peccatum originale nihil aliud esse, quam ipsum peccatum actuale Adami moraliter perseverans, et nobis extrinsece imputatum. Ex quo deducunt: *a*) peccatum originale esse unum et idem in omnibus hominibus; *b*) nihil esse in parvulis intrinsece inhærens, quod veram peccati rationem habeat.

Prop. *Peccatum originale non est ipsum peccatum actuale Adami, nobis extrinsece imputatum; sed est verum peccatum intrinsece inhærens, et unicuique proprium.*

De fide, ex Trid. sess. V, can. 3, ubi definitur quod « peccatum quod origine unum est, et propagatione non imitatione

transfusum omnibus, inest unicuique proprium. » Idem constat ex can. 2 et 5.

Prob. 1. Ex verbis Tridentini constat, peccatum originale transfundi propagatione, et esse unicuique proprium. Atqui, peccatum actuale Adæ nec in alios propagatione transfunditur, nec est unicuique proprium. Ergo peccatum originale nequit esse formaliter ipsum peccatum actuale Adami nobis extrinsece imputatum.

2. Præterea, in can. 5 definitur: reatum originalis peccati per baptismum vere remitti, et non tantum non imputari. Sed si peccatum originale nihil aliud esset, quam peccatum Adæ extrinsece nobis imputatum, illud sequeretur, scilicet illius remissionem nihil aliud esse, quam simplicem non imputationem.

819. — **Corollarium.** Peccatum igitur originale est *rerum peccatum unicuique intrinsece inhærens, hominemque vere peccatorem constituens.* — Est peccatum *mortale*, vocatur enim *mors animæ*, et *e regno cælorum* excludit. — Est peccatum *non actuale*, quod in actuali legis transgressione consistit et hominem *peccantem* denominat. Licet enim peccatum actuale Adami ad nos etiam aliquo modo pertineat, ut supra notatum est, illud tamen actuale peccatum formaliter peccatum originale non constituit. — Sed est peccatum *habituale*. Peccatum habituale est effectus et terminus peccati actualis: transacta enim actuali legis transgressione, remanet in anima habitualis quædam deordinatio ex peccato actuali relicta, quæ etiam *macula* vocatur, et hominem habitualiter a Deo aversum tenet: propter quod homo, donec a Deo veniam acceperit, *peccator* denominatur.

Transacto igitur actuali peccato Adami, in ejus anima deordinatio quædam remanet, aversio scilicet habitualis a Deo; et ipsa est, quæ per generationem una cum natura humana transfunditur in posteros, eosque vere peccatores constituit. Et præcise de hoc habituali peccato quæritur quænam sit ejus essentia.

820. — II. Opinio communis de essentia peccati originalis.

Secundum communiorem opinionem, peccatum originale essentialiter consistit in habituali aversione a Deo, fine supernaturali, per voluntariam privationem gratiæ sanctificantis, causatam in nobis per peccatum Adami; seu, ut dicunt thomistæ, *consistit in voluntaria privatione justitiæ originalis:* quod in idem reincidit.

Justitia originalis, quæ erat perfecta totius hominis rectitudo, tria præcipua importabat: perfectam scilicet conversionem mentis et voluntatis ad Deum per gratiam sanctificantem; perfectam subjectionem virium inferiorum animæ ad rationem; et perfectam subjectionem corporis ad animam (n. 792).

Perfecta conversio totius hominis ad Deum per gratiam sanctificantem, ex qua conversione, Deo sic ordinante, fluxerunt et subjectio inferiorum virium ad rationem et subjectio corporis ad animam, erat ratio constitutiva et pars formalis justitiæ originalis; ac proinde justitia originalis essentialiter consistebat in perfecta conversione ad Deum per gratiam sanctificantem.

Cum igitur peccatum originale sit privatio justitiæ originalis, illud etiam essentialiter consistit in habituali aversione a Deo, per voluntariam privationem gratiæ sanctificantis. Alia vero, quæ in peccato originali inveniuntur, ut, v. gr., concupiscentia, fluunt a privatione gratiæ tanquam effectus a sua causa, et propterea vocantur *tanquam quoddam materiale* peccati originalis; et ad illius peccati essentiam non pertinent.

Essentiam peccati originalis consistere in voluntaria privatione gratiæ sanctificantis, evincitur etiam aliis rationibus.

a) Peccatum originale, formaliter et per se, est mors animæ. Sed mors animæ est privatio illius principii, quod nobis vitam supernaturalem elargitur; et illud est gratia sanctificans. Ergo peccatum originale consistit essentialiter in privatione gratiæ sanctificantis.

b) Cum baptismus institutus sit ad delendum peccatum originale, dicendum est, peccatum originale in eo essentialiter

consistere, quod per baptismum formaliter destruitur. Atqui baptismus, infundendo gratiam, formaliter destruit aversionem a Deo et privationem gratiæ. Ergo et peccatum originale formaliter consistit in aversione a Deo et in privatione gratiæ sanctificantis.

Denique hanc sententiam disertis verbis docet S. Thomas: « Est igitur, *inquit*, attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est quod voluntas hominis erat Deo subjecta. Quæ quidem subjectio primo et principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem. Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quiddam materiale. » *(1. 2, q. 82, a. 3).*

ARTICULUS IV.

DE MODO PROPAGATIONIS PECCATI ORIGINALIS [1].

821. — Peccatum originale ab Adamo in posteros per generationem transfundi, omnino certum est. Legimus enim in Trident., *Sess. V, can. 4*, parvulos baptizari « ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt »; et *Sess. VI, cap. 3:* « Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant. »

Quomodo autem anima, quæ omnino spiritualis est, nec generatione, sed creatione producitur, possit per generationem peccati maculam contrahere? Hoc mysterio non vacat, et sufficienter explicari nequit. Ideo *S. Augustinus*, diversis expositis modis, quibus anima peccatum originale contrahere potest,

[1] Cf. Wenzl, P. VI, q. III, T. II, p. 734; Conradus Kœllin, In I. II, q. 81, a. 1; Gonet, *Clyp. De Peccatis*, Disp. VII, a. 3.

addit: « Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio. » *(Cont. Julian. l. V, c. 4).*

Ut hanc peccati originalis transmissionem explicarent, theologi diversas inierunt vias. Opinionem probabiliorem tantum referemus.

Quo rectius intelligantur dicenda, recolendum est animam a Deo immediate creari, sed creari in corpore, et in ordine ad tale determinatum corpus virtute paterni seminis formatum, cum quo corpore naturam humanam via seminali ab Adamo descendentem constituit. Licet ergo semen virtutem procreandi animam non habeat, producit tamen naturam humanam, disponendo scilicet materiam, cui in præsenti providentia anima a Deo necessario infunditur: qua de causa generatio ad personam terminari dicitur.

822. — *Quo notato, explicatur modus transmissionis peccati originalis.*

Deus creando Adamum, ipsi justitiam originalem contulit eo tenore, ut si in probatione fidelis permansisset, eam una cum natura in omnes transfudisset, qui per seminalem propagationem ab eo descenderent. Semen igitur primi parentis duplicem habuit virtutem: unam *naturalem*, qua naturam humanam transmisisset; *supernaturalem* alteram et divinitus superadditam, qua tanquam instrumentum originalem justitiam transfudisset: unde per ipsum generationis actum et naturam procreasset Adamus, et gratiam instrumentaliter contulisset.

Peccante Adamo, et amittente pro se et pro tota sua sobole justitiam originalem, naturalis virtus integra permansit in semine ad propagandam naturam; sed virtus divinitus superaddita, qua semen constitutum erat instrumentum ad transmissionem justitiæ, ablata est. « Ex peccato primi parentis, *ait S. Thomas*, destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis justitia in alios propagaretur. Et sic in semine defectus hujus virtutis est defectus moralis corruptionis. » *(De Malo, q. 4, a. 1, ad 9).*

Quando igitur Adamus lapsus generat, naturam communicat sicut eam habet, destitutam scilicet gratia et justitia;

sicut ante peccatum eam communicasset cum gratia. — Sed semen solum corpus producit; anima est a Deo; sed creatur a Deo in tali determinato corpore, ut cum eo humanam naturam constituat. Sicut igitur, homine non peccante, anima in sui infusione in corpus virtute seminis instrumentaliter agentis justitiam accepisset, ita post peccatum eam propter defectum supernaturalis illius virtutis non accipit.

Hæc absentia gratiæ, si anima consideratur in se, præcisive a corpore et independenter ab Adamo, culpa non est, sicut culpa non fuisset absentia gratiæ in statu naturæ puræ. Sed quia per suam unionem ad corpus, anima fit consors naturæ humanæ, et cum corpore subjectum constituit, quod justitiam habere deberet, et ea caret ob suam voluntariam prævaricationem in Adamo, hæc carentia fit culpabilis, et ipsa est formaliter peccatum originale. « Anima rationalis, *ait S. Th.*, non habet immunditiam peccati originalis nec a se, nec a Deo, sed ex unione ad carnem, sic enim fit pars humanæ naturæ derivatæ ab Adam. » *(De Malo, q. 4, a. 3, ad 1)* Et *ait iterum S. Doctor:* « Per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturæ infectio: ex hoc enim fit iste qui nascitur consors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem. » *(1, 2, q. 81, a. 1, ad 2).*

Ex præmissa igitur explicatione aliquatenus intelligi potest, quomodo et anima per generationem fœditatem peccati contrahat, et homo in sua conceptione ex corrupto semine maculetur, secundum illud (Job. XIV, 4): *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.*

823. — **Corollaria.** *Ex dictis hæc deduci possunt, nimirum:*

I. Si aliquis miraculose ex Adamo alia via, quam per seminalem rationem nasceretur, hic peccatum originale non contraheret. « Homines, *ait Trident., Sess. VI, cap. 3,* nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. » Ratio est, quia « semen carnale est causa humanæ naturæ in prole; et etiam culpæ originalis in anima ejus. » — Unde Christus, qui operatione Spiritus Sancti ex Virgine natus est, vi suæ conceptionis a peccato originali fuit immunis.

II. In statu naturæ lapsæ, parentes justi generant peccatores: generant enim non secundum novitatem gratiæ, quæ ad personam per-

tinet, sed secundum vetustatem naturæ, quæ in parentibus quantumvis justis ea supernaturali virtute destituta remanet, qua parentes una cum natura justitiam in prolem transmittere possent.

III. « Si Adamo non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent; e converso autem esset, si Adam peccasset, et Eva non. » *(1. 2. q. 81. a. 5).* Ratio est, quia peccatum originale propagatur generatione, in qua vir se habet per modum principii activi. Unde signanter dicit Apostolus (Rom. V, 12) quod: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

824. — Quæritur. *In quonam subjecto resideat peccatum originale.* **Resp.** Residet in anima, non in corpore; sola quippe anima est capax culpæ.

Sed controvertitur utrum resideat in ipsa essentia animæ, an in aliqua ejus facultate. *Scotistæ* docent peccatum originale subjectari immediate in voluntate. — *Thomistæ* docent cum S. Thoma, ipsum subjectari immediate in essentia animæ; quorum sententia probabilior videtur.

Etenim: « Peccatum originale causatur per originem, *ait S. Th.* Unde illud animæ quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subjectum originalis peccati. Attingit autem origo animam ut terminum generationis, secundum quod est forma corporis; quod quidem convenit ei secundum essentiam propriam. Unde anima secundum essentiam est primum subjectum peccati originalis. » *(1. 2. q. 83. a. 2).*

Præterea: Privatio formæ et forma debent esse in eodem subjecto. Sed gratia sanctificans, in cujus privatione peccatum originale consistit, est in essentia animæ, tanquam in subjecto. Ergo etiam privatio gratiæ, seu peccatum originale, in eadem essentia subjectatur.

Sed peccatum originale ex essentia animæ ad omnes hominis potentias suam corruptionem extendit, ita tamen ut voluntatem, quæ primam inclinationem habet ad peccandum, prius inficiat. *(Q. 83, a. 3).* Vehementius autem eas inficit potentias, quæ ad actum generationis concurrunt, per quam transmittitur peccatum originale, scilicet: potentiam generativam, vim concupiscibilem, et sensum tactus. « Cum omnes partes animæ dicantur esse corruptæ per peccatum, specialiter tres prædictæ dicuntur esse corruptæ et infectæ. » *(S. Th., 1. 2. q. 83, a. 4).*

ARTICULUS V.

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS.

825. — Per suam prævaricationis offensam, ut definit Concil. Trid., Sess. V, cap. I, totus Adam secundum corpus et animam in deterius commutatus est. Luctuosissimi sunt igitur peccati

originalis effectus, cum in præsenti vita, tum in altera, si ante mortem non remittitur.

826. — Primus effectus, qui etiam in baptizatis remanet, est fomes peccati, qui, ut ait Trident. Sess. V, can. 5, ex peccato est et ad peccatum inclinat, et nobis relinquitur ad agonem. Fomes peccati, qui etiam vulnus naturæ dicitur, consistit in quadam deordinatione potentiarum animæ, seu in propensione tam appetitus sensitivi quam intellectus et voluntatis, ad motus rectæ rationi repugnantes.

Quatuor enumerantur vulnera naturæ. « Per justitiam originalem, *ait S. Th.*, perfecte ratio continebat inferiores animæ vires: et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio vulneratio naturæ dicitur. Sunt autem quatuor potentiæ animæ quæ possunt esse subjecta virtutum: scilicet ratio in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. Inquantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ; inquantum vero voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; inquantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; inquantum vero concupiscibilis destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. » *(1. 2, q. 85, a. 3).*

827. — Scholium. *De Natura vulnerum naturæ lapsæ.* — Omnes theologi quatuor enumerata vulnera admittunt, sed de eorumdem natura disputant.

Alii, Molinistæ scilicet, et quidam ex Thomistis, docent, naturam non in se spectatam, sed relative tantum ad statum integritatis, esse vulneratam. Secundum eos, homo lapsus ab homine, qui in statu naturæ puræ crearetur, non aliter distinguitur, quam distinguitur spoliatus a nudo, qui nunquam fuit vestitus.

Alii vero docent cum S. Thoma, hominem lapsum esse spoliatum supernaturalibus et vulneratum etiam in naturalibus, ita ut homo lapsus differat ab homine, qui in puris naturalibus nasceretur, sicut differt spoliatus simul et vulneratus a nudo.

Secundum Molinistas igitur, vi solius peccati originalis, homo lapsus in pejori conditione quoad bonum faciendum et malum vitandum non foret, quam homo conditus in statu naturæ puræ. — Secundum S. Thomam vero pejoris foret conditionis.

Opinio S. Thomæ probabilior videtur; non tamen sic est intelligenda quasi aliquid de essentialibus hominis per peccatum ablatum sit, sed aliquid accidentale tantum. « Bona naturalia dicuntur dupliciter, *ait S. Th.*, vel prout sunt in se considerata, secundum quod naturæ debentur ex propriis principiis; et sic nec homo, nec Angelus aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est... vel secundum quod ordinantur in finem ultimum: et hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt, non quidem penitus amissa; in quantum uterque factus est minus habilis et magis distans a finis consecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, et in naturalibus vulneratus. Luc. 10, in glossa. » *(2. Sent., D. 30, q. 1, a. 1, ad 3).*

Et *S. Alphonsus* ait: « In statu præsenti, concupiscentia multo vehementius ad peccatum inclinat quam in statu naturæ puræ inclinasset, quum per peccatum intellectus hominis magis obtenebratus, et voluntas magis læsa remanserit. » *(Hist. hær. Conf. XII, a. 2).*

Vulneratio igitur ex peccato originali orta, duo importat: spoliationem scilicet illius integritatis et perfectæ harmoniæ, quam omnes facultates ex gratia obtinebant, et vulnerationem in naturalibus, per diminutionem scilicet naturalis inclinationis ad virtutem, ex qua diminutione major enascitur difficultas ad bonum operandum et malum vitandum, quam in statu naturæ puræ fuisset.

Hanc S. Thomæ sententiam confirmat traditio. Omnes fere S. Patres in parabola hominis, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones (Luc. X), genus humanum agnoscunt. De illo autem dicitur: *despoliaverunt eum, et, plagis impositis, abierunt semivivo relicto.*

828. — Secundus effectus, etiam post justificationem remanens, est mors, passibilitas, et totus miseriarum comitatus, quibus homo in hac vita premitur; quæ miseriæ a theologis *pœnalitates* vocantur. De quibus cf. Genes. c. III. — Inter has pœnalitates longe terribilior, et quam natura maximæ abhorret, est mors; et ideo Deus, ut Adamum a peccato deterreret, eam specialius ei comminatus est. (Gen. II, 17). — *(Cf. 1. 2, q. 85. a. 5 et 6; 2. 2, q. 164).*

829. — Tertius effectus, si peccatum originale ante mortem non dimittitur, est æterna exclusio e paradiso. *De fide* est eos, qui cum solo originali peccato moriuntur, Deum facie ad faciem nunquam esse visuros. Legimus enim (Joan. III, 5): *Nisi*

quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

An autem parvuli, ante usum rationis et sine baptismo decedentes, aliis pœnis, citra exclusionem e paradiso, plectantur, inter auctores disputatur.

« Quantum ad alias pœnas parvulorum, qui absque baptismo mortui sunt, *ait S. Alphonsus,* multæ proferuntur sententiæ: inter quas tres majori nomine gaudent. Prima docet, eos pati cum pœnam damni, tum pœnam sensus [1]. — Secunda tenet, eos pati pœnam damni, non autem pœnam sensus [2]. — Tertia, quæ est D. Thomæ et cardinalis Sfondrati [3], tuetur, istos parvulos a pœna sensus et a pœna damni esse liberos.

» Doctor Angelicus tanquam certum tenet, ipsos a pœna sensus esse immunes; et rationem assignat, dicens: *Pœna sensus respondet conversioni ad creaturam, et in peccato originali non est conversio ad creaturam; et ideo peccato originali non debetur pœna sensus* [4]; peccatum enim originale nullum actum includit.

» Ad pœnam damni quod attinet, licet isti parvuli a gloria sint exclusi, docet tamen S. Thomas [5] neminem ex illius boni privatione, cujus non est capax, affligi. Sicut igitur homo non dolet de eo, quod volare nequit, ita nec dolore afficiuntur parvuli ex eo, quod gloria, cujus nec per principia naturalia, nec per proprium meritum, unquam capaces fuerunt, gaudere nequeant.

» Alibi [6] alteram rationem addit S. Doctor, scilicet: Supernaturalis cognitio gloriæ non aliunde, quam per solam fidem actualem, quæ omnem naturalem superat cognitionem, accipitur; cum igitur parvuli gloriam nulla supernaturali cognitione cognoscere potuerint, de ejus privatione dolere non possunt.

» Præterea, loco supra citato *(2. Sent., D. 33)*, docet parvulos istos de exclusione ab æterna beatitudine non solum non esse contristandos, sed etiam bonis suis naturalibus necnon et divina bonitate fruituros esse, in quantum hæc fruitio per naturalem Dei cognitionem et amorem possibilis est. *Imo magis gaudebunt de hoc quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus* [7].

» Addit denique, quod, licet isti parvuli a Deo quantum ad unionem per gloriam sint separati, attamen *Deo conjunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione* [8].

[1] Ita S. August; S. Greg. M.; S. Hieronymus; Albertus Mag. etc. cf. S. Alph., *Diss. de fin. ult.*, Diss. VI, § 8. (T. VIII, p. 379). — [2] Ita Bellarm; Abulensis. — [3] *Nodus prædest.*, P. I, § 1, n. 23. — [4] *De Malo*, q. 5, a. 2. — [5] 2. *Sent.*, D. 33, q. 2, a. 2. — [6] *De Malo*, q. 5, a. 3. — [7] 2. *Sent.*, D. 33, q. 2, a. 2. — [8] *Loc. cit.*, ad 5.

» De cætero, seclusa quæstione de naturali beatitudine, qua parvuli absque baptismo mortui frui possunt, inspecta divina misericordia, valde æqua est, et mihi probabilior existit sententia, quæ docet istos parvulos in altera vita nec præmium esse recepturos, nec pœnam. » (*Cont. hær. c. II, § 3, n. 8-10; cf. Magn. prec. adj. P. II, c. 2, in fine*).

Licet vero parvuli isti quibusdam bonis fruantur, et imperfecta quadam ac relativa gaudeant felicitate, dicendum tamen est hanc eorum felicitatem non esse proprie illam beatitudinem naturalem, quæ statui naturæ puræ respondisset, si homo in eo creatus fuisset.

PARS IV.

DE GUBERNATIONE OPERIS DEI.

830. — Deus, (ut *n. 506 et seq.* dictum est) ab æterno concepit in mente sua rationem ordinis, secundum quem quælibet creatura ad finem tum generalem totius mundi, tum sibi particularem, per apta media dirigi debeat. Producta creatura, divina illa ordinis conceptio executioni mandatur; quæ actualis ordinis executio *gubernatio* dicitur. Gubernatio igitur est: *divinæ providentiæ executio;* seu: *actualis directio rerum provisarum in finem secundum rationem ordinis in mente divina præexistentis.*

Mundum universum et quamlibet etiam minimam creaturam a Deo gubernari, et in finem suum dirigi, ex iis abunde constat, quæ de divina providentia dicta sunt. Illud ergo solum restat, nimirum ut de effectibus divinæ gubernationis quædam addantur.

« Duo, *ait S. Thomas*, sunt gubernationis effectus, scilicet conservatio rerum in bono, et motio earum ad bonum. » *(P. 1, q. 103, a. 4).*

Agemus igitur I. De rerum conservatione;
II. De earum motione in finem.

CAPUT I.

DE RERUM CONSERVATIONE [1].

831. — Conservare est efficere ut aliquid in esse, vel in certo statu essendi, perseveret; etenim « conservatio rei non est nisi continuatio esse ipsius. » *(Cont. Gent. III, 65).*

[1] Cf. P. 1, q. 104; *De Potent.* q. 5; *Cont. Gent.* III, 65.

Ad rei conservationem aliquis multipliciter concurrere potest, videlicet:

Negative, quatenus rem, quam destruere posset, non destruit. Tali modo omnia a Deo, quippe qui omnia annihilare posset, conservari indigent.

Positive, sed indirecte et per accidens, quatenus aliquis contraria, quæ rem corrumpere possent, removet; sicut si aliquis puerum custodiat, ne cadat in ignem, eum conservare dicitur. « Et sic Deus dicitur aliqua conservare, sed non omnia: quia quædam sunt quæ non habent corrumpentia, quæ necesse sit removere ad rei conservationem. » *(Q. 104, a. 1).*

Positive, et per se directe, « quando scilicet illud quod conservatur, dependet a conservante, ut sine eo esse non possit. » *(Q. 104, a. 1).*

Hæc conservatio positiva directa potest esse vel *mediata*, vel *immediata*. *Mediata* consistit in influxu aliquorum principiorum vel dispositionum, quæ necessaria sunt ut res in esse conservetur; cujusmodi, v. g., sunt calor et humiditas in corpore humano. — *Immediata* consistit in continuo influxu illius esse, quod Deus creaturæ ab initio elargitus est. Hæc est principalior conservatio, quæ vocatur etiam *continuata creatio*, « non enim aliter (Deus) eas in esse conservat quam semper eis esse dando. » *(P. 1, q. 9, a. 2)*. Unde « conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse. » *(Q. 104, a. 1, ad 4).*

832. — **Prop.** *Res creatæ indigent a Deo conservari.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. XI, 26): *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non est conservaretur?* — (Hebr. I, 3): *Portans omnia verbo virtutis suæ.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Augustinus:* « Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa est subsistendi omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et cessaret illorum species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structor

ædium, cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. » *(Super Gen. ad litt. l. IV, c. 12).* — Et *S. Gregorius Naz.:* « Quonam modo universa hæc rerum moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum creatura protulisset, atque conservaret? » *(Orat. 34).*

III. **Ex Ratione.** « Nullus effectus, *ait S. Thomas,* potest remanere si auferatur id quod erat causa ejus in quantum hujusmodi. » *(De Verit., q. 5, a. 8, ad 8).* Sic, v. gr., in artificialibus, architectus est causa efficiens non ipsius esse, sed του *fieri domus,* ac proinde cessante actione ædificatoris, cessat effectus, id est, το *fieri domus;* et in naturalibus, forma est causa του *esse lapidis,* ac proinde cessante forma, destruitur το *esse lapidis.* Sed cum Deus sit ipsum esse essentialiter, necesse est ut ab ipso sit omne esse participatum: Deus ergo est causa non solum του fieri, sed του esse cujuslibet creaturæ. Ergo si actio Dei cessaret, ipsum esse cujuslibet creaturæ evanesceret. Igitur « absque omni dubio concedendum est quod res conservantur in esse a Deo, et quod in momento in nihilum redigerentur, cum a Deo desererentur. » *(De Pot., q. 5, a. 1).*

833. — **Quæritur I.** *An Deus omnia immediate conservet.*

Resp. Cum conservatio sit continuata creatio, de conservatione loquendum est sicuti de ipsa rerum productione. Præterea, in qualibet re, *esse* possumus dupliciter considerare, scilicet ipsum *esse absolutum,* et *esse contractum* in tali genere, vel tali specie, vel tali individuo.

Jamvero, quædam sunt quæ Deus solus produxit, tum quoad *esse absolutum,* tum quoad *esse tale:* ut sunt Angeli, animæ humanæ, cœli, etc. Et hæc Deus solus immediate conservat.

Quædam sunt, ad quarum productionem Deus causas secundas, non solum materialem et formalem, quæ intrant in essentiam rei, sed etiam efficientem adhibet; sicut, v. gr., sol ad hominis generationem concurrit; in his autem Deus producit *esse absolutum* immediate; causæ autem secundariæ producunt *tale esse;* v. g., esse lapidis, vel plantæ. In his ergo Deus solus immediate esse absolutum conservat; ad conservandum vero esse *hoc* vel *tale,* causis intermediis utitur; sic, v. gr., ad conservationem plantæ vel animalis, plures causæ secundæ concurrunt. « In ipsa rerum creatione, *ait S. Th.,* (Deus) ordinem in rebus insti-

tuit, ut quædam ab aliis dependerent, per quas secundario conservarentur in esse; præsupposita tamen principali conservatione quæ est ab ipso.» *(Q. 104, a. 2, ad 1).*

834. — Quæritur II. *An Deus aliquid in nihilum redigere possit.*

Resp. *Affirmative.* «Quod Deus creaturæ esse communicat, *ait S. Th.*, ex Dei voluntate dependet; nec aliter res in esse conservat, nisi in quantum eis continue influit esse. Sicut ergo antequam res essent, potuit eis non communicare esse, et sic eas non facere, ita postquam jam factæ sunt, potest eis non influere esse et sic esse desinerent, quod est eas in nihilum redigere.» *(Q. 104, a. 3).*

Sed de facto Deus nihil annihilat. Dicitur enim (Eccles. III, 14): *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverarent in æternum.* Creaturæ enim spirituales ex natura sua ita comparatæ sunt, ut semper durent; corporalia vero, quando esse desinunt, non penitus destruuntur, sed in principia componentia resolvuntur; formæ etiam et accidentia «non omnino in nihilum rediguntur, non quia aliqua pars eorum remanet, sed remanent in potentia materiæ vel subjecti.» *(Q. 104, a. 4, ad 3).*

CAPUT II.

DE RERUM MOTIONE IN FINEM.

835. — Res a Deo productæ et in esse conservatæ divina insuper motione indigent, ut in ordine ad finem suum operari valeant: quæ motio, *concursus divinus* nuncupatur, et in influxu quodam ipsius Dei in actionem causæ secundæ consistit.

Duplex distinguitur concursus, *moralis* scilicet et *physicus*. — *Concursus moralis* consistit in influxu morali, qui fit suasione, exhortatione, jussione, comminatione, etc. — *Concursus physicus* consistit in influxu physico, v. gr., augendo vires agentis, vel eamdem cum agente eliciendo actionem, vel agens physice ad opus applicando.

Concursus physicus subdividitur in *mediatum* et *immediatum*. Concursus *mediatus* dicitur ille, quo Deus vires ad operandum tribuit atque conservat; *immediatus* vero ille est, quo Deus ad ipsam actionem causæ secundæ cooperatur.

Concursus physicus immediatus etiam subdividitur in *prævium* et *simultaneum*. Concursus *prævius* est influxus divinus

actionem creaturæ præcedens et causam secundam intrinsece et active ad agendum applicans. Concursus *simultaneus* est influxus, quo causa prima cum actione causæ secundæ ad eumdem cum ea producendum effectum concurrit.

Demum, concursus physicus prævius duplex distinguitur, *generalis* scilicet et *particularis*. *Generalis* est influxus, quo Deus voluntatem physice et prævie movet et inclinat *ad bonum in genere*, qua prævia motione voluntas actuatur, et de potentia agendi transit in actum. — *Particularis* est influxus quo Deus, secundum juniores Thomistas, in quovis casu particulari, voluntatem prævie, active, physice et intrinsece applicat et determinat ad agendum. Qui concursus specialis *prædeterminatio physica* nuncupatur, quia Deus prævie et active voluntatem determinat ad omnes et singulas actiones.

Quibus notatis, dicendum est:

836. — I. *Deus concursu mediato ad omnes creaturarum actiones concurrit.* — Deus enim est, qui creaturis dedit esse, et formam, ac virtutem agendi; et hæc omnia in esse conservat. « Actionis alicujus rei, *ait S. Thomas*, res alia potest dici causa multipliciter. Uno modo quia tribuit ei virtutem operandi... et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt. » *(De Pot., q. 3, a. 7).*

837. — II. *Deus concursu prævio causas secundas ad agendum applicat.* — Deus enim est primum movens immobile, a quo omnis creaturarum motus necessario procedit. « Sed quia nulla res, *ait S. Thomas*, per seipsam movet vel agit nisi sit movens non motum, tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota, eo quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cœlum autem est alterans non alteratum, et

tamen non est movens nisi motum, et hoc non cessat quousque perveniatur ad Deum: sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum. » *(De Pot., q. 3, a. 7).*

838. — III. *Deus concursu simultaneo cum omnibus creaturarum actionibus concurrit.* — Legimus enim (Is. XXVI, 12): *Omnia opera nostra operatus es nobis.* — (I. Corint., XII, 6): *Operatur omnia in omnibus.* — (Phil. II, 13): *Operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

Probatur etiam ratione: In omni actione adest realitas quædam physica, seu quoddam *esse.* Atqui esse participatum, quodcumque sit, non potest causari tanquam a propria causa, nisi ab eo, qui est esse per essentiam, qui est solus Deus. Ergo quia « ipse Deus est proprie causa ipsius esse universalis in omnibus rebus, quod inter omnia est magis intimum rebus, sequitur quod Deus in omnibus intime operetur. » *(Q. 105, a. 5).* — Et: « Omne operans est aliquo modo causa essendi, vel secundum esse substantiale, vel accidentale. Nihil autem est causa essendi, nisi in quantum agit in virtute divina. Omne igitur operans operatur per virtutem Dei. » *(Cont. Gent. l. III, 67; cf. etiam c. 66).*

« Sic ergo, *concludit S. Thomas,* Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ » *(De Pot., q. 3, a. 7).*

839. — **Scolium I.** *De conciliatione divinæ cooperationis cum operatione creaturæ.* — 1. Deus « in quolibet operante immediate operatur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ. » Quomodo autem in una eademque actione cooperentur Deus et creatura, explicat S. Doctor, *(Cont. Gent. III, c. 70):* « Non sic idem effectus causæ naturali et divinæ virtuti attri-

buitur quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus. »

2. Igitur totus effectus a Deo et totus a causa secunda procedit, *sed secundum alium modum.* Eam autem modi diversitatem declarat *D. Th. (Cont. Gent. III, 66):* « Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis; secunda autem agentia quæ sunt quasi particulantia et determinantia actionem primi agentis, agunt, sicut proprios effectus, alias perfectiones quæ determinant esse. » — Et, *(De Verit., q. 5. a. 9, ad 10)* addit: « Causa primaria plus dicitur influere quam secunda, in quantum ejus effectus est intimior et permanentior in causato quam effectus causæ secundæ: tamen magis similatur causæ secundæ, quia per eam determinatur quodam modo actus primæ causæ ad hunc effectum ».

840. — Scholium II. *De divino concursu ad liberas hominis actiones.* — In hac quæstione de concursu Dei ad actiones creaturarum acerrima inter Theologos viget controversia, quando nimirum de motione voluntatis humanæ quæstio agitatur.

Molinistæ omnem concursum Dei prævium, ut libertati contrarium, prorsus rejiciunt, unumque admittunt concursum simultaneum, quo Deus agit, non in voluntatem ut eam ad operandum moveat, sed cum voluntate, ad eumdem cum ea producendum effectum [1].

Antiquiores thomistæ, qui ante Bannesium floruerunt, docent communiter: præter concursum simultaneum admittendam esse motionem quamdam physicam prævium, *sed generalem*, qua Deus voluntatem creatam ad bonum in genere movet, et de potentia reducit ad actum; voluntatem autem, hac prævia motione actuatam, seipsam ex consilio propriæ rationis ad bona particularia determinare; prædeterminationem vero phy-

[1] Cf. Liberatore, *Theol. nat.*, c. IV, a. 2.

sicam voluntatis ad bona quæque particularia, omnino rejiciunt.

Juniores thomistæ, qui post Bannesium claruerunt, docent, ad omnes et singulos actus voluntatis, etiam ad actum peccaminosum, necessariam esse motionem Dei prævíam physicam, non sólum generalem, sed particularem, determinate scilicet ad quemlibet actum: eo tamen cum discrimine, quod ad actum peccaminosum quod attinet, Deus movet ad actum non in quantum est peccaminosus, sed in quantum est realitas quædam physica.

Hanc physicam præmotionem seu prædeterminationem definiunt: *Influxus quo Deus præcie, active et intrinsece applicat causam secundam ad agendum.* (Goudin. *Phil.*, P. IV, disp. 2, q. 3, a. 2°. Hanc autem physicam prædeterminationem ad quemlibet actum adeo necessariam dicunt, ut, nisi Deus voluntati quoad quemlibet actum inspiret actualem efficacitatem, physice et active, eam *interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo.* Goudin), voluntas ad nihil unquam sese determinare possit. — Hanc genuinam S. Thomæ mentem esse contendunt.

Quid in hac quæstione verisimilius videatur, paucis indicabimus: prænotando tamen in præsenti quæstionem non moveri de actibus hominis supernaturalibus, de quibus in tractatu de gratia sermo occurret; sed de actibus liberis in ordine pure naturali.

841. — Prop. I. *Præter concursum simultaneum admittendus est pro voluntate humana concursus quidam prævius physicus.*

Probata manet propositio ex ratione generali supra allata *(n. 837)*. Præterea, *ut ait S. Thomas (1. 2, q. 9, a. 4)*. « Quantum ad exercitium actus adhuc necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Omne enim quod quandoque est agens in actu, et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad volendum....

Unde necesse est ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis.» — « Et ideo quantumcumque natura aliqua spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo.» *(1. 2, q. 109, a. 1).*

Nec satis est dicere Deum, ut objectum, voluntatem movere. Etenim, *ut ait S. Thomas (1., q. 108, a. 4):* « voluntas movetur ab objecto quod est bonum, et ab eo qui causat virtutem volendi... Solus autem Deus est bonum universale. Unde ipse solus implet voluntatem, et sufficienter eam movet ut objectum. Similiter autem et virtus volendi a solo Deo causatur. Velle enim nihil aliud est quam inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod est bonum universale. Inclinare autem in bonum universale est primi moventis cui proportionatur ultimus finis; sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est ejus qui præest multitudini. Unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo modo interius eam inclinando. »

842. — Prop. II. *Admitti potest prædeterminatio physica in sensu recentiorum thomistarum: sed melius est eam hoc sensu acceptam rejicere.*

Prob. I. Pars, ex auctoritate præsertim neo-thomistarum, qui eam unanimiter admittunt: et ex libertate, quam ex hac parte cuilibet tribuit Ecclesia.

Prob. II. Pars, id est, *melius rejicitur*[1]. — Ex innumeris, quæ contra istam prædeterminationem physicam militant, argumentis, duo indicasse ad propositum nostrum sufficit:

a) Prædeterminatio physica non videtur stare posse cum libertate hominis[2].

Prob. Voluntas non est libera in his, in quibus non potest non operari, vel ad quorum opposita ipsa sese determinare non potest. Atqui hoc locum habet in prædeterminatione physica. Ergo.

[1] Cf. Effinger. *Conc. thom.* P. I, Diss. V, p. 239. — [2] *Ibid.*, Diss. V, § 2, p. 262.

Prob. min. S. Thomas *(1. 2, q. 10, a. 4, ad 3)* ait: « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur. » Ergo, posita prædeterminatione, voluntas non potest non operari; ergo tollitur libertas indifferentiæ.

Præterea, *(4. Sent., D. 49, q. 1, a. 2, q. 2, ad 1)*, ait: « Potentia rationalis se habet ad opposita in his quæ ei subsunt: et hæc sunt illa quæ per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum quæ sunt ei ab alio determinata: et ideo voluntas non potest in oppositum ejus ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi: potest autem in oppositum eorum quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet. » Ergo, si voluntas ad bona particularia ex præmotione physica prædeterminaretur, ipsa non posset in eorum oppositum; ac proinde tolleretur libertas specificationis.

b) Prædeterminatio physica non videtur stare posse cum Dei sanctitate.

Prob. Si Deus prævie et physice voluntatem interius inclinat, determinat, et applicat ad actum malum, v. gr., ad actum odii Dei, licet hæc motio ad solam actus entitatem, non autem ad ejus difformitatem sese extendat; si, posita hac Dei prædeterminatione ad entitatem actus mali, impossibile est voluntatem hic et nunc ad illum actum non moveri, non apparet quomodo Deus non sit causa peccati.

Hac ratione ducti, antiquiores thomistæ prævium motionem Dei ad actus malos omnino rejecerunt, *teste Sebastiano Knippenberg, Ord. Præd.*, qui in sua responsione ad P. Kirsch S. J., art. 3, concl. 2 scribit: « Licet Deus generaliter inclinet, seu moveat causas secundas ad connaturales suos actus, non tamen per particularem motionem directe sive determinate movet voluntatem ad materiam illicitam, seu ad id quod de se est illicitum: Ita communiter antiquiores thomistæ: *Capreolus (2. Sent., D. 37, q. 1, a. 2):* « Motio Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid quod est secundum se malum. » *Conradus (1. 2, q. 79, a. 1):* « Non oportet, cum ali-

quis vult, antequam velit, prævium esse motionem Dei, cum volitio sit mala; » et *(q. 9, a. 6, ad 3):* « Voluntas nunquam movetur ad malum a Deo, sed ad bonum in communi; sed si aliquem determinate ad bonum verum moveat, hoc non est generale. » — *Soto (Lib. I, De gratia et natura, c. 18); — Ferrariensis (3 Cont. Gent. c. 71); — Medina (1. 2, q. 79, a. 2);* — etc... — Omnes dicunt Deum esse causam actus qui est in peccato, et ab illo esse ut primo motore; sed inde non sequitur quod etiam determinate moveat ad illum exercendum in materia illicita; unde *Gonsalez (in I. p. Disp. 59, sect. 2)*, sic scribit: « Dico tertio: Deus non concurrit concursu prævio in voluntatem, physice prædeterminando illam per se et directe ad actum peccati hic et nunc. Conclusio est expresse S. Thomæ et discipulorum ejus: Pro contraria sententia inducit Didacum Alvarez, forsitan ipse est primus. » *(Apud Effinger, p. 142).*

Si autem cum sola motione prævia ad bonum in genere, absque speciali motione particulari, voluntas seipsam determinare potest ad actum malum, non apparet ratio cur hæc motio generalis non sufficeret, ut voluntas per eam ad actum bonum ordinis naturalis seipsam determinare possit. Sit igitur:

843. — Prop. III. *Deus motione prævia movet hominem ad bonum in genere, et homo ista motione actuatus sese ad bona particularia determinat*[1].

Prob. **Ex Auctoritate D. Thomæ.** Doctrina, quæ in prop. enuntiatur, est expressa S. Thomæ doctrina. « Deus, *inquit*, movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam. » *(1. 2, q. 9, a. 6, ad 3).*

[1] Cf. Kœllin, I. II., q. IX, a. 6, ad 3; Effinger, *Conc. thom.*, diss. III, § 3, p. 128; Duplessis, *Dissert. De prædet. phys.* (inter Opera Grandin) t. 3, in fine, et t. 6, p. 392.

Et. *De Verit., q. 22, a. 6*, ait *S. Doctor:* « Quia omne mobile reducitur ad immobile, et indeterminatum ad determinatum, sicut ad principium: ideo oportet quod id ad quod voluntas est determinata, sit principium appetendi ea ad quæ non est determinata, et hoc est finis ultimus. Invenitur autem indeterminatio voluntatis respectu trium; scilicet respectu objecti, respectu actus, et respectu ordinis in finem. » Ergo si voluntas est indeterminata respectu horum trium, non potest dici quod sit ab ipso Deo ad quemlibet actum determinata; sed ipsa voluntas « in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum quæ sunt ad finem. » *(1. 2, q. 9, a. 3, ad 1).*

Cum autem voluntas sit indifferens ad utrumlibet, in hac sua determinatione dirigitur per consilium rationis: « Voluntas cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum. » *(Cf. etiam P. 1, q. 105, a. 4; et 4 Sent. in propositione præcedente citatum)* [1].

Quod magis adhuc ex eo manifestatur, quod S. Thomas contraponit modum operandi Dei in rebus naturalibus modo operandi in voluntate: *(2. Sent., D. 25, q. 1, a. 1, ad 3):* « Deus operatur in omnibus ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem; unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi et sicut determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio, hoc modo agit ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur: unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti. » *(Cf. etiam 2. Sent., D. 38, q. 1, ad 1).*

844. — Hanc esse mentem divi Thomæ testatur *Conradus Kællin* [2], antiquior thomista, dicens, quod motio Dei specialis ad actum « non videtur esse mens D. Thomæ; sed solum quod Deus semper sicut universalis motor omnis voluntatis movet omnem voluntatem in ordine suo ad bonum ut sic, quia vi-

[1] Cf. Effinger, p. 244. — [2] Cf. 1. 2, q. 9, a. 6, ad 3; Cf. etiam q. 109, a. 1 et 2; Effinger, Dist. V, § 1.

delicet Deus movendo ad exercitium movet ut velit aliquid secundum conditionem naturæ suæ, quæ est inclinatio potentialis in bonum ut sic, quod quidem bonum continet sub se apparens et existens, et sine motione Dei ad exercitium, quæ tamen est per generalem influentiam, voluntas nihil posset velle sicut nec quodcumque creatum agere potest quamcumque actionem sine motione Dei generali; sed hac motione præsupposita, voluntas per innatam libertatem ex indeterminatione rationis potest sub ista motione Dei se determinare ad hoc vel illud bonum; et ex hac ratione incidit peccatum. » Cum Conrado Kœllin concordant antiquiores et celeberrimi interpretes D. Thomæ, qui ante ortam litem de physicis prædeterminationibus claruerunt [1].

Possumus igitur admittere mentem S. Thomæ eam esse, scilicet: Deum physice et prævie movere hominem sola motione generali ad bonum in genere; hominemque sic motum, absque particulari motione prævia, per rationis judicium seipsum ad hoc vel illud bonum in particulari determinare.

Hac ratione optime explicatur peccatum, quomodo scilicet sit et a Deo et ab homine. *Est a Deo* in quantum est realitas quædam, quam Deus concursu simultaneo una cum creatura producit [2], sicuti supra dictum est de quolibet esse (*n. 838*). *Est ab homine*, in quantum homo, sub motione Dei generali, seipsum determinat ad bonum quoddam particulare, quod est apparens bonum, non habens debitam rectitudinem: et ideo tota deformitas est ab homine. « Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, *ait S. Th.*, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante sed ab ipsa voluntate:... et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur; unde si aliquis defectus sit in actu ejus, ipsi voluntati in culpam et peccatum imputatur. » *(2. Sent., D. 38, q. 1, a. 1).*

[1] Plurima eorum testimonia reperies apud Did. Ruiz. *De Scientia Dei*, Disp. 49, Sect. 6, p. 434. — [2] Cf. 1. 2, q. 79, a. 2.

EXPLICIT TRACTATUS DE DEO CREATORE.

TRACTATUS QUARTUS.

DE INCARNATIONE.

Conspectus generalis.

- **Pars I.** De ipso Mysterio Incarnationis.
  - SECTIO I. *De ipso Mysterio.*
    - CAP. I. De Inc. convenientia, necessitate et fine.
      - A. 1. De Convenientia.
      - A. 2. De Necessitate.
      - A. 3. De Fine seu motivo.
    - CAP. II. De Natura Incarnationis.
      - A. 1. Prænotanda.
      - A. 2. Unitas personæ in Christo.
      - A. 3. Dualitas naturarum in Christo.
      - A. 4. De Divinitate Christi.
      - A. 5. De Christi natura humana in speciali.
  - SECTIO II. *De Consequentibus Unionem.*
    - CAP. I. De consequentibus unionem relate ad ipsum Christum.
      - A. 1. Dualitas voluntatum et operationum in Christo.
      - A. 2. Communicatio idiomatum.
      - A. 3. Perfectiones in anima Christi.
        - § 1. Gratia et Virtutes.
        - § 2. Scientia.
        - § 3. Potentia.
      - A. 4. Defectus a Christo assumpti.
        - § 1. Defectus corporis.
        - § 2. Defectus animæ.
    - CAP. II. De his quæ Christo conveniunt relate ad Patrem.
      - A. 1. Subjectio Christi.
      - A. 2. Oratio Christi.
      - A. 3. Sacerdotium Christi.
      - A. 4. Filiatio Christi.
      - A. 5. Prædestinatio Christi.
    - CAP. III. De consequentibus unionem relate ad homines.
      - A. 1. De Christo Mediatore.
      - A. 2. De Christo Capite Ecclesiæ.
      - A. 3. De Christo Rege
        - spirituali
        - temporali.
      - A. 4. De Cultu Christo exhibendo.
        - § 1. De Adoratione humanitatis Christi.
        - § 2. De Cultu SS. Cordis Jesu.
        - § 3. De Adoratione Crucis.
        - § 4. De Cultu Sanctorum.
- **Pars II.** De Opere Redemptionis.
  - CAP. I. De Passione in genere.
  - CAP. II. De Causa efficiente Passionis.
  - CAP. III. De Modo efficiendi Passionis.
    - A. 1. Per modum satisfactionis.
    - A. 2. Per modum redemptionis.
    - A. 3. Per modum meriti.
  - CAP. IV. De Effectibus Passionis.
    - A. 1. Relate ad homines.
    - A. 2. Relate ad ipsum Christum.

INTRODUCTIO [1].

845. — Divina benignitas genus humanum misere collapsum in suo infelicissimo statu absque spe veniæ non dimisit; sed antequam protoparentes e paradiso ejiceret, Deus Salvatorem eis promisit, qui, quod diaboli invidia ceciderat, restauraret. Quum igitur prædifinitum advenit tempus, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et ascendens crucem delevit quod adversus nos erat chirographum decreti.

Quia igitur humani generis ruinam in superiori tractatu consideravimus, ejusdem reparatio in hocce tractatu considerauda jure meritoque statim occurrit. Agendum est ergo de magno Redemptionis nostræ negotio, et de altissimo Incarnationis mysterio, « quod quidem, *ait S. Th.*, inter divina opera maxime rationem excedit: nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum quam quod verus Deus Dei Filius fieret homo verus. » *(Cont. Gent. IV, 27).*

846. — **Momentum tractatus.** — Maximi momenti est doctrina de Verbi Incarnatione: Incarnationis quippe mysterium est totius religionis christianæ fundamentum et cardo, ad quod omnia alia Dei mirabilia ordinantur, ut ait S. Th. *(loc. cit.)*. Et re quidem vera, quæ in Vet. Test. gesta aut revelata sunt, ad Christum fuerunt ordinata: ea vero mirabilia, quæ in Novo Test. a Deo facta sunt, instituta sunt ut finis dominicæ Incarnationis obtineretur, utque Christus omnia in om-

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas*, Summa, P. 3, q. 1-59; Cont. Gent., l. IV, c. 27-55; In 3 Sent., d. 1-17. - *S. Alphonsus*, Hist. hær. Confutationes. — *De Rhodes*, Disput. theol. dogm., De Incarnat. — *Tolet*, In 3 P. D. Th. — *Isambertus*, In 3 P. D. Th. — *Gabriel a S. Vincentio*, In 3 P. D. Th. — *Gonet*, Clypeus et manuale. — *Contenson*, Theol. mentis et cordis, l. 9 et 10. — *Gotti*, Theol. schol. — *Billuart*. — *Gibbon*, Speculum theol. — *Wenzl*, Theol. schol. — *Suarez*, De Incarnat. — *Medina*, In 3 P. D. Th. - *Nugno*, In 3 P. D. Th., De Incarnat., etc.

nibus fieret. Quam ob rem testatur Apostolus se non aliud scire *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* (I Cor., II, 2).

Præterea, in doctrina de Incarnatione plura nostræ religionis dogmata innituntur, ut doctrina de gratia et justificatione, de Sacramentis, de resurrectione, de extremo judicio: quorum proinde recta intelligentia accuratam Incarnationis atque Redemptionis notitiam prærequirit. — Ad ipsius etiam Ecclesiæ penitiorem cognitionem prærequiritur cum Verbi Incarnati tum Redemptionis cognitio: est enim Ecclesia corpus Christi mysticum; et ipsa his in terris pro fine habet visibilem Christi missionem perennem reddere, atque ad extremos usque terræ limites extendere *(n. 167).*

Ex omnibus igitur religionis nostræ mysteriis nullum est quod theologorum ingenia utilius simul et suavius exerceat, quam ineffabile dominicæ Incarnationis mysterium: *sublimior philosophia*, ait S. Bernard., *est scire Jesum. (Serm. 44, in Cant.).*

847. — Errores. — Multi et gravissimi errores, ut in decursu tractatus videbimus, circa Incarnationis mysterium irrepserunt. Cum enim tanti momenti sit istud mysterium, atque Verbi incarnati recta et diligens cognitio homines in ejus amorem rapiat, nihil humani generis inimicus omisit, ut illius fidem e cordibus eradicaret. «Summopere displicet diabolo, *inquit S. Alphonsus*, videre homines gratitudine et amore animatos erga Jesum Christum, dilectissimum Redemptorem nostrum. Princeps enim tenebrarum totis viribus semper nisus est, ut ope perversorum hominum frequentissimos per totum orbem terrarum spargeret errores, eo fine, ut fidem in Incarnationem Filii Dei extingueret, et consequenter e cordibus nostris amorem erga Jesum Cristum evelleret, qui, assumendo carnem nostram, Salvator noster fieri dignatus est.» *(Hist. hær., c. VII, n. 15).*

848. — Divisio tractatus. — Tractatum, duce S. Thoma, in duas partes dividemus. Circa Salvatorem «duplex consideratio occurrit, *ait S. Doctor*, prima est de ipso incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; secunda de his quæ per ipsum Salvatorem nostrum, id est, Deum incarnatum, sunt acta et passa.» *(Prol. ad P. 3).* — Agendum est igitur in parte I. de ipso Incarnationis mysterio; et in parte II. de opere Redemptionis.

PARS I.

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO.

849. — Mysterium Incarnationis est unio duarum naturarum, divinæ et humanæ, in una persona Verbi, remanente perfecta naturarum distinctione. — Hanc autem duarum naturarum unionem multa consequuntur, quibus nobis venerandæ Salvatoris personæ intima notio exhibetur. Ut igitur in dicendis nulla suboriatur confusio, et omnia tamen, quæ ad Christi Domini personam spectant, et cum nostram de Redemptore notitiam augere, tum cordis affectum erga eum accendere valent, referantur, hanc partem in duas sectiones dispescimus:

In Sectione prima sermo proprie erit de Mysterio,

In Sectione secunda, de iis quæ unionem consequuntur.

SECTIO I.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

Verbi divini Incarnatio duplici sub respectu considerari potest, videlicet: vel quoad suam intrinsecam naturam: vel quoad suam convenientiam, necessitatem et finem. Unde, antequam de intrinseca ipsius natura sermo instituatur, quædam de ejus convenientia, necessitate et fine sunt præmittenda.

CAPUT I.

DE INCARNATIONIS CONVENIENTIA, NECESSITATE ET FINE.

ARTICULUS I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

850. — Unio duarum naturarum, humanæ et divinæ, in persona Verbi divini, altum est mysterium, cujus possibilitatem

aut convenientiam ratio sibi relicta nec probare nec excogitare potest. Prælucente tamen fidei lumine, mens humana optimas rationes et congruentias invenire potest ad demonstrandum, Deo divinisque attributis, necnon et hominis indigentiis omnino consentaneum fuisse, ut ad reparationem generis humani Verbum divinum carnem ex stirpe Adami assumeret. « *Si quis, ait S. Th., diligenter et pie Incarnationis mysterium consideret, inveniet tantam sapientiæ profunditatem quod omnem humanam cognitionem excedat, secundum illud Apostoli* (I Cor. I, 25): Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. *Unde fit ut pie consideranti semper magis ac magis admirabiles rationes hujusmodi mysterii manifestentur.* » *(Cont. Gent., IV, 54).* Sint igitur sequentes propositiones.

851. — Prop. I. *Divini Verbi Incarnatio fuit Deo convenientissima* [1].

Prob. I. **Ex natura bonitatis.** Bonum est sui diffusivum. Cum igitur Deus sit summa bonitas, conveniens est ut summo modo sese communicet. Atqui in Incarnatione Deus summo modo sese communicavit. Ergo Incarnatio est Deo convenientissima.

Prob. min. « Nullus, *ait Contenson,* major est, vel excogitari potest communicationis modus eo quo natura divina et humana in eodem supposito subsistunt, et quo Creator et creatura una eademque persona evadunt. Nam in ordine quidem naturæ dat Deus dona sua, sed naturalia; in ordine gratiæ dat quidem supernaturalia, sed creata; in ordine gloriæ dat quidem seipsum, sed in esse intelligibili: at in unione hypostatica dat seipsum secundum esse proprium, naturale, et personale, ita ut sit verum dicere: Deus est homo, homo est Deus. » *(L. IX, diss. præamb. c. I, spec. 3).*

II. **Ex divinorum attributorum manifestatione.** Illud est Deo convenientissimum, per quod divina attributa nobis maximopere manifestantur. Atqui in Verbi Incarnatione divina

[1] Cf. S. Th., P. 3, q. 1, a. 1; 3 *Sent.* D. 1, q. 1, a. 2; Gonet, *Clyp.* De Inc., disp. 3, a. 1; Tolet., In q. 1, a. 1.

attributa, speciatim bonitas et caritas, sapientia, potentia, justitia et misericordia, nobis manifestantur. Ergo.

Prob. min. a) Manifestatur Dei BONITAS atque CARITAS « quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem, » *ut ait S. Joan. Damascenus (De fide orth. L. III. c. 3).* Poterat enim Deus, commisso peccato, hominem in suo delicto derelinquere atque æterno a se repellere. Sed creaturam lapsam non despexit, etenim: *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* (Joan. III, 16). Et in hoc *commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* (Rom. V, 8). Et: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Deus.* (Tit. III, 4).

b) Manifestatur Dei SAPIENTIA: « Rei admodum dubiæ et difficilis, *ait S. Joan. Damascenus*, decentissimam invenit solutionem. Debebat enim homo, sed non poterat solvere; Deus habebat unde solveret, sed non debebat. Misericordia clamat remissionem, justitia exigebat solutionem. Quid sapientius quam excogitare modum, quo homo ipse haberet unde solveret tali modo, ut misericordia et justitia simul contentæ essent? et sic justitia et pax osculatæ sunt. » *(loc. cit.).*

c) Manifestatur Dei POTENTIA seu VIRTUS INFINITA, « quia nihil est majus quam Deum fieri hominem, » *ait Damascenus (loc. cit.).* — Et S. Greg. Nyss: « Naturam omnipotentem ad humanæ naturæ vilitatem potuisse descendere, majus est potentiæ argumentum, quam ingentia quælibet ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquid et excelsum elaborare divinam potentiam, naturæ quodammodo consentaneum est et consequens.... At vero delapsus ille ad id quod abjectum est et humile, abundantia quædam est potentiæ. » *(Lib. catech. c. 24).* — Qua de causa Incarnatio antonomastice vocatur opus Dei: *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* (Habac. III, 2).

d) Manifestatur Dei JUSTITIA: Divina justitia in eo relucet quod Deus peccatum, nonnisi condigna et rigorosa satisfactione prius exhibita, remittere decrevit. Quum autem nulla pura creatura hujusmodi satisfactionem Deo Patri offerre pos-

set. Ipsum Divinum Verbum caro factum est, ut pro delictis nostris Deo condignam satisfactionem exsolveret. Quocirca Apostolus divini Verbi Incarnationem, opus divinæ justitiæ vocat: *Quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* » (Rom. III, 25). Qua mirabili substitutione Dei justitia magis manifestatur, quam si a puro homine Deus aliqualem satisfactionem exegisset. *(Cf. S. Th., P. 3, q. 47, a. 3, ad 1).*

c) Manifestatur Dei MISERICORDIA, « quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanæ naturæ, *ait S. Th.*, Deus ei satisfactorem dedit Filium suum, secundum illud (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius:* et hoc fuit abundantioris misericordiæ quam si peccata absque satisfactione dimisisset. Unde dicitur (Ephes. II, 4): *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimium caritatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* » (Q. 46, **a. 1, ad 3**).

852. — Prop. II. *Incarnatio est humanæ naturæ maxime conveniens*[1].

PROB. Illud est naturæ humanæ maxime conveniens, quod ipsi maxima commoda atque utilitates adfert, ipsique maximam perfectionem impertitur. Atqui hoc præstitit divini Verbi **Incarnatio. Ergo.**

Prob. min. 1. Per Incarnationem natura humana propter suam unionem cum persona divina, ad plenam divinitatis participationem elevata est, atque ad tantum celsitudinis gradum evecta, ut altius attolli nequeat.

2. Per Incarnationem homines in ordine gratiæ caput habent homogeneum et ejusdem naturæ, a quo omnium gratiarum charismata in membra defluunt. *Ego sum vitis, vos palmites.* « Unius quippe naturæ sunt vitis et palmites, *ait*

[1] Cf. Gonet, *Clyp.*, disp. 3, a. 1, n. 19; Lessius, *De perf. div.*, l. XII, c. 8 et 9; S. Alphons., *Novena pro Nat. Dom.*, disc. 1.

S. August., cum ergo esset Deus cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus.» *(Tract. 80, in Joan.).*

3. Per Incarnationem Deus perfectum omnium virtutum exemplar nobis proposuit: « Homo sequendus non erat, *ait S. August.*, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini et qui videretur ab homine, et quem homo sequeretur, Deus factus est homo.» *(Serm. 52, de diversis).*

4. Christus factus est homo, ut homo haberet in Deo unde fieri posset plene beatus: *in anima*, videndo Christi Divinitatem; *in corpore*, videndo ejus humanitatem, ut tota hominis conversio esset ad Christum. « Deus propter homines factus est homo, *ait S. August.*, ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus Divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate.» *(Manuale, c. 26).*

5. Per Incarnationem, *ait S. Th. (q. 1, a. 2)*, homo mirabiliter promovetur ad bonum et a malo removetur.

A. — *Promovetur ad bonum.* — Homo per Incarnationem: *a) roboratur in fide*, quæ magis certificatur ex hoc quod ipsi Deo loquenti credit, juxta illud Joannis (I, 18): *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Unde *S. Aug.* dicit: « Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem.» *(De Civ. Dei, l. XI, c. 2).* — *b) Excitatur ad spem.* Eo enim magis spes erigitur, quo manifestior est Dei caritas erga nos: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Joan., III, 16). — *c) Caritate inflammatur.* « Quæ major est causa adventus Domini, *ait S. Aug.*, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis!... Si amare pigebat saltem redamare non pigeat.» *(De catech. rud. c. 4).* — Præterea, eo fine Christus venit in mundum ut caritate corda nostra inflammaret: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* (Joan. X, 10); et iterum: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*» (Luc. XII, 49).

B. — *Removetur a malo.* — Per Incarnationem homines instruuntur, ne diabolum peccati auctorem sibi præferant, aut eum, qui ipsis per Incarnationem subjectus est, sequantur; et quanta sit dignitas naturæ humanæ tantopere exaltatæ, docentur. « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, *ait S. Leo Papa*, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Noli te diaboli iterum servituti subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est, qui veritate te judicabit, qui misericordiâ te redemit. » *(Serm. I de Nativ.)*

853. — **Prop. III.** *Incarnatio fuit conveniens toti universo.*

Prob. I. Ex mysterio Incarnationis quædam in omnem creaturam excellentia redundavit. Homo enim, qui ab antiquis *microcosmos* seu *parvus mundus* appellatur, secundum aliquid est omnis creatura: habet *esse* commune cum inanimatis, *vivere* cum plantis, *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum Angelis. Ac proinde Deus, assumendo naturam humanam, omnes creaturas quodammodo sibi copulavit et nobilitavit.

II. Præterea, universo maximam cedit in gloriam quod in eo ordo inveniatur unionis hypostaticæ, qui ordinem naturæ et ordinem gloriæ perfectione superat.

III. Denique, ad ornatum universi id multum confert, videlicet, quod, sicut in creatis una natura est in una persona, et in divinis una natura in tribus personis, ita etiam duæ naturæ sint in una persona.

854. — **Prop. IV.** *Quælibet divina persona incarnari potuisset; convenientius tamen fuit Verbum incarnari quam Patrem aut Spiritum Sanctum.* — Certa.

Prob. I. Pars: *Quælibet divina persona incarnari potuisset.* — In Incarnatione duo possunt considerari, divina scilicet potentia naturam humanam uniens cum persona divina; et ipsa persona, cui humana natura unitur. Potentia autem divina, quæ est communis tribus personis, æqualiter et indifferenter se habet ad omnes personas; eadem est etiam ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes. Et ideo virtus divina, sicut naturam huma-

nam univit personæ Filii, ita eam personæ Patris aut Spiritus Sancti unire potuisset. *(S. Th., q. 3, a. 5).*

Prob. II. Pars: *Convenientius tamen Verbum est incarnatum.* — Ad hanc secundam propositionis partem probandam multæ afferri solent rationes; tres retulisse satis sit.

1. Convenientius fuit Verbum incarnari: « ut eadem sit imago recreationis quæ fuit creationis. Sicut enim per Filium omnia facta sunt, ita competens fuit ut per eumdem reædificarentur omnia, ut qui per fidem videt Filium Dei in carne, qui est expressissima imago Dei, ipsum imitando, recuperaret similitudinem Dei, quod est ejus recreatio. Et sic recreabitur per quem creatus est. » *(Altissiodorensis, Summa, fol. 122).*

2. Finis Incarnationis, « est impletio prædestinationis; eorum scilicet qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur nisi filiis, secundum illud (Rom. VIII, 17). *Si filii, et hæredes.* Et ideo congruum fuit ut per eum qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem. » *(S. Th., q. 3, a. 8).*

3. Si altera persona incarnata fuisset, appellatio filii ad Patrem vel Spiritum Sanctum transivisset; fuisset enim hæc persona filius hominis. Et ita apud christianos indecora quædam confusio, dum plures nominarentur filii Dei, in SS. Trinitatem redundasset.

855. — Prop. V. *Verbum divinum naturam angelicam assumere potuisset; convenientius tamen naturam humanam ex stirpe Adami assumpsit.*

1. Naturam angelicam a Verbo divino assumi potuisse, communis est doctorum sententia. Potuisset enim Deus aliquam novam angelicam substantiam creare, quæ a personalitate Verbi terminaretur. *(Q. 4, a. 1, ad 5).*

2. Convenientius tamen assumpta est natura humana. Utraque natura, angelica et humana, hanc habet congruentiam, ut Verbum divinum per cognitionem et amorem attingere possit; convenientius tamen Verbum naturam assumpsit humanam; etenim:

a) Natura angelica non tota corruerat; natura autem humana tota collapsa erat.

b) Angelus peccans in malo statim confirmatus est, *(n. 713)* et ideo secundum ordinariam Dei providentiam ejus lapsus est irreme-

diabilis. Homo vero, quamdiu vivit, est vertibilis de malo in bonum, sicut de bono in malum.

c) Angelus ex pura malitia peccavit; homo vero, utpote carne indutus, Angelo multo imbecillior existit, et ex fragilitate præsertim peccavit; ac proinde divinam misericordiam magis provocare debuit.

d) Angelus, saltem superior, sua sponte, et veluti sine causa peccavit; homo vero a muliere fuit seductus, et hæc a serpente decepta fuit.

e) Angelorum ruina, per hominum assumptionem ad vacuas Angelorum sedes implendas, reparari potuit; hominum vero lapsus a nulla creatura inferiori, quippe nulla creatura homine inferior beatitudinis supernaturalis capax sit, suppleri poterat.

3. *Conveniens fuit Verbum assumere naturam humanam ex stirpe Adami.* — « Et hoc propter tria, *ait S. Th.*: 1. Quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit... 2. Quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. 3. Quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum. » *(Q. 4, a. 6).*

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

856. — Prænotanda. — Ut dicenda perfectius intelligantur, quædam de malitia peccati mortalis et de satisfactione breviter recolenda sunt.

I. Peccatum mortale *est malum quodammodo infinitum*, (non quidem in genere entis, sed in genere moris). Peccatum mortale definitur: *Aversio a Deo et conversio ad creaturam.* Duo igitur in quolibet mortali inveniuntur: *conversio ad creaturam*, quam peccator tanquam ultimum finem sibi eligit; et *aversio a Deo*, vero fine ultimo, quem peccator despicit, et quantum in se est, destruit.

Hæc peccatoris actio Dei honorem infinite lædit, infinitam Deo irrogat injuriam, atque infinitam constituit offensam: gravitas enim illatæ injuriæ non ex parte offendentis, sed ex dignitate personæ offensæ mensuratur. Peccatum igitur, licet sit entitative aliquid finitum, in genere tamen moris malum

infinitum dici debet, « Peccatum contra Deum commissum, *ait S. Th.* quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. » *(P. 3, q. 1, a. 2, ad 2. — Cf. De Verit. q. 28, a. 2).*

857. — Satisfactio est injuriæ illatæ ad quamdam justitiæ æqualitatem compensatio. *(Polm.)* Satisfactio vel generaliter vel stricte accipi potest.

Generaliter accepta, satisfactio comprehendit quamcumque solutionem, compensationem, restitutionem. Sic, v. gr., qui equum furto ablatum restituit, vel ejus pretium reddit, satisfacere dicitur.

Stricte accepta, satisfactio est voluntaria redditio honoris et reverentiæ æquivalentis, ad compensandam injuriam alicui per peccatum illatam [1]. Satisfactio *stricte* sumpta solas actiones honorificentes, quibus honor ablatus restituitur, respicit. Quæ satisfactio non ab alio quam ab eo, qui injuriam irrogavit, exhiberi potest; dum contra, in satisfactione late sumpta, persona tertia rem rei ablatæ æquivalentem personæ læsæ reddere potest.

Quantitas satisfactionis, seu valor operis satisfactorii, a dignitate personæ satisfacientis, gravitas vero offensæ a dignitate personæ læsæ, desumitur: quo vilior igitur est persona satisfaciens, eo minor est etiam valor ejus operis satisfactorii; et vice versa, quo major est persona satisfaciens, eo major est etiam valor operis satisfactorii.

Satisfactio potest esse *perfecta* vel *imperfecta.*

Satisfactio *perfecta* est, quando tantum redditur, quantum fuit ablatum; seu quando actio honorificans tantum personæ læsæ tribuit honorem, quantum ab illa abstulit actio peccaminosa. Hæc vocatur satisfactio *condigna, ex rigore justitiæ.*

Satisfactio *imperfecta* est, quando actio honorificans non tantum tribuit honorem, quantum abstulit actio peccaminosa;

[1] Cf. Isamb. In III P., q. 1, disp. 2, a. 1; Gibbon, tr, I, disp. 2, dub. 4, § 1.

et nihilominus, is cui exhibetur talis satisfactio, ea contentus est. Hæc vocatur satisfactio *secundum quid*.

Quibus notatis, sint sequentes propositiones:

858. — Prop. I. *Supposito peccato, Incarnatio non fuit absolute necessaria.* — Certa.

Prob. Supposito peccato, Incarnatio non fuit absolute necessaria si Deus vel hominem in suo delicto derelinquere, atque in æternum a se repellere, vel eum alio modo a peccato liberare potuisset. Atqui Deus utrumque facere potuisset. Ergo.

Prob. min. I. *Deus hominem in æternum a se repellere potuisset.*

1. Deus cum hominibus sese gerere potuisset sicut cum Angelis peccantibus se gessit, quibus *non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* (II Petr. II, 4).

2. Redemptio est opus misericordiæ, sicut ex Scripturis manifestum est. Sed ad hujusmodi opus peragendum Deus nullo modo obligatur. « Universa massa, *ait S. August.*, pœnas debet: et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur. » *(De Nat. et gr., c. 5).* Ergo potuisset Deus redemptionem non peragere.

II. *Deus hominem alio modo a peccato liberare potuisset.*—

1. « Sunt stulti qui dicunt, *inquit S. Augustinus:* non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omnino. » *(De Agone Ch., c. 11).*

2. « Deus, *ait S. Th.*, per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. » *(Q. 1, a. 2).* V. gr., potuisset peccatum tum quoad pœnam tum quoad culpam prorsus gratuito remittere, quin divina læderetur justitia *(q. 46, a. 2, ad 3);* potuisset a quocumque homine aliqualem exigere satisfactionem, et ea contentus esse; potuisset etiam hominem quemdam maxima replere gratia, eumque constituere quasi caput generis humani in ordine ad reparationem, ejusque opera tanquam satisfactionem pro toto ge-

nere humano acceptare; licet etiam hoc in casu satisfactio condigna non fuisset.

Igitur: « Ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostræ liberationis, quia ejus potentia limitata non est; quem si elegisset, convenientissimus fuisset: non tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii. » *(S. Th., 3. Sent., D. 20, q. 1, a. 4).*

NB. Quæ in hac propositione dicta sunt, Dei caritatem summopere commendant, qui, cum nos multis aliis modis liberare posset, cum tamen modum elegit, quo excelsior dari nequeat ut suam caritatem erga nos manifestaret, nostrumque amorem sibi conciliaret: Exinde illud Sanctorum effatum: *Quod sufficiebat Redemptioni, non sufficiebat amori.*

859. — **Prop. II.** *Posita Dei voluntate exigendi pro peccato condignam et rigorosam satisfactionem, Verbi Incarnatio fuit absolute necessaria* [1]. — **Certa.**

Prob. I. **Ex Traditione.** « Tantum fuit peccatum nostrum, *ait S. Ambrosius*, ut salvari non possemus aliquando, nisi Unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis. » *(Ad Hebr. c. 9).* — Et *S. Basilius*, in illud Ps. XLVIII: *Frater non redimit, redimet homo*, scribit: « Non homo nudus, sed homo Deus Jesus Christus, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest. »

II. **Ex Ratione.** Satisfactio condigna ex rigore justitiæ est, *ut ait S. Th.*, « per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ; et sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato:... quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis... Unde oportuit ad condignam satisfactionem ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam. » *(Q. 1, a. 2, ad 2).* — Sed nullus actus hominis puri, quantumvis sancti, valorem infinitum habere potest. Ad exsolven-

[1] Cf. Gonet, *Clyp.*, Disp. 4, a. 1, n. 9; Wenzl, *De Inc., Contr. I*, q. 2, n. 74, (p. 481).

dam igitur pro peccatis nostris rigorosam et condignam satisfactionem, absolute necessarium fuit ut Verbum divinum carnem assumeret.

ARTICULUS III.

DE FINE SEU MOTIVO INCARNATIONIS [1].

860. — Divini Verbi Incarnationem, sicut omnia opera ad extra, *propter semetipsum operatus est Dominus.* (Prov. XIV, 4). Incarnationis proinde finis primarius et principalis est gloria Dei, atque ipsius honoris, qui per peccatum læsus erat, restauratio. Eamdem dominicam Incarnationem Deus ad salvandum genus humanum, quod lapsu Adami perierat, etiam ordinavit. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* (Matth. XVIII, 11). Proximus igitur et secundarius Incarnationis finis est hominis lapsi reparatio. Hæc duo, quippe quæ ex Scripturis clare constent, ab omnibus ut certa habentur.

Sed disputant auctores, utrum Deus Incarnationem ad sui honoris et generis humani restaurationem ita ordinaverit, ut si homo non peccasset, Christus incarnatus non fuisset. Docent scotistæ futurum fuisse ut Christus, etiam homine non peccante, esset incarnatus: negant thomistæ.

861. — **Status quæstionis.** — Status controversiæ dilucide exponitur a *P. De Rhodes*: «Status controversiæ hujus, pro qua tanta inter S. Thomam ex Scotum, inter Suarem et Vasquem contentione certatur, non est primo utrum esse potuisset Incarnatio si nullum fuisset Adæ peccatum: quis enim hoc neget? aut ex quo capite repugnare id posset? — Neque secundo est, utrum si homo non peccasset, Incarnatio absolute facta esset ex vi alicujus alterius decreti, quod Deus non habuit, sed habuisset: Quis enim de hoc nisi valde temere pronuntiare possit? aut scire quid tunc Deus esset decreturus? — Difficultas igitur tota est, utrum ex vi decreti ejusdem ex quo voluit Deus, et fecit Incarnationem, voluisset etiam et fecisset illam, si homo non excidisset a gratia. Unde totus vertitur in eo cardo difficultatis, quale fuerit primarium illud et totale motivum, quo deficiente non fuisset decretum illud faciendæ Incarnationis quod re-

[1] Cf. S. Alph., *Dissert. de Prædestinatione Christi.* — Hilarius Par., *Cur. Deus-Homo.* — Toletus, in 3 P. *S. Th.*, q. 1, a. 3.

vera fuit. Dixi motivum primarium, quo scilicet ablato Deus non decerneret Incarnationem: motivum enim minus principale ac impulsivum dicitur illud, quod movet quidem Deum ad aliquid decernendum, sed eo tamen ablato, etiam id decerneret.» *(De Inc., disp. 1, q. 4, sect. 1, pag. 39).*

862. — I. **Sententia thomistarum.** — Docent thomistæ unicum motivum primarium et totale Incarnationis fuisse Redemptionem generis humani, ita ut si defecisset illud motivum, Christus incarnatus non fuisset; proinde Incarnationem post prævisionem peccati Deus decrevit. — *Dicitur motivum primarium et totale;* non excluduntur enim alia motiva minus principalia et impulsiva, cujusmodi sunt ipsa excellentia Incarnationis, gloria Christi, exaltatio naturæ humanæ, et totius universi consummatio. Hæc enim omnia Deum ad Incarnationem decernendam moverunt, sed ita tamen, ut si peccatum non fuisset commissum, ob ea sola Incarnatio non fuisset decreta.

863. — II. **Sententia scotistarum.** — Dicunt scotistæ quod Christus incarnatus fuisset, etiam si Adam non peccasset. Deus, ipsorum sententia, ante prævisum peccatum, et omnino independenter a peccato, Incarnationem decrevit, et hoc quidem tum propter Incarnationis in se sumptæ excellentiam, tum propter eximium amorem, quem Deus erga creaturas habuit, et quo ductus universum exornare atque ad summum decus extollere voluit. Ipsa enim Verbi Dei cum humana natura conjunctio fuit omnis creaturæ exaltatio, et speciatim humanæ naturæ glorificatio.

Vi hujusce decreti, in mundum venisset Christus carne impassibili indutus, et non ut Redemptor; venisset tanquam Caput Ecclesiæ, quam secum in cœlestem gloriam adducere debuisset.

Sed, post prævisum peccatum, Incarnationem jam decretam Deus in remedium contra Adami peccatum ordinavit, atque secundo decreto decrevit Christum, qui secus in carne impassibili venisset, venturum esse in carne passibili, et ut Redemptorem. Secundum igitur Incarnationis motivum est reparatio generis humani; quod motivum si defuisset, Christus tamen vi primi decreti in hunc mundum venisset.

Scotistæ igitur duo statuunt motiva: unum principale et primarium, vi cujus decreta erat Incarnationis substantia; aliud minus principale, attingens tantum circumstantiam passibilitatis, et ordinans Incarnationem in remedium peccati.

864. — III. **Sententia Suaresii.** — Proxime ad opinionem Scoti accedit Suarez *(De Inc. disp. 5, sect. 2.)*. Hic duo assignat motiva totalia, duoque decreta, quæ ambo Incarnationis substantiam attingunt. Primum motivum totale est ipsa excellentia Incarnationis, ob quam unice Incarnatio per primum decretum fuit intenta; secundum est redemptio a peccato, quæ etiam adæquate Deum ad secundum decretum ferendum movit. Ex quibus infertur, quod, aliis etiam non existentibus motivis, Christus, vi secundi decreti, incarnatus fuisset ob solum pec-

cati remedium; et etiam, peccato non existente, vi primi decreti, ob solam Incarnationis excellentiam in mundum venisset.

865. — Prop. *Si Adamus non peccasset, Christus incarnatus non fuisset.* — **Sententia communior et probabilior.**

Prob. Quæ ex sola Dei voluntate pendent, cujusmodi est divini Verbi Incarnatio, ea per solam revelationem nobis innotescere possunt. Atqui, in revelatione nullum aliud Incarnationis motivum, quam hominis peccatum, nobis exhibetur. Ergo si Adamus non peccasset, Christus incarnatus non fuisset. Incredibile enim prorsus est, si aliud magis principale Incarnationis motivum existeret, prout volunt scotistæ, illud nunquam in revelatione commemorari, sed minus principale constanter indicari; vel si duæ æque præcipuæ adessent Incarnationis rationes, ut vult Suarez, unam semper tradi, alteram constanter omitti.

Prob. minor: Revelatio nobis manifestatur Scriptura et Traditione, et tam in Scriptura quam in Traditione hominis peccatum exhibetur unicum Incarnationis motivum.

I. **Ex Scriptura.** Legimus: (Joan. III, 17): *Misit Deus Filium suum in mundum... ut salvetur mundus per ipsum.* — Et Christus de se dicit (Joan. X, 10): *Ego veni ut vitam habeant.* — (I Timoth. I, 15): *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* — Innumeri citari possent textus quibus, Christum in mundum venisse, ut peccatores salvos faceret, evidenter commonstratur: aliud autem dominici adventus motivum nunquam indicatur.

Quocirca ait S. Alphonsus: « Cum ex una parte Sacra Scriptura certo dicat, Christum prædestinatum esse ut hominum peccato mederetur; ex alia autem parte nullus detur Scripturæ locus (qui saltem clarus sit), ex quo inferri possit, Christum ante homines et ante permissionem eorum peccati fuisse prædestinatum, quid causæ est, cur ante hominum creationem decretam fuisse dicamus Incarnationem et hominum Redemptionem? » *(De prædest. Christi).* Unde et alio in loco absolute affirmat S. Doctor Christum « carnem *unice* assumpsisse ut pro amore nostro pati posset. » *(Hist. hær., Conf. XV, n. 35).*

II. **Ex Traditione,** quæ in hacce quæstione ex Patrum testimoniis, et precibus liturgicis maxime constat.

a) « Tredecim Patres, *ait Hilarius Par., loc. cit. p. 10,* inter quos maximi Doctores Ecclesiæ, S. Augustinus, Leo Magnus, Gregorius M., Athanasius, etc... docent formaliter, expressis verbis, quod si Adam non peccasset, Verbum in carne minime fuisset.

» Idem dicunt æquivalenter præcipui Patres et Doctores, S. Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, etc.

» Idem insinuant cæteri fere omnes cum S. Cypriano, Gregorio Nysseno, Hieronymo, etc.

» Nullus e Patribus Ecclesiæ, ne unus quidem, dixit quod si Adam non peccasset, nihilominus Verbum incarnatum fuisset. »

Sufficiat quædam Patrum effata referre. Ait *S. August.*: « Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. » *(De Verbis Apost. Serm. 8.)* — et: « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. » *(loc. cit. Serm. 9.)* — *S. Irenæus:* « Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. » *(Cont. hær., l. V, c. 14.)*

« Ex his omnibus Sanctis, *ait Toletus, (p. 52)* tam validum sumitur argumentum in hac materia, in qua demonstratio nulla est, ut, judicio meo, iis contradici absque temeritate non possit. »

b) In precibus liturgicis unicum Incarnationis motivum exprimitur, peccatum scilicet hominis. Canit Ecclesia in Sabbato Sancto: « O certe necessarium Adæ peccatum! o felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! » hæc autem culpa *felix* vocari non posset, si non ipsius Incarnationis, sed solius circumstantiæ passibilitatis Christi, motivum fuisset.

In hymno *Te Deum*, oramus: « Tu, ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum. » — Et in hymno ad B. Virginem legimus: « Peccatores non abhorres, — Sine quibus nunquam fores — tanto digna Filio. » Quibus relatis verbis, exclamat *S. Alphonsus*. « O Maria, peccatoribus subvenire teneris, quia quidquid doni, quidquid gratiæ, quidquid excelsitatis accepisti, uno verbo, quidquid sublimi tua divinæ maternitatis dignitate continetur, totum, si fas est dicere, peccatoribus debes, cum propter illos digna facta sis, quæ Deum haberes Filium. » *(Glor. Mar., c. VI, § 3.)*

866. — Conclusio. Allatis argumentis plura alia attexi possunt, ut, v. gr., ex Bulla *Ineffabilis*, in qua Maria dicitur electa et ordinata ab initio et ante sæcula, ex prævisione lapsi generis humani, etc. Sed dicta ad thesim confirmandam sufficiant.

Licet igitur opposita sententia probabilitate non destituatur, præsertim ob auctoritatem theologorum qui illi suffragantur, neganti tamen opinioni standum est, utpote Scripturis et Traditione solide innixæ, et longe majori parti theologorum probatæ. Hæc etiam Dei caritatem erga nos magis commendat, nostramque gratitudinem erga Deum magis excitat, dum eum scimus unice ad miserias nostras sublevandas carnem induisse. « Opinio dicentium Deum non fuisse incarnatum nisi homo peccasset, *ait S. Bonaventura*, magis consonat fidei pietati, quia in Scripturis ratio Incarnationis communiter assignatur

liberatio a peccato. Magis quoque devotionem accendit, dicendo Deum incarnatum esse ad succurrendum tot ac tantis miseriis nostris. Deum etiam magis honorat, quam opinio alia, nam illa quasi includit Deum intra perfectionem universi, et quamdam necessitatem videtur Incarnationis præfigere, dicendo opera Dei sine ea perfecta non esse. » *(3. Sent., D. 1, q. 1, a. 3).*

CAPUT II.

DE NATURA INCARNATIONIS.

867. — Prælibatis quæ ad Incarnationis necessitatem et motivum pertinent, ea, quæ Ecclesia de hoc mysterio nos docet, jam exponenda occurrunt.

Docet nos fides catholica Verbum divinum in Incarnatione humanam naturam assumpsisse in unitatem personæ, ita ut in Christo Jesu post unionem una sit persona, divina scilicet; et duæ sint naturæ perfectæ, integræ, inconfusæ, divina scilicet et humana; et unus et idem Christus sit verus et perfectus Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, atque verus et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

Catholicam doctrinam evertere diversis viis conati sunt hæretici: alii in Christo duas posuerunt personas, divinam et humanam; alii, contra, unicam tantum in eo agnoverunt naturam; alii Christum Deum esse negaverunt; alii demum de humanitate a Christo assumpta proterve senserunt.

Præmissis igitur in art. I. quibusdam notionibus ad doctrinæ intelligentiam necessariis, agemus in art. II. de unitate personæ in Christo; in art. III. de dualitate naturarum in Christo; in art. IV. de Christi divinitate; et in art. V. de natura humana a Christo assumpta.

ARTICULUS I.

PRÆNOTANDA.

868. — I. De unione hypostatica. — Unio hypostatica dupliciter considerari potest, *active* scilicet vel *passive*, seu in fieri et in facto esse.

Si consideratur *in fieri*, unio hypostatica est *actio realis, qua duæ substantiæ Verbi et naturæ humanæ conjunguntur, ex quibus componitur hic homo Christus.* Hæc actio uniens naturam divinam et humanam in unica persona Verbi est communis toti Trinitati; est enim opus ad extra, quod tres divinæ personæ communiter operantur; appropriatur tamen Spiritui Sancto, secundum illud: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc. ad manifestandum Incarnationem ex maximo Dei amore processisse.

Si consideratur *in facto esse*, Incarnatio est *modus substantialis, quo humanitas Christi manet actu unita personæ Verbi* (Polm.). Seu, aliis verbis, *Est unio duarum naturarum in una Persona Verbi, remanente perfecta distinctione naturarum.* In hoc præcise consistit mysterium Incarnationis.

869. — II. Notio de diversis unionibus. — Ad unionis hypostaticæ intelligentiam non parum confert notio diversarum specierum unionis. Unio definitur: *Diversarum rerum conjunctio, ex quibus resultat quid unum* (Polm.).

Unio datur multiplex, videlicet:

1. Physica et moralis. — *Unio physica* est conjunctio partium, ex quibus resultat compositum quoddam physicum, v. gr., unio animæ et corporis; unio inter vestem et vestitum. — *Unio moralis* est, qua partes unum compositum morale constituunt; sicut, v. gr., inter duos amicos, aut inter dominum et servum adest unio moralis.

2. Unio accidentalis et substantialis. — *Unio accidentalis* est duarum substantiarum conjunctio, ex quibus resultat compositum per accidens, ut, v. gr., inter vestem et vestitum; inter amicum et amicum. — *Unio substantialis* est conjunctio

plurium rerum substantialium, qua constituitur unum per se in genere substantiæ (Polm.), v. gr., inter animam et corpus.

3. Unio substantialis potest esse quadruplex, scilicet:

a) Unio substantialis integralis, qua partes integrantes ad corpus integrum constituendum inter se coalescunt; talis, v. gr., est unio membrorum cum capite ad corpus humanum efformandum.

b) Unio substantialis essentialis, qua plures res ita conjunguntur, ut ex eis una essentia unaque natura resultet. Hæc vocatur etiam *unio in natura*: talis, v. gr., est unio animam inter et corpus.

c) Unio subsistentialis, qua natura et subsistentia connaturalis conjunguntur, ita ut hæc duo suppositum in concreto constituant: cujusmodi, v. gr., est unio naturæ humanæ cum sua connaturali subsistentia.

d) Unio hypostatica, qua aliqua nuda natura (id est, natura sine subsistentia) cum altera natura subsistente (seu cum aliqua persona) ita conjungitur, ut subsistentia unius fiat utrique naturæ communis, et utraque natura terminetur unica hac et eadem subsistentia. Hæc unio vocatur etiam *unio in persona*.

Secundum fidem catholicam, Verbum divinum assumpsit in unitatem personæ naturam humanam sine subsistentia humana, atque naturæ humanæ suam propriam tribuit personalitatem, ita ut persona Filii Dei revera in duabus naturis subsistat, et duæ naturæ in una subsistentia Verbi divini existant. Hanc unionem hypostaticam homo perfecte intelligere non potest; ipsa est aliquid omnino singulare, cujus perfecta et adæquata repræsentatio in natura inveniri nequit [1].

870. — III. **De assumptione.** — Ab unione sedulo distingui debet assumptio; magnum quippe discrimen inter unionem et assumptionem, inter unitum et assumptum intercedit. — *Unio* est actio communis SS. Trinitati, qua persona Filii cum natura humana conjungitur. — *Assumptio*, (dicta quasi ab alio ad se sumptio), est quid proprium Filio; et est idem ac sumptio

[1] Pro exemplis, cf. Lessius, *De perf. div.*, l. XII, c. 5.

naturæ humanæ a persona Filii, ita ut persona Filii suam propriam subsistentiam humanæ naturæ communicet. Solus igitur Filius est assumens.

Rursus: Natura divina est unita et uniens; natura autem humana est unita non uniens; divina persona est assumens, sed non assumpta; humana vero est assumpta, non assumens. *(S. Th., q. 2, a. 8).*

ARTICULUS II.

DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO [1].

871. — Unitatem personæ in Christo negavit Nestorius. Docuit utramque naturam in Christo, divinam et humanam, suam propriam possidere subsistentiam, ac proinde duas in Ipso esse personas, unam filium Dei, alteram filium Mariæ Virginis, inter se accidentaliter, non vero hypostatice, unitas. Exinde docuit nullam inter illas personas dari communicationem idiomatum, et Virginem Mariam purum hominem genuisse, atque Christiparam, non autem Deiparam, vocandam esse.

Ut autem unitatem in Christo, quam Scripturæ et Patres tam enixe commendant, saltem specietenus salvaret, Nestorius plures inivit vias: sed accidentalem semper, numquam vero substantialem, Deum inter et hominem in Christo adstruxit unionem. « Modo, *ait S. Alphonsus*, istam unionem dicit esse *habitationis*, affirmando Verbum in Christi humanitate tamquam in suo templo habitare. Modo eam dicit esse *affectus*, qualis inter duos amicos existit. Modo eam dicit esse *operationis*, quia Verbum humanitate Christi tanquam instrumento ad miracula aliaque opera supernaturalia patrandum utatur. Modo eam dicit esse *gratiæ*, quia Verbum mediante gratia sanctificante aliisque divinis donis sese cum Christo univerit. Denique istam unionem in morali communicatione consistere affirmat, qua Verbum isti humanitati dignitatem suam atque excellentiam communicaverit; et hanc ob rationem, addit, humanitatem adorandam et venerandam esse, sicut honoratur purpura, qua rex induitur, et thronum in quo sedet. » *(Confut. VII, n. 1; cf. Hist. hær., c. V, a. 3).*

Centies condemnatus est Nestorius, sed solemniori modo in Concilio Ephesino, œcum. III, anno 431.

872. — **Prop.** *Unica est in Christo, eaque divina persona. De fide,* ex diversis symbolis, et ex Concil. Ephes. et Chalced.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. VII; S. Th., q. 2, a. 6.

Legimus in Ephesino, can. 2: «Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul et hominem, A. S.» — Et in Chalcedon., act. V: «Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum,... non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum.»

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. In S. Scripturis Deus dicitur *conceptus, natus de Virgine, passus, mortuus*, etc. Ex his argumentum hoc confici potest: Terminus in subjecto cujusdam prædicationis positus, sumitur semper pro supposito vel persona [1]. Ergo divina persona est concepta, nata, passa et mortua. Sed impossibile est personam divinam hæc subire secundum quod est Deus: ergo hæc subiit secundum quod est homo. Eadem igitur persona Deus simul et homo est [2].

2. In S. Script. Christus homo vocatur Deus, et Deus vocatur homo. Rom. IX, 5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* — Joan. I, 14: *Et Verbum caro factum est.* Unde sic: Quotiescumque duæ integræ formæ vel naturæ de se invicem in abstracto prædicari nequeunt, nec in concreto, nisi idem habeant numero suppositum, de se prædicari possunt: omnis quippe prædicatio in aliqua identitate fundatur. V. gr., quia albedo de dulcedine prædicari nequit, album dici nequit dulce, nisi sit idem subjectum, quod simul album sit et dulce. Atqui divinitas et humanitas sunt duæ formæ integræ, quæ in abstracto de se invicem prædicari nequeunt. Ergo nec in concreto de se invicem prædicari possent, nisi in eodem supposito convenirent. Ergo nec Christus Deus vocari posset homo, nec Christus homo vocari Deus, nisi divinitas et humanitas in eadem persona subsisterent. Unica est igitur in Christo persona.

3. Si Christus homo eadem non esset persona atque Christus Deus, ea, quæ sunt soli divinitati propria, sibi attribuere non potuisset: quæ tamen sibi homini attribuit, v. gr.,

[1] Cf. S. Th., P. 3, q. 16, a. 7, ad 4. — [2] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, n. 2-4.

quando dixit: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X, 30). — *Antequam Abraham fieret, ego sum* (Joan. VIII, 58). — *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt* (Joan. XVI, 15). Hæc dixit Christus homo, quæ tamen de solo Deo affirmari possunt.

II. **Ex Symbolo S. Athan.,** in quo legimus: « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus... Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. »

III. **Ex Traditione.** S. Patres uno ore unicam in Christo personam prædicant. Ait *S. Irenæus:* « Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum. » *(Adv. hær., l. III, c. 16, n. 2).* — *S. Gregor. Naz.:* « Id quod non erat assumpsit, non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens; Deus enim ambo sunt: id quod assumpsit, et quod est assumptum; naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii. » *(Orat. 31 (alias 37), in verba Ev.:* Cum consummasset Jesus). — *S. August.:* « Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. » *(In Joan., tr. 49, n. 18).*

IV. **Ex absurdo.** Si ad Verbi Incarnationem non requiratur unio substantialis hypostatica, sed sufficiat unio accidentalis Verbi cum Christo homine, sive fiat unio per inhabitationem, sive per affectum, sive per operationem, etc., dicendum foret, Patrem et Spiritum Sanctum in Christo etiam fuisse incarnatos, quandoquidem et ipsi in Christo inhabitant. De se ipso dicit Christus (Joan. XIV, 10): *Pater in me est... Pater autem in me manens.* — Et (Luc. IV, 1) de Spiritu S. legimus: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto.* — Imo dicendum foret tres divinas Personas in quolibet justo incarnari, quippe quæ cuilibet justo per affectum amoris uniantur, atque in eo inhabitent, secundum illud (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — Sed hæc fidei manifeste adversantur. Ad Verbi igitur Incarnationem non sufficit unio accidentalis, sed requiritur unio hypostatica.

873. — Objicitur. Christus erat perfectus homo, secundum illud symboli: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* Atqui, nullus potest esse perfectus homo, nisi sit persona humana. Ergo in Christo præter personam divinam persona humana etiam admittenda est.

Resp. Ad responsionem recolendum est, inter naturam creatam atque ejus subsistentiam adesse realem distinctionem. Natura est *id per quod res est id quod est, et in specie constituitur;* subsistentia vero est *ea perfectio, per quam substantialis natura ultimo completur et terminatur, ita ut sit sui juris et alteri incommunicabilis.* Quælibet natura substantialis, ut revera existat, subsistere necessario debet, cum subsistere sit idem ac per se existere; sed necesse non est ut *subsistentia connaturali* subsistat, modo altera nobilior adsit, quæ talem naturam ultimo compleat, eique ut subsistere tribuat.

Homo igitur est suppositum naturam humanam perfectam et integram possidens: utrum autem hæc humana natura subsistat sua connaturali subsistentia, necne, nihil refert. Si hæc natura connaturali sua humana subsistentia terminatur, suppositum illud erit homo simul et persona humana. Si vero hæc natura humana a perfectiori subsistentia assumitur et terminatur, suppositum illud erit quidem perfectus homo, non erit autem persona humana. Et tali modo res in Incarnatione se habet. Verbum divinum assumpsit ad se naturam humanam, eamque sibi ita univit, ut persona divina eam terminaret, vicesque subsistentiæ humanæ suppleret. Verbum divinum est proinde verus et perfectus homo, possidens omnia quæ hominem constituunt; sed, propter humanæ personalitatis absentiam, non est persona humana [1].

874. — Corollarium. Cum divina Verbi persona humanam in Christo terminet naturam, et humanæ personalitatis vices suppleat, consequitur animam non fuisse corpori unitam priusquam a Verbo assumeretur: alioquin, cum ex unione animæ et corporis naturaliter resultet suppositum humanum, nisi natura a superiori subsistentia divinitus terminetur, Verbum humanam personam assumpsisset, quod est hæreticum. — De fide igitur tenendum est Verbum humanam naturam in unitatem personæ assumpsisse eodem temporis puncto, quo anima creata et corpori unita est, ut cum eo naturam humanam constitueret. *(S. Th., q. 2, a. 5, ad 1).*

[1] Cf. Cf. S. Th., 3., q. 2, a. 5, ad 1: *Cont. Gent.*, IV, 39; S. Alph., *loc. cit.* n. 15 et 16.

875. — **Quæritur:** *Utrum natura humana sit unita personæ Verbi mediante gratia. (S. Th., q. 2. a. 10).*

Resp. 1. Si nomine gratiæ intelligatur voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans, dicendum est unionem naturæ humanæ cum divina factam esse per gratiam tanquam per causam efficientem.

2. Si nomine gratiæ intelligatur gratia sanctificans, quæ humanitati inhæret, et qua mediante facta esset hæc unio tanquam per medium, vel per modum disponentis, dicendum est unionem factam non esse per gratiam: gratia enim sanctificans in Christo est effectus consequens unionem, et non præcedens ipsam.

3. Si nomine gratiæ intelligatur donum vel beneficium gratis concessum, dicendum est unionem factam esse per gratiam: ipsum enim uniri divinæ personæ est maximum donum, quod humanæ naturæ, nullis præcedentibus meritis, collatum est. Hæc gratia vocatur *gratia unionis:* « Gratia enim unionis, *ait S. Th.*, est ipsum esse personale quod gratis divinitus datur humanæ naturæ in persona Verbi. » *(Q. 6. a. 6).* Hæc gratia unionis est maxima gratia, quæ excogitari potest: nullum enim est majus donum, quam conjungi Deo per unionem personalem.

ARTICULUS III.

DE NATURARUM DUALITATE IN CHRISTO [1].

876. — Eutyches [2] dum unitatem personæ in Christo ab Nestorii injuria vindicaret, in oppositum incidit errorem, et asseruit in Christo, facta unione hypostatica, unicam tantum adesse naturam, ita ut Christus, quamvis *sit ex* duabus naturis, non tamen *subsistat* in duabus naturis, prout ipse Eutyches declaravit in Concil. Chalced. act. 7. « *Ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adu-*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. VIII. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. V, a. 4. (T. III, p. 267).

nationem vero unam naturam confiteor. » Modum autem quo duæ naturæ in Christo in unam naturam coaluerint, Eutyches numquam explicare voluit; probabilius admisit eum modum in hoc consistere quod natura humana a natura divina absorpta fuerit. Qui unicam tantum in Christo admittunt naturam *Monophysitæ* denominantur. — Sæpius condemnati sunt, speciatim in Concilio Chalcedonensi, anno 451.

877. — **Prop.** *Natura divina et humana per unitionem in persona Verbi, non coaluerunt in unam; sed utraque post unionem inconfusa, impermixta et integra permansit.*

De fide. ex Concil. Chalced. definiente Christum Filium Dei Unigenitum esse « in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem; magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente. »

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Christus Dominus sæpe sæpius vocatur et *Deus*, et *homo*. Atqui hæ voces, *Deus, Homo*, concrete sumptæ, indicant suppositum possidens talem naturam. Ergo Christus Dominus naturam et divinam et humanam realiter possidet.

2. (Phil. II. 5-8) : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* « His verbis, *ait S. Alphonsus*, Apostolus in Christo agnoscit formam seu naturam divinam, secundum quam æqualis est Deo; et formam servi, secundum quam semetipsum exinanivit, et factus est homo nobis consubstantialis. Atqui, forma Dei et forma servi nequeunt esse una eademque forma, una eademque natura. Si enim hæc unica forma seu natura esset natura humana, Christus Patri non foret æqualis; sin autem esset natura divina, Christus seipsum non exinanivisset, nec in similitudinem hominum factus esset. Duas ergo naturas in Christo Jesu agnoscamus necesse est, divinam scilicet, qua Patri est æqualis; et hu-

manam, qua similis hominibus factus est. » *(Conf. VIII, n. 4).*

3. Uni eidemque Christo in Scripturis attribuuntur, cum ea quæ soli naturæ humanæ convenire possunt, ut nasci, fatigari, jejunare, sitire, sedere, ambulare, pati, mori, etc.; tum ea quæ de sola natura divina prædicari possunt, ut esse Deo Patri consubstantialis, esse omnipotens, omnisciens, immutabilis. Ergo in Christo sunt duæ naturæ, unitæ quidem, sed non confusæ, non permixtæ [1].

II. **Ex Symbolis** [2]. Legimus in Symb. Apost. « Credo... in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus est. » Quæ verba duas in Christo naturas manifeste declarant: unam, qua unicus Patris Filius est; alteram, secundum quam natus est ex Virgine. — Et in Symb. S. Athan.: « Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens... Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. »

III. **Ex Traditione.** S. Patres dualitatem naturarum in Christo unanimiter proclamant. Verba S. Cyrilli, in sua Epistola ad Nestorium a Concilio Ephesino approbata, referre sufficiat. « Neque enim dicimus, *ait S. Cyrillus*, Verbi naturam per sui mutationem carnem esse factam, sed neque in totum hominem transformatam ex anima et corpore constitutum. Asserimus autem Verbum, unita sibi secundum hypostasim carne animata rationali anima, inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum, et hominis filium exstitisse... Et quamvis naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum et Filium effecerunt; non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit, verum quod divinitas et humanitas secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona, unum nobis Jesum Christum et Filium constituerint. »

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, n. 7 et 8; et *Epist. X. S. Leonis ad Flavianum.* — [2] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, n. 9.

IV. **Ex Ratione.** 1. «Si peracta Incarnatione, *ait S. Alph.*, humana natura in Christo a divina fuisset absorpta, ut docent Eutychiani, totum Redemptionis nostræ mysterium pessumdaretur. Hoc enim in casu vel neganda foret passio et mors Christi: vel asserendum esset divinitatem passam et mortuam esse, quod lumini etiam naturali repugnat.» *(loc. cit. n. 13).*

2. Si post unionem hypostaticam unica in Christo remanet natura, hoc ideo factum est quia: *a)* Vel natura divina in humanam est mutata: hoc autem est impossibile, siquidem Deus est immutabilis: concesso vero quod factum sit, Christus non amplius foret Deus. — *b)* Vel humana natura absorpta est a divina; tunc Christus jam non est homo. — *c)* Vel ita inter se unitæ sunt natura divina et humana, ut tertia ex eis exsurgeret: hoc autem est impossibile, divina enim natura est immutabilis: præterea, Christus in hac hypothesi nec Deus foret, nec homo. Dicendum est igitur, in Christo duas esse naturas, inter se quidem in persona intime unitas, sed inconfusas, impermixtas, et integras remanentes [1].

878. — **Corollaria.** I. Licet ratione subsistentiæ, una et simplicissima sit Christi persona, quia tamen in duabus naturis subsistit, ratione naturarum composita dici potest [2]. Confitemur *Christum ex duabus naturis compositum*, ait Concil. Constantin. IV, c. 4.

II. Cum in Christo duæ naturæ, humana et divina, post unionem inconfusæ et impermixtæ permanserint, sequitur, Verbum divinum, licet corpus assumpserit in unitatem personæ, factum non esse formam corporis. Forma enim cum materia, quam informat, unam naturam constituit. «Non enim Filius Dei, *ait S. Th.*, sic assumpsit verum corpus, ut forma corporis fieret; quod repugnat divinæ simplicitati et puritati; hoc enim esset assumere corpus in unitatem naturæ, quod est impossibile.» *(Q. 5, a. 1, ad 2).*

ARTICULUS IV.

DE CHRISTI REDEMPTORIS DIVINITATE.

879. — Celeberrimus hæresiarcha, qui Christi divinitatem negavit, est Arius. Hic, utpote ipsam divini Verbi cum Patre

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, n. 14-16. — [2] Cf. S. Th., q. 2, a. 4; Isamb., In q. 2, disp. V, a. 2 et seq.

consubstantialitatem negans, Christum, Verbum Incarnatum, natura Deum esse etiam negare adactus fuit. — Eamdem Christi divinitatem tollunt « Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, et Photinus, qui in Christo solam naturam humanam confitentur; divinitatem vero non per naturam, sed per quamdam excellentem divinæ gloriæ participationem, quam per opera meruerat, in eo fuisse confingunt. » *(S. Th., Cont. Gent., IV, c. 28).* — His accensendi sunt Sociniani, necnon et recentiores rationalistæ, qui ad divinam christianæ religionis obligationem securius tollendam, ipsius auctorem, Christum Redemptorem, inter puros hominem relegant. *(Cf. n. 103).*

880. — Prop. *Christus Jesus est verus Deus.*

De fide, ex diversis Conciliis et Symbolis. Legimus in Symb. Nicæno: « Credo... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum vero de Deo vero. »

Prob. I. Hæc propositio fluit tanquam corollarium ex iis, quæ in superiori art. II *(n. 871 et seq.)*, et in tractatu de SS. Trinitate *(n. 545)*, de Verbi divinitate dicta sunt. Cum enim una eademque sit Verbi et Christi hominis persona, lucide sequitur Christum verum esse Deum, et omnia argumenta quæ Verbi divinitatem probant, Christi quoque divinitatem probare. « Quia Verbum, *inquit S. Alphonsus*, assumpsit in Christo humanitatem in unitatem personæ, secundum illud Joannis (I, 14): *Et Verbum caro factum est*, per hoc quod probatur Verbum esse verum Deum, probatur etiam Christum non fuisse purum hominem, sed hominem simul et Deum. » *(Confut. II, n. 1).*

II. **Ex qualitate Messiæ.** Christus Jesus verus est Messias a Deo Patribus promissus et a prophetis prænuntiatus. *(Cf. n. 119 et seq.)*. Sed Messias, humani generis Salvator, verus est Deus, ut Scripturæ centies testantur. De Messia inter alia legimus (Is. IX, 6): *Parvulus natus est nobis... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi.* — (Osc. I, 7): *Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum*

exultabimus et lætabimur in salutari ejus. — (Is. VII, 14): *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel:* quæ verba referens S. Matthæus (I, 23) addit: *Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* — (Mich. V, 2): *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Jamvero in his aliisque textibus Messias vocatur Deus, eique divina adscribuntur attributa. Christus ergo, quem Messiam esse probavimus, verus est Deus.

III. **Ex verbis, quibus Christi generatio annuntiatur et describitur.** Legimus (Luc. I, 30): « *Et ait Angelus ei: ne timeas, Maria... Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* » — (Joan. I): « *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* » — Qui igitur natus est de Virgine, est Filius Altissimi, est Filius Dei, est Emmanuel, scilicet *nobiscum Deus*, est Verbum Patris. Christus Jesus est igitur verus homo et verus Deus.

IV. **Ex testimonio Dei Patris.** Jesu baptizato, cœlum apertum est: *et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. III, 17). — Et in transfiguratione idem contestatus est Pater (Matth. XVII, 5): *Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite.*

V. **Ex testimonio ipsius Christi.** Christus Jesus suam divinitatem sæpius affirmavit coram discipulis, coram populo, coram judicibus.

Coram discipulis: (Matth. XVI, 13-18): *Quem dicunt homines esse Filium Hominis?... Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* — Et (Joan. XIV, 9-12) suam cum Patre consubstantialitatem affirmat, et ad discipulos in ea fide confirmandos ad miracula provocat.

Coram populo: (Joan. IX, 35): *Dixit ei* (cæco nato): *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* — (Joan. X, 30-38): *Ego et Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus... Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.*

Coram judicibus: (Marc. XIV, 61, 62): *Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Jesus autem dicit illi: Ego sum; et videbitis Filium hominis a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.*

VI. **Ex testimonio Apostolorum.** Nihil frequentius est in ore Apostolorum quam Jesum Deum, Filium Dei, proprium Dei Filium, verum Dei Filium et Unigenitum vocare. — Beatus Thomas, videndo Jesum, exclamat (Joan. XX, 28): *Dominus meus, et Deus meus.* — S. Joannes (I Ep., V, 20) testatur: *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* — S. Paulus (Rom. IX, 5): *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* — Et in Epistola ad Hebræos totus est Apostolus in Christi divinitate contra Judæos probanda.

VII. **Ex præexistentia Christi ante suam conceptionem.** Ille homo vere censendus est Deus, qui antequam conciperetur, jam exstitit. Sed Christus Nazarenus, natus ex V. Maria, fuit ante Abraham (Joan. VIII, 58): *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum:* et fuit ante mundi constitutionem (Joan. XVII, 5): *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.*

Item, qui mittitur et descendit de cœlo, jam erat ante suam missionem vel suum descensum. Sed (Gal. IV, 4): *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* — Et (Joan. VI, 33): *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

VIII. **Ex divinis operationibus atque attributis.** Ille proprie et vere est Deus, cui propria sunt operationes et attributa divina. Atqui hæc Christo Jesu sunt propria. Jesu tribuitur:

Esse Spiritus Sancti principium, (Joan. XVI, 14, 15): *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*

Missio Spiritus Sancti, (Joan. XVI, 7): *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Æternitas, (Apoc. I, 8): *Ego sum Alpha et Omega, principium, et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* Sed *qui est, et qui erat,* æternitatem indicant. — (Joan. VIII, 58): *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

Omnipotentia, (Matth. XXVIII, 18): *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* — (Joan. V, 17, 18): *Pater meus usque modo operatur, et ego operor... Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.*

Omniscientia. (Coloss. II, 3): *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.*

Immutabilitas, (Hebr. I, 10-12): *Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Mundi creatio, (Hebr. I, 10): *Tu in principio, Domine, terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt cœli.* — (Coloss. I, 16): *In ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia... omnia per ipsum et in ipso creata sunt.*

Mundi conservatio et gubernatio, (Hebr. I, 3): *Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia*

verbo virtutis suæ, etc. Sed qui portat omnia verbo virtutis suæ, is omnia conservat, gubernat et regit.

Peccatorum remissio, (Joan. I, 29): *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* — Et ipse Christus dixit paralytico (Luc. V, 20): *Homo, remittuntur tibi peccata tua... ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

Impertitio vitæ, (Joan. V, 21): *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult vivificat.* — Hanc suam potestatem Christus in resurrectione Lazari manifestavit.

Glorificatio, (Joan. V, 28): *Et ego vitam æternam do eis.* — (Joan. XVII, 3): *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

IX. **Ex cultu qui Christi debetur.** Solus Deus adorandus est adoratione proprie dicta, secundum illud Christi Domini (Matth. IV, 10): *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ille igitur, quem Deus vult adorari et honorificari sicut seipsum, verus est Deus. Sed Deus vult Christum adorari sicut seipsum: (Hebr. I, 6): *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei:* vult ipsum honorificari (Joan. V, 22, 23): *Neque Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* — (Philipp. II, 9, 10): *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

NB. Quod ad traditionem spectat, eædem pro Christi divinitate, quæ pro Verbi consubstantialitate cum Patre, Patrum auctoritates afferuntur *(n. 545).*

881. — Conclusio. Ex dictis, Jesum Nazarenum ex Virgine Maria natum, cum hominem, tum Altissimi Filium esse, Deum verum de Deo vero, cœlique et terræ Dominum, nemo non videt. Ex quo contra hodiernos rationalistas, qui, ut divinitatis notam in christiana religione impressam oblitterent, Christum Dominum inter puros homines relegant, colligendum est,

religionem quam Christus fundavit, divinam esse atque obligatoriam, ac proinde omnes qui ejus suave jugum excutiant, in tartarum tradendos esse æternis cruciandos suppliciis.

ARTICULUS V.

DE HUMANA CHRISTI NATURA.

882. — Ex his, quæ in superioribus dicta sunt, jam constat in Christo fuisse naturam humanam perfectam, integram, corpore vero et carneo constantem, necnon anima intellectuali et libera. Attamen, cum contra humanitatem a Christo assumptam speciales exorti sint errores, specialius etiam de ea disserere præstat.

Qui circa Christi humanitatem principalius erraverunt, sunt Manichæi, Valentiniani et Apollinaristæ.

1. Manichæi docuerunt: «Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse: unde nec verus homo esse potuit, sed apparens: neque ea quæ secundum hominem gessit: sicut quod natus est, quod comedit, bibit, ambulavit, passus est et sepultus, in veritate fuisse, sed in quadam assimilatione, consequitur. Et sic patet quod totum Incarnationis mysterium ad quamdam fictionem deducunt.» *S. Th. (Cont. Gent. IV, c. 29).*

2. «Valentinus dixit quod Christus non terrenum corpus habuit, sed de cœlo apportavit, et quod nihil de Virgine Matre accepit, sed per eam quasi per aquæductum transivit.» *S. Th. (loc. cit. c. 30).*

3. Apollinaris prius docuit Christum corpus sumpsisse quidem ex Virgine, sed sine anima. Posterius vero, errorem suum temperans, asseruit Christum etiam animam sumpsisse, sed sine mente, Verbumque divinum in eo mentem supplevisse.

883. — **Prop. I.** *Christus non phantasticum sed verum corpus assumpsit.*

De fide, ex pluribus Conciliis, et speciatim ex decreto Eugenii IV, pro Jacobitis: «Sacrosancta Romana Ecclesia... anathematizat Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt.»

Prob. I. **Ex Script. S.** Christus Apostolis de se dicit (Luc. XXIV, 39): *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* — Et (I Joan. IV, 2, 3) legimus: *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est antichristus.* Sed his in Christo verum corpus fuisse constat.

II. **Ex Traditione.** « Si phantasma fuit corpus Christi, *inquit S. August.*, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus ejus. » *(Quæst., l. 83, q. 13).*

III. **Ex Ratione.** *a)* Christus fuit homo perfectus; atqui perfectus homo vero constat corpore.

b) Si Christus non verum corpus, sed phantasticum habuisset, tota salutis nostræ œconomia pessumdaretur: « Si enim non fuit verum corpus ejus, *ait S. Th.*, sed phantasticum; ergo nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum quæ Evangelistæ de eo narrant, secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam quamdam: et sic etiam sequeretur quod non fuerit vera salus hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari ». *(Q. 5, a. 1).*

884. — Prop. II. *Christus non assumpsit corpus e cœlo allatum, sed corpus terrenum, ex substantia Matris Virginis formatum. (S. Th., q. 5, a. 2).*

De fide, ex Symb. S. Athan.: « Homo est ex substantia Matris in sæculo natus »; — et ex pluribus Conciliis, et speciatim ex decreto Eugenii IV, pro Jacobitis, in quo legimus: « Sacrosancta Romana Ecclesia anathematizat Valentinum asserentem Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus cœleste sumpsisse atque transisse per uterum Virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. »

Prob. **Ex Script. S.** 1. (Luc. I, 31, 35): *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Atqui, qui concipitur in utero, et ex muliere nascitur, corpus ex ea desumptum, et non aliunde allatum, possidet; generatio enim est processio viventis a principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ.

2. Christus vocatur: *Filius David,* (Matth. X, 1). — Dicitur: *factus ex semine David secundum carnem* (Rom. 1, 3) etc. Atqui non potuit esse ex semine David, nisi quia corpus ejus fuit formatum ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis, quæ erat de tribu David, et a Davide tanquam ab antiquo suo progenitore descendebat.

885. — Prop. III. *Verbum divinum assumpsit animam rationalem.*

De fide, ex pluribus Conciliis. Legimus in Constantin. II, coll. 8, can. 4: « Si quis non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum subsistentiam factam, A. S. » — Et in Concil. Viennensi: « Cum sancta Matre Ecclesia confitemur, Unigenitum Dei Filium... humanum corpus passibile et animam intellectivam, seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suæ hypostasis et personæ. » — Et in Symb. Athan.: « perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. »

Prob. I. — **Ex Script. S.** *a)* Legimus (Matth. XXVI, 38): *Tristis est anima mea usque ad mortem.* — (Joan. X, 18): *Potestatem habeo ponendi animam.*

b) « Evangelistæ, *inquit S. Th.,* in evangelica narratione narrant quod miratus est Christus, et iratus, et contristatus, et quod esuriit. Quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc quod comedit, et dormivit, et fatigatus est, demonstratur eum verum habuisse corpus humanum. » *(Q. 5, a. 3).*

c) Christus in Scripturis dicitur *intelligere, scire, ratiocinari, sapientia proficere.* Atqui hæc sine intellectu esse non possunt. Fuit igitur in Christo anima intellectualis.

II. **Ex Ratione.** Anima rationalis pertinet ad essentiam naturæ humanæ. Sed Christus est homo perfectus. Ergo animam, et quidam animam intellectivam, habet.

886. — Corollarium. Christus igitur perfectus Deus, est etiam perfectus homo, nobis consubstantialis; est frater noster, est caro nostra: tentatus per omnia pro similitudine absque peccato; circumdatus infirmitate ut possit condolere iis qui ignorant et errant. Et hoc quidem, teste Apostolo, (Hebr. IV), ut nos cum fiducia ad Eum, thronum gratiæ, adeamus, et ab eo misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

887. — Quæritur I. *An Verbum Dei omnes humani corporis partes assumpserit immediate et secundum hypostasim* [1].

NB. Aliud est assumi immediate et secundum hypostasim; et aliud est assumi mediate et in hypostasi. Assumi *secundum hypostasim* dicitur, quando Verbum per se immediate terminat naturam assumptam; assumi autem *in hypostasi* dicitur, quando Verbum mediante tantum aliqua natura, quæ cum illo immediatam habet unionem, aliam attingit, quia inest in natura immediate assumpta.

Resp. Ad dijudicandum quasnam partes Verbum divinum immediate assumpserit, hæc generalis regula statui potest: *Christus immediate assumpsit omnes illas corporis partes, vel quæ anima rationali informantur, vel quæ ad verum corpus humanum constituendum concurrunt, vel quæ ad corporis integritatem pertinent.* Ratio est: quia Verbum assumpsit immediate humanitatem perfectam et integram; ergo et omnes ejus partes essentiales vel integrantes.

Ex quibus deduces: I: *a)* Christus *immediate* assumpsisse corpus integrum cum omnibus suis membris. — *b)* Immediate assumpsisse totum sanguinem, ut constat ex declaratione Clementis VI, *(Extrav., tit. de pœnit. et remiss.)* « unam guttam etiam modicam sanguinis Christi Domini fuisse sufficientem pro redemptione totius humani ge-

[1] Cf. Isamb., q. 5, a. 3 et seq. (p. 180); Gonet, *Manuale.* De Inc., c. VII, § 2.

neris, idque propter unionem ad Verbum. » Et ratio est quia sanguis est necessarius ad constitutionem veri corporis humani. — *c)* Immediate assumpsisse spiritus vitales et animales, quia ad integritatem humani corporis pertinent, atque ad ejus firmitatem, agilitatem et operationes plurimum conferunt. — *d)* Immediate etiam assumpsisse dentes, ungues et capillos. Dentes enim ab anima informantur et ad corporis integritatem pertinent; ungues autem et capilli ad meliorem corporis constitutionem et decorem necessarii sunt, et protegendo alia corporis membra inserviunt.

II. Partes excrementirias, ut lacrymas, salivam, sudorem, Verbum nullo modo assumpsit.

III. Formas vero accidentales, quæ ad naturalem hominis statum, conservationem et perfectionem pertinent, Verbum assumpsit *mediate et in hypostasi,* mediante scilicet natura humana.

888. — Quæritur II. *Utrum unio hypostatica sit omnino indissolubilis.*

Resp. *Affirmative,* secundum illud axioma S. Joan. Damasceni ab omnibus receptum: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Unio ergo Verbi cum natura humana est omnino indissolubilis et in æternum duratura: *Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula.* (Hebr. XIII, 8).

Ex quo sequitur: 1. Triduo mortis Christi, Verbum et cum anima, et cum corpore, et etiam cum sanguine effuso hypostatice unitum remansisse; qua de causa in Symbolo Deus dicitur descendisse ad inferos et sepultum esse, quod dici non posset, si cum anima et cum corpore Verbum hypostatice unitum non permansisset.

2. In sua gloriosa resurrectione, Christum in corpus suum totum suum sanguinem, qui in passione effusus erat, reassumpsisse atque cum illo in cœlo ascendisse [1].

Pie tamen credi potest, ut constat ex Bulla Pii II ad Abbatem S. Mariæ Xantorensis diœcesis, Christum ad consolationem fidelium particulas quasdam sui sanguinis in terris reliquisse, sicut de facto in quibusdam Ecclesiis cum veneratione asservantur aliquæ guttæ pretiosi sanguinis. Hic tamen sanguis non est amplius hypostatice Verbo unitus [2]. « Unde tritum illud axioma, inquit Gonet [3], *quod Filius Dei semel assumpsit, nunquam dimisit,* intelligi debet de partibus integris, et non de earum particulis, et maxime de illis quæ non sunt necessariæ ad integritatem corporis Christi resurgentis. »

[1] Cf. S. Th., q. 54, a. 2. — [2] Cf. Schmier, *De Inc.,* q. 18, (p. 46). — [3] *Manuale,* De Inc., q. VII, § 2.

SECTIO II.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM.

889. — In prima sectione, in quo consistat unio hypostatica, inquisivimus. Vidimus Verbum divinum ad consortium propriæ subsistentiæ ita humanitatem assumpsisse, ut nec divina natura per sui unionem ad naturam humanam sit diminuta, nec humana per divinam sit absorpta. Christus est igitur verus et perfectus Deus, verus et perfectus homo, possidens in unitate personæ duas naturas perfectas, integras, **inconfusas, impermixtas.**

Ex his quædam effluunt consectaria, tum relate ad ipsum Christum, tum relate ad Deum Patrem, tum relate ad nos homines, de quibus est in hac secunda sectione disserendum, ut ex eis mirabilis illa et veneranda Christi, Filii Dei et Filii hominis, persona nobis manifestior fiat.

Agendum est igitur:

In Cap. I. De his, quæ relate ad ipsum Christum, unionem **hypostaticam consequuntur.**

In Cap. II. De his quæ eam consequuntur in Christo in **ordine ad Deum Patrem.**

In Cap. III. De his quæ eam consequuntur in Christo in **ordine ad homines.**

CAPUT I.

DE IIS QUÆ UNIONEM HYPOSTATICAM CONSEQUUNTUR RELATE AD IPSUM CHRISTUM.

890. — Una eademque Christi Domini persona est perfectus Deus et perfectus homo: inde sequitur Christum, et omnia quæ Dei sunt, et omnia quæ hominis sunt, habere: habet igitur Christus voluntatem et operationem divinam, vo-

luntatem et operationem humanam, de quibus ob specialem difficultatem specialius est agendum.

Eadem divina subsistentia duas in Christo terminat naturas: inde sequitur, ea quæ Dei sunt posse in Christo attribui homini; et ea, quæ hominis sunt, posse in eo attribui Deo; quæ mutua prædicatio *communicatio idiomatum* nuncupatur.

Verbum naturam humanam ex anima et corpore constantem, quam sibi univit, sumpsit ex stirpe Adamica per peccatum in deterius commutata; hæc autem apta est perfici in anima; et multis etiam tam in anima quam in corpore obnoxia est defectibus.

Quare disserendum est: I. de dualitate voluntatum et operationum in Christo; II. de communicatione idiomatum; III. de perfectionibus animæ Christi; IV. de defectibus a Christo assumptis.

ARTICULUS I.

DE DUALITATE VOLUNTATUM ET OPERATIONUM IN CHRISTO [1].

891. — Unam tantum in Christo fuisse voluntatem, divinam scilicet, unamque etiam tantum operationem, divinam videlicet, docuerunt *Monothelitæ*. Incunte sæculo VII, *Sergius*, patriarcha Constantin., *Cyrus*, episcopus Alexandrinus, et *Macarius*, patriarcha Antiochenus, cum, ob iteratas condemnationes, errorem Eutychetis de unica natura in Christo palam profiteri jam non possent, duas in eo admiserunt naturas; ast simul docuerunt humanam in Christo naturam propria voluntate, propriaque virtute aut energia carere. Quod sic explicabant: Dicebant, humanam naturam in Christo se habere ad Verbum sicut instrumentum ad principalem agentem, aut sicut corpus ad animam. Sed corpus propria energia ad operandum destituitur, et anima sola est, quæ per ipsum operetur. Sic, v. gr., est anima, quæ ambulat per pedes, per manus palpat. Et ita in homine unica est operatio ex parte operantis, quia unicum est primum principium operans, anima scilicet; sunt tamen in eo plura operata, quia aliud est ambulare, et aliud palpare. In Christo igitur humana natura se

[1] Cf. S. Th. III, q. 18 et 19; S. Alph., *Hist. hær.*, confut. IX et confut. X, § 3, n. 31-34.

habet ut corpus: omni caret propria virtute et voluntate; et Verbum solum est, quod eam moveat et per eam operetur; v. gr., per eam loquitur, ambulat, manducat, etc. Unde unicum est in Christo principium movens, idest, unica voluntas; et unica operatio, idest unicum primum principium operationis, Verbum scilicet; sunt tamen in Christo diversa operata: aliud enim est, quod Deitas in Christo operatur per seipsam, sicut portare omnia verbo virtutis suæ; et aliud est, quod Deitas operatur per naturam humanam, sicut corporaliter ambulare. *(Cf. S. Th., q. 19, a. 1).* — Hæc ultima operata Monothelitæ *operationes theandricas* seu *deiviriles* appellabant.

892. — Prop. I. *Duæ in Christo sunt admittendæ voluntates.*

De fide, ex Concil. Constantin. III, in quo legimus: « Duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Sanctorum Patrum doctrinas adæque prædicamus. » — Et ex Concil. Later. sub Martino I, can. 10 ad 15 — et ex decreto Eugenii IV, pro Jacobitis.

NB. Voluntatem divinam fuisse in Christo, probatione non indiget. Verbum enim divinum per unionem ad naturam humanam nihil ex iis amisit, quæ Dei sunt. Unum igitur probandum superest, scilicet, voluntatem humanam fuisse in Christo.

Prob. I. **Ex Script. S. et Traditione.** Voluntatem humanam fuisse in Christo, multis ex locis manifeste colligitur. De seipso testatur Christus (Joan. V, 30): *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* In his autem Christus ostendit se voluntatem a voluntate divina distinctam habere. « Secundum formam servi, *ait S. Leo*, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum. » *(Ep. 97, c. 2, ad imper. Leonem).*

(Matth. XXVI, 39): *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* In quæ verba scribit *S. August.*: « In hoc quod ait: *Non quod ego volo*, aliud se ostendit voluisse quam Pater, quod nisi humano corde non potuisset;... nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quam Pater. » *(Contr. Maxim., l. II, c. 20).*

II. **Ex Ratione.** 1. « Christus, *inquit S. Alph.*, utpote possidens naturam humanam perfectam, habet consequenter etiam voluntatem humanam, sine qua humanitas perfecta non foret, sed facultate naturali privaretur.

2. « Christus obedivit, oravit, meruit, et pro nobis satisfecit, hæc autem absque creata voluntate humana præstare non potuisset, cum ea divinæ voluntati attribuere absurdum foret.

3. « His addi potest axioma a Gregorio Naz. enuntiatum et ab aliis Patribus receptum, scilicet: *Verbum sanavit quod assumpsit;* inde concludit S. Joan. Damasc., (Orat. de duabus Ch. naturis): *Si non assumpsit humanam voluntatem, remedium ei non attulit, quod primum sauciatum erat; quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut ait Gregorius Theologus. Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?* » (Confut. IX, n. 7).

893. — Prop. II. *Duæ in Christo sunt admittendæ operationes.*

De fide, ut prop. præcedens.

Prob. I. **Ex Script. S.,** quæ Christo divinam simul et humanam operationem attribuit: *a)* divinam: (Joan. V, 17): *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* — Et (ibid. 19): *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc et Filius similiter facit.* — Idem quoque probatur miraculis, quæ Christus propria auctoritate fecit: *Volo, mundare.* (Matth. VIII, 3). — *b)* humanam: (Matth. XX, 28): *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* — Multæ insuper referuntur Christi operationes, quæ soli naturæ humanæ tribui possunt, ut loqui, manducare, bibere, lacrymari, vulnerari, etc.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Joan. Damasc.:* « Duas in Christo virtutes, operationes dicimus; nam ut Deus, divinam operationem habebat, et, ut homo factus, operatricem humanæ naturæ facultatem. » *(De fide orth., l. III, c. 15).* — Et *S. Leo M.:* « Esurire, sitire, lacteseere, atque dormire, evidenter humanum est: sed quinque panibus quinque millia

hominum satiare, et largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstet, ne ultra jam sitiat; supra dorsum maris plantis non decidentibus ambulare, et elationes fluctuum, increpata tempestate, consternere, sine ambiguitate divinum est. » *(Ep. 28, c. 4).*

III. **Ex Ratione.** « Ubicumque movens et motum, *ait S. Th.*, habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti: licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum communione alterius. Sic igitur in Christo humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, et e converso. Et tamen divina natura utitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti; et similiter humana natura participat operationem divinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est quod dicit Leo Papa (In Epist. ad Flavian.): *Agit utraque forma*, scilicet tam natura divina quam humana in Christo, *cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est.* » *(Q. 19. a. 1).*

894. — Scholium. *De actionibus theandricis.* — Ratione personæ, omnes Christi actiones sunt theandricæ, seu deiviriles; ratione vero naturarum illæ solæ theandricæ vocantur, ad quarum productionem natura divina et humana simul cooperantur.

1. Duæ, ut dictum est, adsunt in Christo operationes, propter duas naturas, divinam et humanam, quarum utraque tanquam *principium quo*, operationem sibi convenientem producit. Omnes tamen actiones eidem personæ tanquam *principio quod* attribuuntur; actiones enim sunt suppositorum.

Est igitur Christus *unus operans, unus operator*, qui secundum naturam divinam, divina; et secundum humanam, humana operatur. Cum igitur Christus sit Deus simul et homo, ratione personæ omnes ejus actiones vocantur *theandricæ*, quia omnes sunt Dei-Hominis. « Omnes operationes, *ait S. Alph.*, quæ a Christo, sive secundum naturam divinam sive secundum

humanam ponuntur, theandricæ seu deiviriles vocantur; omnes enim sunt operationes Dei-Hominis, et omnes attribuuntur personæ, quæ divinam simul et humanam naturam terminat.» *(Confut. IX, n. 8).*

2. Ratione naturarum non omnes Christi actiones sunt theandricæ. Ratione naturæ «tres species actionum distinguuntur in Christo, *inquit S. Alphonsus* (*loc. cit*): *a)* actiones, quæ humanæ naturæ unice propriæ sunt, ut deambulare, manducare, sedere; *b)* actiones, quæ ad naturam divinam exclusive pertinent, ut remittere peccata, patrare miracula, et similia; *c)* actiones, quæ a duabus simul naturis oriuntur, ut sanare morbos tactu, resuscitare mortuos voce.» Ratione naturæ, hæ solæ ultimæ operationes theandricæ vocantur, quia in his solis «divina operatio ejus (Christi) utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis», ut *ait S. Th. (Q. 19, a. 1, ad 1).*

895. — Objicitur I. In uno eodemque volente, in quo est unum primum movens, est etiam una tantum voluntas; voluntas enim primum est movens et primum imperans. Atqui in Christo primum movens et imperans fuit voluntas divina; quia omnia humana in Christo voluntate divina movebantur. Ergo in Christo fuit una tantum voluntas, eaque divina.

Resp. *Ad majorem:* In uno eodemque volente, in quo est unum primum movens, est etiam una tantum voluntas, *distinguo*: si in eodem volente, præter unitatem suppositi adsit etiam unitas naturæ, *concedo;* si in unitate suppositi adsint duæ naturæ, quarum una est altera superior, *nego;* eo enim in casu voluntas superioris naturæ voluntatem inferioris regit quidem, non autem supplet.

Ad minorem: Atqui in Christo primum movens erat voluntas divina, *concedo;* quippe humana Christi natura in omnibus a voluntate divina perfecte dependebat, in omnibus movebatur nutu voluntatis divinæ, et ad nihil unquam, nisi prius mota esset a Verbo, sese determinabat. Ideo signanter dixit ipse Christus: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* (Joan. VIII, 29).

896. — Obj. II. — Instrumentum non propria voluntate, sed voluntate principalis agentis movetur; præterea, instrumentum actionem ab actione principalis agentis distinctam non habet. Atqui in Christo humanitas fuit divinitatis instrumentum. Ergo humanitas nec propriam voluntatem nec propriam operationem habuit.

Resp. 1. *Quoad voluntatem:* Instrumentum propria voluntate non movetur, *distinguo:* tanquam primo movente et primo imperante, *con-*

cedo; tanquam movente moto a voluntate principalis agentis, *nego.* — Ergo in Christo fuit tantum una volontas, id est, divina, tanquam primum movens, *concedo;* tanquam supplens et excludens voluntatem humanam, *nego.* Apposite S. Thomas: «Proprium est instrumenti quod moveatur a principali agente; diversimode tamen secundum proprietatem naturæ ipsius. Nam instrumentum inanimatum, sicut securis aut serra, movetur ab artifice per solum motum corporalem: instrumentum vero animatum animâ sensibili movetur per appetitum sensitivum, sicut equus a sessore; instrumentum vero animatum animâ rationali movetur per voluntatem ejus; sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum, qui quidem servus est instrumentum animatum. Sic ergo humana natura in Christo fuit instrumentum Divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem.» *(Q. 18, a. 1, ad 2).*

Resp. 2. *Quoad operationem:* Instrumentum actionem ab actione principalis agentis distinctam non habet, *distinguo:* si instrumentum consideratur ut instrumentum, *concedo;* si consideratur ut res quædam, propriam suam formam possidens, *nego.* «Actio ejus quod movetur ab altero, est duplex, *ait S. Th.,* una quidem quam habet secundum propriam formam; alia autem quam habet secundum quod movetur ab alio: sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, operatio ejus est facere scamnum. Operatio igitur quæ est alicujus rei secundum suam formam, est propria ejus, nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur hujusmodi re ad suam operationem..... Sed illa operatio quæ est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia præter operationem moventis ipsam» *(q. 19, a. 1, c.)*; — et in resp. *ad 1:* «Sic igitur actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem, prout est res quædam. Sic igitur operatio quæ est humanæ naturæ in Christo, inquantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis..... habet tamen humana natura in Christo, inquantum est natura quædam, quamdam propriam operationem præter divinam.»

897. — **Obj. III.** Actiones sunt suppositorum. Atqui in Christo est unicum suppositum. Ergo unica operatio.

Resp. *Dist. maj.* Actiones sunt suppositorum, tanquam *principium quod operatur, concedo;* tanquam *principium quo, nego.* «Operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam a qua operatio speciem recipit. Et ideo a diversitate formarum seu naturarum est diversa species operationum.» *S. Th. (Q. 19, a. 1, ad 3).*

Quia igitur in Christo duæ sunt diversæ naturæ, in Eo etiam duæ diversæ agnoscendæ sunt operationes; sed quia unicum est suppositum, omnes operationes Verbo divino, a quo operationes humanæ naturæ infinitum accipiunt valorem, adscribendæ sunt. Quæ igitur Chri-

stus operatus et passus est, hæc omnia persona divina operata et passa est, sed in natura humana. quam ipsa terminabat.

898. — Quæritur I. *Utrum in Christo fuerit voluntas sensualitatis.*

Resp. Si nomine *voluntas sensualitatis* intelligatur appetitus sensitivus ut inclinans ad aliquid contrarium rationi, omnino negandum est talem voluntatem fuisse in Christo.

Si autem nomine *voluntas sensualitatis* intelligatur appetitus sensitivus ut simpliciter tendens in bonum sensibile et refugiens contrarium, hæc voluntas est Christo attribuenda, Ratio est quia Christus humanam naturam cum omnibus, quæ ad ipsius perfectionem pertinent, assumpsit. Ad perfectionem autem naturæ humanæ pertinet appetitus sensitivus, qui etiam voluntas sensualitatis vocatur, et cujus actus sunt passiones. « Et ideo, *ait S. Th.*, oportet dicere quod in Christo fuit sensualis appetitus sive sensualitas. Sciendum est etiam quod sensualitas sive sensualis appetitus, inquantum est natus obedire rationi, dicitur rationale per participationem. Et quia voluntas est in ratione, pari ratione potest dici quod sensualitas sit voluntas per participationem. » *(Q. 18, a. 2).*

899. — Quæritur II. *Utrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem.*

Resp. Voluntas quandoque accipitur pro potentia, quandoque pro actu. Si voluntas *pro potentia* accipiatur, unica tantum est in Christo voluntas ; si vero accipiatur *pro actu*, duplex in Christo est agnoscenda voluntas, videlicet voluntas *ut natura*, et voluntas *ut ratio.*

Intellectus noster rem quamlibet duplici sub respectu considerare potest : potest *primo* rem considerare *absolute, secundum quod est in se;* v. g., medicinam amaram, secundum quod est in se potio amara. Appetitus, qui ad hanc absolutam rerum considerationem sequitur, vocatur *voluntas ut natura*, et est potius velleitas, volitio conditionata, volitio imperfecta, quam vera voluntas. — Potest *secundo* intellectus rem considerare secundum quod ad aliud ordinem habet, tanquam medium ad finem ; v. g., medicinam amaram prout ad sanitatem restituendam ordinatur. Appetitus, qui hanc relativam rerum considerationem consequitur, vocatur *voluntas ut ratio :* et hæc est vera et perfecta cujusdam rei volitio. *(Cf. S. Th., q. 18, a. 3).*

Utriusque autem voluntatis est una potentia, scilicet ipsa voluntas *ut facultas*, quæ secundum actus modo prædicto diversificatur.

900. — Scholium. Ex hactenus dictis, hæc in Christo voluntatum divisio statui potest :

1. Ratione *naturarum*, existit in Christo duplex voluntas : divina scilicet et humana.

2. Ratione *potentiarum*, triplex existit, scilicet : voluntas divina, voluntas humana rationalis, et appetitus sensitivus.

3. Ratione *actuum*, quadruplex existit, videlicet: voluntas divina, voluntas ut natura, voluntas ut ratio, et actus appetitus sensitivi.

901. — Quæritur III. *Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito.*

Resp. Voluntas sensualitatis et voluntas rationalis *ut natura* non erant semper conformes Deo in volito materiali; seu poterant aliud velle quam quod Deus voluit; in volito autem formali voluntati divinæ semper conformes erant. Voluntas *ut ratio*, id est voluntas Christi deliberata, fuit divinæ semper conformis etiam in volito materiali, secundum illud (Joan. VIII, 29): *Quæ placita sunt ei facio semper.*

Deus Pater, Verbum et Spiritus Sanctus salutem humani generis ut principale volitum in se bonum intendebant; et passionem Christi, non ut aliquid in se bonum, sed ut bonum in ordine ad salutem hominum, volebant. In ordine ad passionem, Deus voluit omnes animæ vires in Christo, ac proinde ipsam voluntatem, *agere et pati quæ sunt eis propria*. His a Deo ordinatis omnino conformis fuit Christus. Etenim:

1. Christi *voluntas ut ratio*, cujus est eligere media ad finem, salutem humani generis voluit ut Deus, sicut aliquid *in se* bonum. Ad hunc finem consequendum, voluit, sicut ipse Deus, passionem suam propriam, non ut aliquid bonum in se, sed ut bonum *relativum*. In ordine ad suam passionem voluit, sicut ipse Deus, omnes vires suas naturales agere et pati quæ sunt eis propria. Hæc igitur deliberata Christi voluntas Deo tam in volito materiali, quam in volito formali conformis erat: et secundum hanc voluntatem oravit Christus quando dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* (Marc. XIV, 36).

2. Hac existente conformitate, Christi *voluntas ut natura*, quæ naturaliter ea, quæ naturæ sunt contraria et secundum se mala, repudiat, passionem et mortem ut aliquid in se malum et naturæ contrarium refugit. — Similiter, voluntas sensualitatis, quæ dolores sensibiles et corporis læsionem naturaliter abhorret, passionem ut aliquid excrucians et sensum affligens, refugit. Secundum has voluntates oravit Christus, quando dixit: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* (Matth. XXVI, 39). In hoc autem ambæ voluntates voluntati divinæ fuerunt conformes. Et ideo, etiam cum inter voluntatem Dei Patris et voluntatem Christi patientis, et orantis ut transiret calix, dissidentia adesse videretur, perfecta tamen semper et mira inter eas adfuit conformitas. *(Cf. S. Th., q. 18, a. 5).*

902. — Quæritur IV. *Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.*

Resp. *Negative, de fide.* ex Synodo VI, act. 4. « Prædicamus et duas naturales voluntates non contrarias, absit.... sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. »

Ut adsit contrarietas voluntatum, duo requiruntur, scilicet: 1. requiritur ut actus opposito modo in idem objectum, et sub eadem ratione, ferantur. Si non sunt circa idem, vel sub eadem ratione, non adest contrarietas, ut, v. gr., nolle cœnare, velle dormire; vel: nolle mori, quia mors est in se quid mali; velle mori, quia mors est medium ad patriam liberandam, non sunt contraria; — 2. requiritur ut actus sint ejusdem potentiæ; si enim sunt diversarum potentiarum non est contrarietas, nisi actus unius potentiæ adeo prævaleat, ut alterius actum impediat vel retardet.

« Sic igitur dicendum est, *ait S. Th.,* quod licet voluntas naturalis et voluntas sensualitatis in Christo aliquid aliud voluerit quam voluntas divina, et voluntas rationis ipsius, non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum. Primo quidem quia neque voluntas naturalis, neque voluntas sensualitatis repudiebat illam rationem, scilicet quâ divina voluntas et voluntas rationis humanæ in Christo passionem volebant... Secundo, quia neque voluntas divina, neque voluntas rationis in Christo impediebatur aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum sensualitatis. Similiter etiam nec e contrario voluntas divina, aut voluntas rationis in Christo refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ et motum sensualitatis in Christo. Placebat enim Christo secundum voluntatem divinam et etiam secundum voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso, et voluntas sensualitatis secundum ordinem suæ naturæ moverentur. Unde patet quod in Christo nulla fuit repugnantia, vel contrarietas voluntatum. » *(Q. 18, a. 6).*

903. — Quæritur V. *Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.*

Resp. *Affirmative, de fide.* De Christo enim dicitur (Is. LIII, 7): *Oblatus est quia ipse voluit.* Et ipse de se dicit, (Joan. X, 18): *Nemo tollit eam a me, sed ego ponam eam a meipso.*

Prob. ratione. Liberum arbitrium est vis electiva mediorum ad finem. Atqui, vis electiva mediorum ad finem, quæ idem est ac voluntas ut ratio, fuit in Christo, ut supra vidimus. Ergo.

Quæ Christi libertas ab omni imperfectione, quæ humanam libertatem comitari solet, libera exstitit. In nobis, utpote nescientibus quodnam medium sit optimum ad finem consequendum, dubitatio electionem præcedere solet; qua de causa, ut unum præ alio eligamus medium, consilio et investigatione indigemus. In Christo, utpote ab omni nescientia libero, erat electio, sed absque ulla dubitatione aut ulla consilii inquisitione. *(Q. 18, a. 4).*

ARTICULUS II.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM [1].

904. — *Idioma* idem significat atque *proprietas* seu *attributum*, et communicatio, idem atque *mutua de se prædicatio*. Communicatio idiomatum potest igitur definiri: *Naturæ divinæ et humanæ earumque proprietatum mutua prædicatio in Christo.*

Communicatio idiomatum fundamentum habet: 1. *In unitate personæ Christi:* « Cum enim Verbum suæ personæ humanam naturam univerit, *ait S. Alph.*, eademque persona sit, quæ ambas naturas, divinam et humanam, sustineat, de homine recte affirmantur proprietates naturæ divinæ, et de Deo, proprietates humanæ naturæ assumptæ. » *(Confut. XV, n. 10).* — 2. *In regula dialecticorum*, vi cujus terminus in subjecto positus tenetur materialiter, id est, pro supposito; positus vero in prædicato, tenetur formaliter, id est, pro natura significata [2]. Quare v. g., hæc est vera, *Deus factus est homo;* hæc falsa: *Homo factus est Deus.*

Communicatio idiomatum fieri potest in concreto, vel in abstracto. Dicitur fieri *in concreto*, quando fit ratione subjecti, seu, quando mutua prædicatio fit de persona Christi. V. gr., si, demonstrato Christo, dico: *hic homo est immensus, omnipotens*, etc; vel: *Deus est mortalis.* — Dicitur fieri *in abstracto*, quando mutua prædicatio fit de natura divina et humana a supposito abstractis; v. gr., si dico: *in Christo humanitas est Deus, est immensa;* vel: *deitas passa est, mortua est.* — Sicuti infra dicetur *(n. 906)*, admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, non autem in abstracto.

905. — Errores. — Communicationem idiomatum omnino rejecit Nestorius. Hic, eo ipso quod in Christo duas admiserit personas, funda-

[1] Cf. S. Th., q. 16; Billuart, Diss. XVI; Isamb. In q. 16; De Rhodes, q. V, sect. 3. — [2] Cf. S. Th., q. 16, a. 7, ad 4.

mentum, in quo reponitur communicatio idiomatum, penitus tulit. Lutherus contra docuit, attributa divina per Incarnationem in naturam humanam Christi transiisse, et in Christo adesse communicationem idiomatum etiam in abstracto; ex quo deduxit Christi humanitatem esse immensam et ubique præsentem.

906. — Prop. *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, non autem in abstracto.*

Ad fidem pertinet, ex diversis Conciliis, atque apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. Pars: I. **Ex Script. S.** In S. Scriptura Christo homini ea, quæ Dei sunt, et Christo Deo, ea quæ hominis sunt, attribuuntur. Legimus (Act. III, 15): Auctorem *vero vitæ interfecistis.* — (I Cor. II, 8): *Si (eum) cognovissent, nunquam* Dominum Gloriæ *crucifixissent.* — (Luc. I, 35): Quod nascetur *ex te Sanctum, vocabitur* Filius Dei.

II. **Ex Symbolis,** in quibus Deus dicitur « incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine... passus, mortuus et sepultus. »

III. **Ex Traditione.** « Si ergo attendas distinctionem substantiarum, *ait S. August.*, Filius Dei descendit de cœlo. Filius hominis crucifixus est: si unitatem personæ, et Filius hominis descendit de cœlo, et Filius Dei est crucifixus. » *(Cont. Maxim., l. II, c. 20).* — Et *Vigilius Papa:* « Constat et divinitatem humanitatis, et humanitatem divinitatis habere vocabulum; id est, Verbum dici carnem, et carnem dici Verbum: non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una persona, id est, unus Christus sit. Et ideo recte credimus et prædicamus cum Apostolo, Deum crucifixum et mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi consortio, deitatis possidet nomen. » *(Cont. Eutych., l. IV).*

IV. **Ex Ratione.** Ea, quæ alicui naturæ conveniunt, de supposito istius naturæ affirmari possunt: sic, v. gr., de Petro dicere possumus: est rationabilis, est risibilis, est mortalis. Atqui, in Christo unica est hypostasis, qua utraque natura, divina scilicet et humana, subsistit. Ergo ea, quæ divinæ naturæ conveniunt, de homine Christo, tanquam de hypostasi divinæ naturæ, affirmari possunt; et ea, quæ humanæ naturæ

conveniunt, de Deo, tanquam de hypostasi humanæ naturæ, prædicari possunt.

Prob. II. Pars: *Non potest admitti in abstracto.*

I. In Scriptura Sacra et Symbolis, semper in concreto, nunquam autem in abstracto utriusque naturæ proprietates de se mutuo prædicantur. Ergo nec nos eas de se invicem in abstracto prædicare possumus.

II. **Ex Traditione.** S. Patres unanimiter prohibent ne, quæ sunt unius naturæ propria, alteri naturæ attribuantur, v. g., quod divinitas sit passa. Quod idem est atque prohibere ne communicatio idiomatum fiat in abstracto. « Impium et sacrilegum est, *ait Vigilius Papa*, ea quæ sunt propria carnis Christi, ad naturæ Verbi proprietatem referre, et quæ sunt propria Verbi, carni adscribere. » *(Cont. Eutych., l. V).*

III. **Ex Ratione.** Unio hypostatica non in natura, sed in persona facta est, et in Christo ambæ naturæ, sicut et earum proprietates, impermixtæ, inconfusæ, et omnino distinctæ permanserunt *(n. 877)*. Jamvero quæ sunt inter se realiter distincta, de se mutuo prædicari nequeunt, nisi in eodem supposito, quod ea in se uniat, conveniant; prædicatio enim nihil aliud est quam affirmatio vel negatio identitatis unius de alio. V. g. *Albedo est dulcedo*, dici nequit: sed demonstrato saccharo, *hoc album est dulce*, dici potest. Atqui natura divina et humana earumque proprietates in Christo, si sumantur in abstracto, non conveniunt in eodem supposito. Ergo de se invicem in abstracto affirmari nequeunt. Sic ergo dici nequit: divinitas est humanitas, divinitas est mortua.

907. — Scholium. *Regulæ pro communicatione idiomatum.* Ex modo dictis, et ex S. Thoma, q. 16, a. 1, ad 2, et a. 5, pro communicatione idiomatum quædam regulæ generales assignari possunt.

Regula I. *Concreta de concretis tam naturarum quam proprietatum de se invicem prædicari possunt, regulariter loquendo.* Ratio: quia idem servatur commune suppositum. V. gr. Deus est homo, homo est Deus, Deus est mortuus.

Dixi *regulariter loquendo;* quia varia excipiuntur attributa, ut sunt ea quæ soli naturæ, vel soli supposito conveniunt; sic v. g., dici nequit: *Verbum fuit assumptum; homo assumpsit.* — Excipiuntur etiam attributa, quæ subjecto repugnant, ut esse *purus homo, esse creatura,* — vel quæ sunt ambigua, et cum modo loquendi hæreticorum conveniunt.

Regula II. *Abstracta de abstractis, abstracta de concretis, et concreta de abstractis prædicari nequeunt, saltem formaliter.* Ratio: quia non servatur idem commune suppositum. Sic dici nequit: *Deus est humanitas; divinitas est humanitas; divinitas est passa.*

Regula III. *Natura divina et humana non possunt de se invicem prædicari denominative, seu per modum nominis adjectivi; nec proprietates unius naturæ possunt denominative prædicari de altera natura;* v. gr. Christus est homo deificus, Christus est homo deificatus; Christus est Deus humanatus. — Ratio: quia prædicatio, quæ fit per nomina adjectiva, indicat inter subjectum et prædicatum adesse unionem tantum accidentalem, non vero substantialem, ut, v. gr., si dico: *homo vestitus.* Unde si dico *Christus est Deus humanatus,* innuo personam Christi non esse hominem, sed participare accidentaliter naturam humanam, quod hæreticum est. — Propter consuetudinem tamen adjectivum *divinus,* attribui potest Christo, sicut etiam Verbum dicitur Verbum *divinum. (S. Th., a. 3, ad 3).*

Regula IV. *Nullum prædicatum naturæ humanæ proprium, etiam in concreto sumptum, Christo Domino cum reduplicatione deitatis attribui potest; et nullum prædicatum naturæ divinæ proprium, etiam in concreto sumptum, Christo cum reduplicatione humanitatis attribui potest.* — Ratio: quia terminus reduplicativus causam vel rationem formalem denotat, ob quam prædicatum subjecto convenit. Unde falsæ sunt istæ propositiones: *Christus, quatenus Deus, est mortuus; — Christus, quatenus homo, est omnipotens, est ubique. — Christus, quatenus hic homo, est creatura;* in hac ultima propositione pronomen *hic,* vel *iste,* personam indicat. — Hæc autem sunt veræ: *Christus, quatenus homo, est creatura: — Christus, quatenus homo, est mortalis.*

ARTICULUS III.

DE PERFECTIONIBUS ANIMÆ CHRISTI.

Tres in anima Christi perfectiones agnoscimus, *gratiam* scilicet et *virtutes*, *scientiam*, et *potentiam*. De quibus singillatim quædam dicenda occurrunt.

§ 1. *De Gratia et Virtutibus in Christo.*

908. — S. Joannes in Cap. I. sui Evangelii triplicem in Christo indicavit gratiam, scilicet: 1. gratiam unionis per quam Christi humanitas est substantialiter sancta sanctitate increata Verbi: *et Verbum caro factum est:* — 2. gratiam sanctificantem: *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis;* et 3. gratiam capitalem, quæ Christo qua capiti Ecclesiæ competit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* — De gratia capitali in cap. III sermo erit; hic igitur de sola gratia substantiali et sanctificante in Christo dicemus; et quia ex gratia fluunt virtutes, absolutis quæ ad gratiam pertinent, de virtutibus in Christo quædam addentur.

I. DE GRATIA UNIONIS ET GRATIA SANCTIFICANTE IN CHRISTO [1].

909. — Gratia unionis est *ipsum uniri personaliter Verbo divino. (Cf. n. 875).* Per unionem hypostaticam a persona Verbi confertur humanitati Christi sanctitas substantialis, personalis, increata, vi cujus, seclusa etiam gratia habituali et actuali, Christus ut homo, naturalis Filius Dei constituitur, ab omni peccato immunis existit, Deo est gratus et acceptus, et jus habet ad æternam beatitudinem.

Gratia habitualis est donum creatum animæ formaliter inhærens, per quod anima formaliter constituitur sancta, Deo

[1] Cf. Isamb., In q. 7; Gabr. a S. Vinc., Disp. 7; Maderni, q. X; Contens., l. IX, D. 4, Cap. II; Gonet, *Clyp.*, Disp. 12.

grata, et actus supernaturales connaturaliter eliciendi potens redditur.

In Christo sanctitas personalis a sanctitate formali in eo differt, quod in sanctitate personali humanitas Christi a persona Verbi *ad esse divinum personale elevata est;* sed in sanctitate formali eadem humanitas per gratiam sanctificantem ad esse divinum *participatum et accidentale* elevata est; — præterea, in sanctitate personali seu substantiali, persona Verbi unitur humanitati non formaliter, sed terminative; dum e contra, gratia sanctificans animam informat.

910. — Prop. I. *Humanitas Christi fuit sancta sanctitate substantiali.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Christus vocatur *unctus* (Ps. XLIV): *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Quæ verba, teste Apostolo, Hebr. I, de Christo intelliguntur. Atqui in S. Script. per unctionem intelligitur *sanctificatio,* quia, quæ in Vet. Lege Deo divinoque cultui consecrabantur, oleo ungebantur. Hanc autem Christi unctionem et sanctificationem factam esse per ipsam unionem hypostaticam, docet ipsa Scriptura, quæ Incarnationem *unctionem* vocat: (Dan. IX, 24): *Et ungatur Sanctus Sanctorum;* et S. Patres unanimiter docent hanc unctionem esse ipsam unionem humanitatis ad personam Verbi. « Non ante conceptus, *ait S. Anselmus,* et postmodum unctus, sed hoc ipsum de Spiritu et carne Virginis concipi, Spiritu Sancto ungi fuit. » *(In Cap. I ad Hebr.)* — Et *S. Augst.:* « Tunc unctam fuisse invisibili Deo humanam naturam, quando divinæ est unita personæ. » *(De Trinit. l. XV, c. 16).*

Legimus præterea (Joan. X, 36): *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?* Sed in his, *sanctificare* et *mittere in mundum,* idem est ac Christum constituere, cui per ipsam missionem sanctitatem contulit.

II. **Ex Ratione.** Id hominem immediate et personaliter sanctificat, quod illum ad esse divinum personale elevat, illi filiationem divinam confert, eum justum et Deo gratum constituit, eique jus ad æternam beatitudinem confert. Atqui hæc

omnia, seclusa etiam gratia sanctificante, humanitati Christi ratione unionis cum persona Verbi conferuntur. Ergo in Christo agnoscenda est sanctitas substantialis a persona Verbi in eum derivata; unde dicitur (Luc. I, 35): *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

911. Prop. II. *Admittenda est in Christo gratia sanctificans.*

Ad fidem pertinet.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. I, 14): *Vidimus gloriam ejus... plenum gratiæ et veritatis,... et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Sed ille, in quo est omnis gratiæ plenitudo, etiam gratia sanctificante non destituitur. « Dominus ipse Deus, *ait S. August.*, Spiritum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia et Spiritu Sancto. » *(De Trinit., l. XV, c. 26, n. 46).*

Præterea, de Christo dicitur (Is. XI, 2): *Et requiescet super eum Spiritus Domini* — et, (Is. LXI, 1): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Sed Spiritus Sanctus dicitur esse in homine per gratiam sanctificantem. — « Unxit eum Deus Spiritu Sancto, *ait S. August.* Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia. » *(loc. cit).*

II. **Ex Ratione.** « Necesse est, *ait S. Th.*, ponere in Christo gratiam habitualem. Primo quidem propter unionem animæ illius ad Verbum Dei. Quanto enim aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiæ est a Deo, secundum illud (Ps. LXXXIII): *Gratiam et gloriam dabit Dominus...* Tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim, in quantum homo, est *mediator Dei et hominum*, et ideo oportebat quod haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* » *(Q. 7, a. 1).*

912. — Quæritur I. *Ad quid gratia habitualis necessaria fuit in Christo.*

Resp. In Christo gratia habitualis ad tria præsertim fuit necessaria: 1. Ut anima Christi omnibus modis possibilibus sanctificaretur; et ideo debuit esse sancta, non sola sanctitate substantiali, sed etiam sanctitate accidentali animæ creatæ connaturali, quæ per gratiam habitualem confertur.

2. Ut anima Christi actus supernaturales connaturaliter elicere posset. Christus homo, vi gratiæ unionis, tanquam *principium quod* actus supernaturales jam elicere potuit. Sed ut actus supernaturales ab humanitate connaturaliter eliciantur, necesse est ut non solum *principium quod,* sed etiam *principium quo,* sit proportionatum. Jamvero humanitas Christi per unionem hypostaticam non constituitur *principium quo proportionatum* actuum supernaturalium; sed illa connaturalitas per solam gratiam sanctificantem confertur.

3. Ut anima Christi modo connaturali præmium supernaturale mereri posset. Patet ex modo dictis: meritum enim actum supernaturalem sequitur.

913. — Quæritur II. *Utrum gratia Christi habitualis sit infinita.*

Resp. Gratia tripliciter considerari potest: 1. prout est ens physicum; 2. in esse gratiæ, secundum ordinem ad effectus; 3. in esse moris, secundum valorem et moralem æstimationem.

1. Si consideratur *ut ens physicum,* gratia Christi est intensive finita. « Gratia habitualis Christi, *ait S. Th.,* secundum quod est quoddam ens, necesse est quod sit ens finitum, est enim in animâ Christi sicut in subjecto: anima autem Christi est creatura quædam, habens capacitatem finitam, unde esse gratiæ cum non excedat suum subjectum, non potest esse infinitum. » *(Q. 7, a. 11).*

2. *In esse gratiæ,* gratia Christi habitualis est infinita, scilicet extensive, seu est indefinita, quia et omnes effectus gratiæ producere, et ad infinitos homines, si actu essent infiniti, sese extendere potest. « Alio modo, *ait S. Th.,* potest considerari gratia secundum propriam rationem gratiæ, et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet. » *(Q. 7, a. 11).*

3. *In esse moris,* gratia Christi est infinita, quippe ratione conjunctionis cum persona Verbi, sibi competit esse *principium quo* operationis infinite meritoriæ et satisfactoriæ.

914. — Quæritur III. *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ* [1].

NB. Gratiæ plenitudo considerari potest vel *intensive,* relate ad intrinsecam ipsius gratiæ magnitudinem atque excellentiam; vel *extensive,* relate scilicet ad effectus gratiæ.

[1] Cf. S. Th., q. 7 a. 9 et 10; Gonet, *Clyp.* D. XIII, a. 2; Isamb., q. VII, d. 4, a. 1 et 2.

Intensiva gratiæ plenitudo potest et ipsa considerari vel *ex parte ipsius gratiæ*, vel *ex parte subjecti*. — Plenitudo *ex parte ipsius gratiæ* dicitur, quando gratia possidetur in summa excellentia, quæ de potentia Dei ordinaria conferri potest. — Dicitur plenitudo *ex parte subjecti*, quando subjectum totam eam gratiam, quæ pertinet ad suum statum vel officium, possidet.

Quibus notatis *respondetur:* In Christo fuisse plenitudinem gratiæ tam extensivam quam intensivam, et quidem eam intensivam quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ; ac proinde Christum, in quo *complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, (Colos. I, 19), habuisse gratiam in summa excellentia, quæ de potentia Dei ordinaria conferri potest.

Quæ plenitudo est Christo propria. Alii vero sancti, qui pleni gratia vocantur, subjectivam tantum gratiæ plenitudinem, relate scilicet ad eorum statum aut officium, habuerunt.

Dictum est: gratiam Christi esse maximam *de potentia Dei ordinaria*, quia, ut docent auctores [1], probabile est Deum posse de potentia absoluta, creare gratiam entitative majorem, cum gratia Christi sit entitative finita, et Dei potentia nullo finito termino coarctari possit.

915. — Quæritur IV. *Utrum Christus ad operandum indiguerit gratia actuali* [2].

Resp. Duplex distinguitur gratia actualis, excitans et adjuvans. Gratia excitans est supernaturale auxilium, quo Deus hominem ad bonum operandum excitat, illuminando intellectum, et inclinando voluntatem. — Adjuvans est supernaturale auxilium, quo Deus cum homine operante ad bonum opus ponendum cooperatur.

Gratia excitante non indiguit Christus; quia ejus intellectus per visionem beatificam, qua fruebatur ab initio, de omnibus perfecte illuminabatur; et ejus voluntas per amorem beatificum ad omne bonum perfecte inclinabatur — *Gratia adjuvante* indiguit Christus; anima enim illius, licet Verbo unita, non habuit ut per se esset principium ad opus supernaturale exequendum; unde ad operandum concursu Dei supernaturali simultaneo indiguit, in quo consistit ratio gratiæ adjuvantis; non secus ac in ordine naturali concursu simultaneo naturali indiguit ad operandum.

II. DE VIRTUTIBUS IN CHRISTO [3].

916. — Prop. I. *In Christo fuerunt omnes virtutes per se infusæ, quæ nullam includunt vel connotant imperfectionem*

[1] Cf. Gonet, *Clyp.* D. XIII, a. 3; Isamb. D. IV, a. 6. — [2] Cf. Suarez, *De Inc.*. D. XVIII, sect. 4. — [3] Cf. Isamb., In q. VII, disp. 6; Gonet, *Clyp.*, D. XII, a. 3.

in habente illas: quæ vero imperfectionem includunt vel connotant, in Eo non fuerunt. — Communis.

Prob. I. Pars: I. Virtutes infusas fuisse in Christo, S. Patres aperte docent, ut S. Ambrosius, Serm. XV in Ps. CXV.

II. **Ex Ratione.** « Sicut gratia respicit essentiam animæ, *ait S. Th.*, ita virtus respicit potentiam ejus. Unde oportet quod sicut potentiæ animæ derivantur ab ejus essentia, ita virtutes sint quædam derivationes gratiæ. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quantum ad omnes animæ actus: et ita Christus habuit omnes virtutes. » *(Q. 7, art. 2).*

Prob. II. Pars: Status Christi est perfectissimus. Ergo eas in Christo non admittit virtutes, quæ aliquam imperfectionem sibi adjunctam habent. Ex quo:

Deduces 1: *Fidem non fuisse in Christo:* fides est de re non visa; sed Christus ab initio conceptionis suæ habuit visionem beatificam. *(S. Th., q. 7, a. 3).*

Deduces 2: *Habitum spei non fuisse in Christo:* primarium spei objectum est *Deus nondum possessus.* Sed Christus fuit perfectus comprehensor. *(Q. 7, a. 4).* Actus vero spei, quibus Christus glorificationem corporis, nominis exaltationem, etc., speravit, ab habitu caritatis, non vero a virtute theologica spei, procedebant.

Deduces 3: *Pœnitentiam non fuisse in Christo.* Objectum primarium pœnitentiæ est peccatum proprium pœnitentis ut expiabile et emendabile: actus vero primarius pœnitentiæ est dolor de peccato proprio ex motivo emendationis. Sed cum in Christo nullum peccatum esse potuerit, in eo neque actus primarius pœnitentiæ, neque proinde habitus pœnitentiæ esse potuit.

Deduces 4: *Continentiam* « quæ non est virtus, sed aliquid minus virtute » *(q. 7, a. 2 ad 3), non fuisse in Christo.* Continentia enim secum patitur rebelles passiones et pravas concupiscentias, cum quibus bellum gerit; hæ autem passiones in Christo nullo modo exstiterunt.

917. — Prop. II. *Virtutes morales omnes per se acquisibiles, quæ cum statu Christi non pugnant, in Christo, et quidem in gradu heroico, fuerunt.* — Communis.

Prob. I. Pars: Christus ea omnia habuit, quæ animæ vires etiam intra limites ordinis naturalis perficiunt, quæque ad bona opera legi naturali consentanea connaturaliter exercenda illi necessaria erant. Atqui virtutes morales per se acquisibiles animæ vires intra limites ordinis naturalis perficiunt, ipsisque facilitatem atque promptitudinem ad exercendos actus humanos secundum substantiam naturales conferunt. Ergo illæ virtutes fuerunt in Christo; imo probabilius in eo ab initio conceptionis suæ per accidens fuerunt infusæ, ut jam a primo instanti non solum in ordine gratiæ, sed etiam in ordine naturæ perfectus esset.

Prob. II. Pars: Habere virtutes morales modo communi, est illas habere ad refrænandas passiones; habere illas supra modum communem et gradu heroico, est illas possidere absque inordinatis passionibus, unice ad perfecte eliciendas actiones secundum regulam rationis, circa propriam suam materiam: quamobrem vocantur virtutes purgati animi *(S. Th., 7, a. 2, ad 2)*. Atqui Christus immoderatis passionibus semper caruit, et nihilominus omnes virtutes morales per se acquisibiles habuit. Ergo eas in gradu heroico habuit.

918. — Prop. III. *In anima Christi fuerunt omnia dona Spiritus Sancti.* — Ad fidem pertinet.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Is. XI, 2): *Requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* Atqui, secundum communem Patrum atque scholasticorum sententiam, in his Isaiæ verbis sermo est de Christi humanitate. Ergo in Christo fuerunt omnia dona Spiritus Sancti.

II. **Ex Ratione.** «Dona, *ait S. Th.*, proprie sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundum quod sunt natæ moveri a Spiritu Sancto. Manifestum est autem quod anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur, se-

cundum illud (Luc. IV, 1): *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in desertum.* Unde manifestum est quod in Christo fuerunt excellentissime dona.» *(Q. 7, art. 5).*

919. — Objicitur. Dono timoris timet aliquis vel separationem a Deo per peccatum, quod pertinet ad timorem castum; vel punitionem propter peccatum commissum, quod pertinet ad timorem servilem. Sed neutrum Christo competere potest. Ergo donum timoris non fuit in Christo.

Resp. «In Christo, *ait S. Th.*, fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa: sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum a Spiritu Sancto... Hunc enim affectum reverentiæ ad Deum Christus, secundum quod homo, præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.» *(Q. 7, a. 6).*

920. — Prop. IV. *In Christo fuerunt excellentissime omnes gratiæ gratis datæ.* — Communis.

Prob. Gratiæ gratis datæ eo fine communicantur, ut Evangelii Doctor fidem, quam annuntiat, signis confirmet, et verbis persuadeat. «Spiritualis autem doctrinæ et fidei primus et principalis doctor est Christus, secundum illud (Hebr. II, 3): *Cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est; contestante Deo signis et portentis.* Unde manifestum est quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo et principali fidei doctore.» *S. Th. (Q. 7, a. 7).*

§ 2. *De Scientia Christi.*

921. — Verbum caro factum, nihil ex eis, quæ ei tanquam Deo conveniunt, per Incarnationem amisit; Christus igitur omnem scientiam, quæ Deo Patri propria est, possidet. De hac autem scientia in hocce paragrapho quæstio non instituitur. — Christus est etiam perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens: quæritur ergo utrum in

Christo homine, præter scientiam divinam, adsit etiam scientia creata.

922. — **Prop. I.** *In Christo Domino fuit scientia creata.* — Certa.

NB. Per scientiam creatam intelligitur in genere cognitio veritatis per propriam creati intellectus actionem. Propositio sic intellecta est adeo certa, ut contraria sententia ab omnibus *temeraria*, a nonnullis *hæretica* declaretur.

Prob. I. **Ex Script. S.** *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus.* (Joan. XIII, 1). — *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait:* (Matth. XXII, 18). — *Jesus proficiebat sapientia, et ætate.* etc. (Luc. II, 52). Atqui hæc verba de solo Christo homine, et de sola scientia ejus creata intelligi possunt.

II. **Ex Ratione.** 1. Anima intellectiva sine intellectione creata, est quid imperfectum; anima quippe ad intellectionem, sicut potentia ad actum, se habeat. Atqui non conveniens est animam Christi esse imperfectam. Ergo.

2. In Christo nihil fuit inutile. Atqui in Christo fuit intellectus creatus; et intellectus, qui non habet suam propriam operationem est quod inutile, cum omnis potentia sit propter suum actum. Ergo.

Objicitur. Christus per scientiam divinam omnia cognoscebat. Ergo ejus scientia creata est inutilis.

Resp. Christus qua Deus per scientiam increatam omnia cognoscebat, *concedo;* Christus qua homo, *nego.* Impossibile est enim intellectum creatum per scientiam increatam aliquid cognoscere; qua de causa, si Christus homo scientiam creatam non habuisset, ejus intellectus humanus nihil unquam cognoscere potuisset. Scientia igitur creata in Christo nequit dici inutilis.

923. — **Prop. II.** *Christus in vita sua mortali habuit scientiam beatam, seu clare et intuitive divinam essentiam vidit.* — Communis et certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Joan. VII, 55): *Scio eum, et sermonem ejus servo.* Quæ verba S. Thomas *(q. 9, a. 2)*, de clara visione Dei explicat. — (Joan. VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam,*

nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. — (Joan. I, 14). *Vidimus (eum)... plenum gratiæ et veritatis.* — (Colos. II, 3): *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Quos textus, aliosque similes, SS. Patres de scientia Christi beatifica explicant.

II. **Ex Ratione.** Homines ad finem æternæ beatitudinis, quæ in clara Dei visione consistit, per Christi humanitatem reducuntur. « Et ideo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens, excellentissime Christo homini conveniret, quia semper causam oportet esse potiorem causato. » *(S. Th., q. 9, a. 2).*

924. Scholia. I. Christus a primo instanti conceptionis suæ visionem beatificam habuit, et fuit perfectus comprehensor. Visio enim beatifica ei concessa est ratione assumptionis humanitatis a Verbo, quæ in primo conceptionis instanti facta est. *(S. Th., q. 34, a. 4).*

II. Anima Christi Dei essentiam clarius videt, quam quælibet alia creatura, imo quam omnes alii beati collective sumpti. Eo enim major est visionis beatificæ claritas, quo majus est lumen gloriæ, quod a fonte Verbi divini in beatos derivatur. Anima autem Christi, utpote Verbo intimius unita, ab eo pleniorem, quam quælibet altera creatura, influxum luminis gloriæ recepit. *(S. Th., q. 10, a. 4).*

III. Beata Christi anima divinam essentiam non comprehendit. Comprehendere Deum est ipsum tantum cognoscere quantum est cognoscibilis. Nullus autem intellectus creatus potest Deum cognoscere quantum est cognoscibilis. Sed anima Christi, licet Verbo hypostatice unita, remansit tamen creatura; ergo ipsa Deum, quantum est cognoscibilis, cognoscere nequit.

IV. Per scientiam beatam anima Christi ea omnia in Verbo cognoscit, ad quæ sese extendit scientia visionis Dei. « Nulli intellectui beato deest quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant, *ait S. Th.* Ad Christum autem et ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium judex constitutus a Deo, *quia filius hominis est,* ut dicitur (Joan. V, 27). Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia, secundum quodcumque tempus, et etiam hominum cogitatus, quorum est judex. » *(Q. 10, a. 2).*

Item, cognoscit in Verbo omnia possibilia quæ sunt in potestate creaturæ : « Quædam vero sunt... in potentia creaturæ : et hujusmodi omnia scit anima Christi in Verbo; comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ essentiam, et per consequens potentiam et virtutem et omnia quæ sunt in potentia creaturæ. » *(S. Th., loc. cit.)* — Sed non co-

gnoscit ea omnia possibilia, quæ sunt in potentia divina; alioquin ipsam divinam essentiam comprehenderet.

925. — Prop. III. *Christus a primo instanti conceptionis suæ habuit scientiam per se infusam*[1]. — Certa.

NB. Scientia infusa est cognitio quæ habetur extra Verbum per species a Deo infusas, et qua res in proprio genere, seu in propria natura cognoscuntur.

Prob. « Decebat, *ait S. Th.*, ut natura humana assumpta a Verbo Dei imperfecta non esset. Omne autem quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia: reducitur autem in actum per species intelligibiles, quæ sunt quædam formæ completivæ ipsius. Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum per Verbum Dei, animæ Christi sibi personaliter unitæ, impressæ sunt species intelligibiles ad omnia ad quæ intellectus possibilis est in potentia: sicut etiam per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creationis rerum.

« Et ideo sicut in Angelis ponitur duplex cognitio: una scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo, et alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas; ita præter scientiam divinam et increatam est in Christo secundum ejus animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, et res in Verbo; et scientia infusa sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas. » *(Q. 9, a. 3).*

926. — Scholia. I. Per scientiam infusam beata Christi anima cognovit omnia singularia præterita, præsentia et futura, imo et omnes cogitationes hominum: ad hæc enim omnia intellectus humanus est in potentia. *(S. Th., q. 11, a. 1).*

Præterea, Christus est judex vivorum et mortuorum, angelorum et hominum. Ut autem judex æquum judicium proferre possit, actum, quem judicare debet, penitus cognoscat, necesse est. Cum igitur Christus sit judex omnium actionum et cogitationum Angelorum et ho-

[1] Cf. Gabr. a S. Vinc., disp. IX, dub. 4, pag. 388.

minum, omnes eorum actiones et cogitationes in singulari penitus cognoscat, necesse est. Quam cognitionem accepit ab initio per scientiam infusam.

Demum, omnia quæ fiunt in mundo, a Deo ad finem Incarnationis et ad salutem electorum ordinantur. Conveniens autem fuit omnino ut Christus Redemptor omnia, quæ ad finem Redemptionis ordinantur, perfecte cognosceret.

II. Anima Christi scientia infusa uti poterat vel per conversionem vel sine conversione ad phantasmata. Anima enim comprehensoris, utpote corpori non amplius obligata, nec ab eo amplius dependens, intelligere potest absque conversione ad phantasmata. *(Q. 11, a. 2.)*

III. Scientia infusa in Christo: 1. *fuit habitualis;* erat enim in Christo modo ei connaturali. Modus autem connaturalis animæ humanæ est, ut quandoque sit intelligens actu, et quandoque in potentia. Inter puram autem potentiam et actum perfectum mediat habitus. *(Q. 11, a. 5).* — 2. *Fuit multiplex,* seu per plures habitus; quippe connaturale est animæ humanæ ut non omnia in una forma intelligibili cognoscat, sed multis indigeat formis. *(Q. 10, a. 6).* — 3. *Fuit major* scientia Angelorum quoad multitudinem cognitorum et cognitionis certitudinem, « quia lumen spiritualis gratiæ quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius quam lumen quod pertinet ad naturam angelicam ». *(Q. 11. a. 4).* — 4. *Fuit per species universaliores* quam species humano intellectui connaturales, quia, ut docent communiter theologi, Christus per speciem alicujus naturæ omnia hujus speciei individua cognoscere potuit. — 5. An autem species Christo infusæ fuerint universaliores speciebus Angelo infusis, controvertitur. Negat S. Th., *(q. 11, a. 6)*, quia connaturale est homini ut species minus universales accipiat quam Angelus. Affirmat Suarez, *(De Inc. disp. 29, sect. 1)*, quia licet connaturaliter species homini infusæ, sint minus universales quam species infusæ Angelis, potuit tamen virtute divina intellectus Christi ad hoc elevari, ut species universaliores infusas reciperet.

927. — Prop. IV. *In Christo fuit scientia naturalis et experimentalis* — Certa et communis.

NB. Scientia naturalis est quæ per humanam industriam acquiri potest; scientia experimentalis est judicium ortum de aliqua re propter experimentum sensus, ut, v. g., gustato melle, judicat aliquis ipsum esse dulce.

Prob. Scientiam naturalem tam speculativam quam practicam fuisse in Christo, concedunt omnes; hæc enim scientia ad perfectionem intellectus creati pertinet.

Scientiam experimentalem in Christo fuisse, ex eo constat, quod Christus verum corpus, et veros et perfectos sensus corporeos habuit, per quos multarum rerum experientiam acquirere potuit; sicut etiam Scriptura innuit (Hebr. V. 8): *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam.*

An autem Christus scientias naturales propria industria acquisiverit, vel a Deo per infusionem in ipsa Incarnatione acceperit, disputatur. Docent S. Thomas et thomistæ communiter Christum eas scientias propria industria acquisivisse: alii vero, cum S. Bonaventura, Suarez, etc., docent has scientias fuisse Christo in ipsa Incarnatione infusas.

928. Scholia. I. Secundum S. Thomam, Christus per scientiam naturalem acquisitam ea omnia cognovit, quæ virtute intellectus agentis cognosci possunt. Et licet non omnia fuerit expertus, ex his tamen quæ expertus est, in aliorum notitiam devenire potuit. *(Q. 12, a. 1).*

II. *Christus ab hominibus nihil didicit*; de eo enim dicitur (Joan. VII, 15): *Quomodo hic litteras scit, quum non didicerit.* Ratio est, quia Christus est omnium Doctor, secundum illud (Is. LV, 4): *Dedi eum ducem ac præceptorum gentibus.* Non erat autem conveniens Doctorem a discipulis edoceri. *(Q. 12, a. 3).*

III. *Christus ab Angelis nihil didicit.*— Ratio: quia secundum scientiam beatam et scientiam per se infusam, Christus ab ipso Deo fuit perfecte edoctus; scientiam vero naturalem perfecte accepit sive per infusionem, ut docet Suarez, sive per propriam industriam, ut vult S. Thomas.

IV. Profectus Christi, quem meminit Evangelista (Luc. II, 52): *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines,* hoc sensu intelligi debet, quod Christus secundum augmentum ætatis opera faciebat, quæ majoris scientiæ et gratiæ indicium præbebant. Ipse enim habitus gratiæ, et scientiæ tam beatæ quam per se infusæ, augeri non potuit. Potuit tamen, secundum S. Thomam, augeri habitus scientiæ acquisitæ. *(Q. 7, a. 12, ad 3; et q. 9, a. 4).*

§ 3. *De Potentia Animæ Christi.*

929. — Agitur in hoc paragrapho de potentia humanitati Christi per suam unionem ad personam Verbi collata. Certum est enim contra Lutherum ipsam divinam omnipotentiam non fuisse formaliter Christi humanitati communicatam: hæc enim nulli creaturæ communicari potest. *(S. Th., q. 13, a. 1).*

Principium, ex quo mensuratur potestas humanitati Christi a Verbo collata, hoc statui debet: *Humanitas Christi potest ea omnia, quæ ad finem Incarnationis sunt ordinabilia.* — Ratio est, quia humanitas a Verbo assumpta est tanquam instrumentum conjunctum ad Incarnationis finem operandum, qui finis est instaurare omnia *quæ in cœlis, et quæ in terra sunt.* (Eph. I, 10). Jamvero omnia, tam in ordine gratiæ, quam in ordine naturæ, sunt ad finem Incarnationis ordinabilia.

Inde deduces:

I. Humanitatem Christi, in quantum est instrumentum Verbi, posse remittere peccata, infundere gratiam, mittere Spiritum Sanctum, conferre lumen gloriæ, distribuere omnia dona spiritualia, atque ipsos Angelos illuminare.

II. Humanitatem Christi, quatenus est instrumentum Verbi, habere potestatem ad operandum miraculose omnes mutationes, quæ in ordine naturæ per causas naturales fieri possunt; et ad quæcumque alia opera miraculosa efficiendum. Uno verbo: Humanitatem Christi, ut est instrumentum Verbi, esse omnipotentem *secundum quid*, in hoc sensu, quod, seclusa creatione et annihilatione, ea omnia facere potest, quæ fiunt in mundo, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ. *(Cf. S. Th., q. 13, a. 2).*

Excellentem illam Christi potentiam commendat evangelica narratio: Christo jubente cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, dæmones fugantur, panes multiplicantur, arbores arescunt: ipse fluctibus et ventis imperat, super aquas ambulat, peccata remittit, paradisi januas latroni aperit. *Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* (Joan. XXI, 25).

930. — Scholium. *De Modo quo Christi humanitas gratiam producit atque opera miraculosa efficit* [1].

[1] Cf. Isamb. Q. XIII, Disp. II, p. 363; Gabr. a S. Vinc, Disp. XIII, dub. 2, p. 480; Gonet., *Clyp.* Disp. XIX, a. 2; Tolet., q. XIII et XLXIII.

Disputatur in scholis utrum Christi humanitas, quatenus instrumentum Verbi, gratiam et alios effectus miraculosos producat per modum causæ efficientis physicæ, an solum per modum causæ moralis.

Causa moralis ea dicitur, quæ merendo, orando, movendo, causam physicam principalem ad effectum producendum excitat. — *Causa physica instrumentalis* ea est, quæ reali aliquo influxu in genere causæ efficientis instrumentariæ, per veram actionem physicam, cum causa principali concurrit ad effectum producendum; sicut v. g., securis per veram efficientiam cum principali agente concurrit ad faciendum scamnum.

1. *Scotistæ*, et omnes illi, qui sacramentis causalitatem physicam denegant, docent humanitatem Christi, tantummodo per modum causæ moralis, ad productionem gratiæ et miraculorum concurrisse. Secundum eos, Christus homo orando, merendo, etc., movit Deum ad gratiam conferendam et ad ea miracula patranda, quæ de ipso in Evangelio leguntur.

2. *Thomistæ* vero, cum majori parte theologorum, tenent Christi humanitatem, non solum per modum causæ moralis, sed etiam per modum causæ physicæ instrumentariæ, ad productionem gratiæ et effectionem miraculorum concurrisse, ita ut, v. g., tactus corporis Christi vera et reali efficientia sanitatem contulerit; et actus physicus voluntatis humanæ munditiem tum corporalem tum spiritualem efficienter operatus sit.

Hæc secunda sententia est omnino admittenda, utpote Scripturis Sacris et dictis Patrum conformior, Christo multo gloriosior, atque inter theologos multo communior. Ipsam tenet S. Thomas: « Humanitas Christi, *ait*, est quoddam organum Divinitatis, et ideo non causat gratiam propria virtute, sed ut instrumentum virtute divinitatis adjunctæ, ex qua actiones humanæ Christi sunt salutiferæ. » *(1. 2, q. 112, a. 1, ad 1)*. — « Christus secundum quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. » *(3, q. 64, a. 3)*. In his S. Thomas veram causalitatem physicam affirmat quoad productionem gratiæ; et, *q. 13, a. 2*, idem affirmat pro operatione miraculorum.

931. — *Ex dictis deduces I:* Humanitatem Christi fuisse solum causam moralem earum gratiarum, quæ ante Incarnationem antiquis Patribus concessæ sunt. Ratio: quia quod physice non est, physice agere nequit. Sed ante Incarnationem humanitas Christi nondum physice erat.

Deduces II: Humanitatem Christi, seu Christum hominem, fuisse causam instrumentalem physicam gratiæ, miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium, quæ immediate per seipsum in vita sua mortali operatus est.

Deduces III: Humanitatem Christi nunc in cœlis existentem, esse per suam voluntatem instrumentum effectivum omnium gratiarum et donorum, quæ in Ecclesia conceduntur, ita ut nemini ulla detur gratia, nisi cui Christus homo eam conferre voluerit [1]. — Humanitatem Christi esse etiam causam instrumentalem effectivam collationis luminis gloriæ. — Et sic apparet: *a)* quomodo omnia, quæ ad vitam æternam consequendam conferuntur hominibus, dependenter ab humanitate Christi, Capitis nostri, administrentur; *b)* quomodo Christi humanitas sit fons universalis, ex quo omnis vita spiritualis in homines profluat.

Deduces IV: Potentiam actuum humanorum Christi in cœlis degentis omnia loca præsentialiter attingere, non quidem contactu physico, sed contactu virtutis, qui ad effectum producendum sufficit. Potest enim divinitas virtutem instrumenti, præsertim conjuncti, extendere quousque vult, et efficere ut humanitas Christi in cœlis residens omnes homines virtute sua attingat, atque in eis effective gratiam causet [2].

Deduces V: Actiones, quas Christus in vita sua terrestri peregit, causare nostram salutem per modum meriti et per modum efficientiæ, et attingere præsentialiter omnia loca et tempora.

Sæpius affirmat Doctor Angelicus, actiones Christi causare nostram salutem, non solum per modum meriti, sed per modum efficientiæ. « Actiones ipsius, *inquit,* ex virtute divinitatis fuerunt nobis saluti-

[1] Cf. Medina, In q. VIII, a. 1, in fine. — [2] Cf. Gonet, *Clyp.* Disp. XIX, n. 34 et seq.; Billuart, Diss. XIII, a. 2.

feræ, utpote gratiam in nobis causantes, et per meritum et per efficaciam quamdam.» *(P. 3, q. 8, a. 1. ad 1)*. — Et «Resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute divina, cujus proprium est mortuos vivificare, quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca et tempora: et talis contactus virtualis sufficit ad rationes hujus efficientiæ» *(P. 3, q. 56, a. 1, ad 3. — Cf. etiam q. 48, a. 6)*.

Sed necesse est ut rite intelligantur verba S. Thomæ; impossibile enim videtur, actiones illas Christi, quæ physice jam non existunt, physicam efficientiam habere. Igitur «dicendum est, *ait Gonet* [1], quod quando D. Thomas docet passionem et resurrectionem Christi esse instrumenta nostræ salutis et resurrectionis, hoc non debet intelligi de passione et resurrectione, prout sunt quidam motus in fieri qui transierunt, sed secundum quod aliquo modo remanent in humanitate, ratione cicatricum et dotium gloriæ, quæ in ea perseverant. Vel, ut alii dicunt, idcirco passio et resurrectio Christi dicuntur causæ nostræ salutis et resurrectionis, quia humanitas Christi, ut per passionem et resurrectionem immutata, modificata, ac determinata, ad hos effectus præstandos a Deo ut instrumentum assumitur.»

Ex modo dictis etiam intelligitur quomodo tota vita Christi hominis in terra, et quælibet ipsius actio, sit causa meritoria et efficiens instrumentalis totius vitæ nostræ spiritualis, et actionum nostrarum spiritualium.

ARTICULUS IV.

DE DEFECTIBUS A CHRISTO ASSUMPTIS.

Defectus, qui naturam humanam lapsam consequuntur, alii sunt corporis, alii animæ. Dicemus igitur: 1. de defectibus corporis; 2. de defectibus animæ a Christo assumptis.

§ 1. *De defectibus corporis a Christo assumptis.*

932. — Defectus corporales vocantur illæ pœnalitates, quæ homini propter commissum peccatum irrogatæ sunt, et ei ratione corporis competunt, ut sitis, fames, defatigatio, mors, etc. Hi defectus sunt homini naturales, quia ex principiis constitutivis corporis humani necessario fluunt, nisi a superiori causa

[1] *Clyp.* Disp, XIX, n. 45; Cf. Cajetan. In q. LVI, a. 1, ad 3.

cohibeantur; in posteris autem Adæ habent rationem pœnæ, quia peccati causa ablatum est donum integritatis, quod eos in Adamo innocente impediverat. *(cf. n. 828).*

933. — **Prop.** *Christus Dominus defectus corporis assumpsit.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. IV, 6): *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* — (Joan. XIX, 28): *Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt,... dixit: sitio.* — (Matth., IV, 2): *Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.*

II. **Ex Ratione.** Conveniens fuit Christum defectus corporales assumere propter tria:

1. *Propter finem Incarnationis.* Christus enim carnem assumpsit, ut pro peccato humani generis satisfaceret; et ideo conveniens fuit ut defectus corporales, qui sunt pœna peccati, vice nostra in se susciperet, secundum illud Isaiæ LIII, 4: *Vere languores nostros ipse tulit.*

2. « *Propter fidem Incarnationis adstruendam.* — Cum enim natura humana non aliter esset nota homnibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt. » *(S. Th., q. 14, a. 1).*

3. « *Propter exemplum patientiæ,* quod nobis exhibet, passiones et defectus humanos fortiter tolerando: unde dicitur (Hebr. XII, 3): *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* » *S. Th. (loc. cit.)*

934. — **Objicitur.** Christus ab initio conceptionis suæ fuit comprehensor. Atqui, comprehensor defectus corporales habere nequit, cum gloria animæ in corpus naturaliter redundet. Ergo nullos defectus corporales habuit Christus.

Resp. « Secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam et corpus, *ait S. Th.,* ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subjacebat voluntati Divinitatis ipsius, ex qua factum est quod beatitudo remaneret in anima et non de-

rivaretur ad corpus; sed caro pateretur quæ conveniunt naturæ passibili, secundum illud quod Damascenus dicit, quod *beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni pati et operari quæ propria.* » *(Q. 14, a. 1, ad 2).*

935. — **Scholium.** *Circa defectus a Christo assumptos, plura sunt notanda.*

I. Christus corporales defectus non coacte aut invite, sed libere et voluntarie, assumpsit. — Posita vero voluntate illos assumendi, et permittendi carnem agere et pati quæ ei sunt propria, hi defectus necessario fluxerunt ex principiis naturæ humanæ Christi, non secus ac in nobis; quocirca Christus naturaliter sitivit, esurivit, defatigatus est, mori potuit. *(S. Th., q. 14, a. 2).*

II. Christus hos defectus non contraxit, quia eos ex debito peccati non incurrit, sicuti cæteri homines; erat enim absque peccato, et humanam naturam ab omni defectu liberam, qualis erat in Adamo innocente, assumere potuisset. Sed eos, ad opus Redemptionis nostræ peragendum, libere suscepit. *(Q. 14, a. 3).*

III. Eos solos defectus corporales Christus assumpsit, qui ex peccato originali immediate oriuntur, et in omnibus hominibus communiter inveniuntur, ut fames, sitis, passibilitas, mors, etc. Particulares vero defectus, qui ex causis particularibus in aliquibus inveniuntur, ut morbi, febris, claudicatio, etc., non assumpsit. Hos tamen defectus etiam curavit Christus, cum passibilitatem et corruptibilitatem, ex quibus proveniunt, curaverit. *(Q. 14, a. 4).*

IV. Ad Christi staturam et pulchritudinem quod attinet, cum communi Patrum et theologorum sententia tenendum est, Christum habuisse corpus statura perfectissimum et forma pulcherrimum, sed ea pulchritudine, quæ viro aptissime conveniebat. — De corporali Christi pulchritudine plures S. Patres audiunt, quæ dicuntur, (Cant. I, 15): *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus;* et (Ps. XLIV, 3): *Speciosus forma præ filiis hominum;* ita ut Christus, sicuti animæ pulchritudine omnes superabat, omnes etiam corporali pulchritudine vinceret [1].

§ 2. *De defectibus animæ.*

936. — Christus fuit plenus gratiæ et veritatis; et quos defectus assumpsit, eo fine assumpsit, ut Redemptionem operaretur. Ad dijudicandum igitur quosnam animæ defectus Christus assumpserit, hæc statui debet regula: *Christus nul-*

[1] Cf. Branc. a Laur., In III. Sent. Disp. XIII, a. 1. (T. I, p. 288); Genebrard. In Ps. XLIV, 4; Niceph. *Hist.*, l. I, c. 40.

lum defectum, qui perfectioni gratiæ vel scientiæ præjudicat, assumpsit; defectus vero qui nullam gratiæ vel scientiæ imperfectionem involvunt, et ad Incarnationis finem ordinabiles sunt, Christus assumpsit.

Inde deduces I: *Nullum in Christo fuisse peccatum, nec originale, nec actuale.* — Quod est de fide, secundum illud (Joan. VIII, 46): *Quis ex vobis arguet me de peccato?* — (I Petr. II, 22): *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Deduces II: *In Christo non fuisse peccabilitatem*, ita ut nec de potentia Dei ordinaria, nec de potentia Dei absoluta, peccare potuisset. Cujus impeccabilitatis triplex assignatur ratio: *Prima* et præcipua ratio est gratia unionis, qua natura humana in personalitate Verbi subsistit; cum igitur actiones sint suppositorum, si Christus peccare potuisset, actio peccaminosa divinæ personæ adscribenda foret. — *Secunda* ratio est gratia habitualis, quæ in Christo fuit constanter in summo gradu, et qua Deum ardentissimo amore super omnia semper diligebat. — *Tertia* ratio est visio beatifica, qua Christi anima ab initio dotata fuit.

Deduces III: *In Christo non fuisse fomitem peccati.* — « Ad rationem fomitis, *ait S. Th.*, pertinet inclinatio sensualis appetitus in id quod est contra rationem. Sic igitur patet quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod in eo fomes peccati non fuerit; cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinet ad contrarium satisfactioni. » *(Q. 15, a. 2).*

Deduces IV: *Nullam in Christo fuisse ignorantiam:* hæc enim per eam scientiæ plenitudinem, de qua supra actum est *(n. 924 et seq.)*, excluditur.

Deduces V: *In Christo fuisse passionem corporalem seu dolorem sensibilem.* — Ad passionem corporalem duo requiruntur: læsio corporis, et sensus læsionis. Utrumque autem fuit in Christo: *læsio corporis*, v. gr., quando fuit flagellatus, spinis coronatus, alapis percussus, clavis perforatus; et *sensus læsionis*, in ipsius enim persona dixit propheta (Thren. I, 12): *O*

vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. (S. Th., q. 15, a. 5). — Nec dolor ille partis sensitivæ contrariatur gaudio beatifico, quo mens Christi fruebatur: nec gaudium beatificum dolorem in Christo excludit; siquidem « delectatio divinæ contemplationis ita per dispensationem divinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur. » *(S. Th., q. 15, a. 6).*

Deduces VI: *In Christo fuisse passiones proprie dictas*, seu motus aut affectiones appetitus sensitivi, habentes aliquam corporis immutationem sibi adjunctam. Hæ ad integritatem naturæ humanæ pertinent, et ad vitæ perfectionem conferunt. Christus autem habuit quidquid est de integritate naturæ humanæ. Ex altera etiam parte, istæ passiones nec scientiæ nec gratiæ contrariantur, et ad finem Incarnationis ordinabiles erant, dum multum ad satisfaciendum et merendum conferrent, ut patet de tristitia, de timore, de amore. — Præterea, actus quarumdam passionum de Christo in Scripturis referuntur (Matth. XXVI, 37): *Cœpit Jesus contristari et mœstus esse.* — (Marc. XIV, 33). *Cœpit pavere et tædere. (Cf. Isamb., q. XV, disp. 4).*

Sedulo tamen notandum est magnum intercedere discrimen inter passiones in Christo et illas, quæ in nobis reperiuntur: primo *ex parte objecti:* in nobis plerumque feruntur ad illicita; in Christo semper ad bonum propendebant. — Secundo *ex parte principii:* in nobis frequenter præveniunt judicium rationis; in Christo omnes motus appetitus sensitivi secundum dispositionem rationis oriebantur. — Tertio *ex parte effectus:* in nobis non sistunt in appetitu sensitivo, sed quandoque rationem trahunt; in Christo semper rationi obediverunt. — Attenta hac differentia, motus appetitus sensitivi in Christo non dicuntur passiones, sed *propassiones*, quasi initium passionis. *(S. Th., q. 15, a. 4).*

937. — Scholium. Ex his dictis manifestatur, quomodo Christus cum comprehensor tum viator simul fuerit. Perfecta enim hominis beatitudo in anima et corpore consistit: in anima, in quantum mens Deum videt eoque fruitur; in corpore, secundum quod corpus, participans gloriam animæ, resurget spirituale, impassibile, incorruptibile. Christus autem ante pas-

sionem secundum mentem plene Deum videbat; sed quantum ad alia, carebat beatitudine, quia et anima ejus erat passibilis, et corpus passibile et mortale. Et ideo Christus erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ; et simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat. *(S. Th., q. 15, a, 10).*

—

CAPUT II.

DE HIS QUÆ CONVENIUNT CHRISTO PER COMPARATIONEM AD PATREM.

938. — Quinque, teste S. Thoma, Christo conveniunt per comparationem ad Patrem. « Deinde, *ait S. Doctor,* considerandum est de his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem: quorum quædam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem, puta quod est ei subjectus, quod ipsum oravit, quod ei in sacerdotio ministravit; quædam vero dicuntur vel dici possunt secundum habitudinem Patris ad ipsum, puta, si Pater eum adoptasset, et quod eum prædestinavit. » *(Prol. ad q. 20).*

Igitur, duce S. Thoma, tractandum est: I. de Subjectione Christi; II. de Oratione Christi; III. de Sacerdotio Christi; IV. de Adoptione Christi; V. de Prædestinatione Christi.

ARTICULUS I.

DE SUBJECTIONE CHRISTI.

939. — **Prop.** *Christus, secundum quod homo, est Deo Patri subjectus.*

NB. Triplex, *ut notat S. Th., q. 20, a. 1,* datur subjectio creaturæ humanæ ad Deum: prima est *ratione bonitatis,* secundum quam quilibet homo Dei bonitatem participat, et est ei inferior; secunda subjectio est *subjectio servitutis,* qua homo subjacet dominio atque potestati Dei, qui de eo pro suo beneplacito disponere potest; tertia est *subjectio obedientiæ,* qua homo Dei mandatis obedire tenetur.

Prob. Prop. I. *Christus, quatenus homo, fuit Deo Patri subjectus quoad gradum bonitatis.* — Ratio: quia Christus secundum naturam humanam ad gradum bonitatis divinæ non pertingebat; et sic erat Deo inferior, sicut ipse Christus testatus est: *Pater major me est.*

II. *Christus fuit Deo Patri subjectus subjectione servitutis*, seu *Christus ut homo, est servus Dei.* Ratio: — Quia omnis creatura hac servitute Deo, Creatori suo, deservit, secundum illud: *Creatura tibi factori deserviens.* (Sap. XVI, 24). Hanc servitutem commemorant Scripturæ, quæ Christum Dominum sæpius vocant servum: (Is. XLII, 1): *Ecce servus meus, suscipiam eum.* — (Ezech. XXXIV, 23): *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas.* — (Zach. III, 8): *Adducam servum meum orientem.* — Qui textus de Christo intelliguntur.

III. *Christus est Deo Patri subjectus subjectione obedientiæ:* accepit enim Christus a Deo Patre mandatum pro nobis moriendi, ut refertur Joan. XIV: unde et *factus est obediens usque ad mortem* (Philip. II, 8); et ipse Christus de se dixit: *Quæ placita sunt ei facio semper.* (Joan. VIII, 29). *(Cf. n. 1016 et 1017).*

940. — Scholium. *De Servitute Christi.*

Circa servitutem Christi magna inter auctores fervet controversia: *an scilicet Christus vocari possit servus.*

Pro quo notandum est, duplicem dari servitutem: *strictam* seu *legalem*, et *latam* seu *naturalem.* — *Servitus stricta* ea est, qua aliquis non est sui juris, sed alterius, neque jus habet ad bona Domini. — *Servitus lata* seu naturalis ea est, quæ fundatur in productione, vi cujus unusquisque ei servire tenetur, a quo naturam accepit. Sic, v. gr., filius respectu parentum vocari potest servus; — hæc servitus jus ad bona paterna non excludit.

Si servitus prima acceptatione sumatur, inter omnes convenit, Christum servum vocari non posse, sicuti Patres Concilii Francofordiensis contra Elipandum definierunt. Qui enim est servus stricto sensu, nequit esse Filius et Dominus. Sed Christus, etiam quatenus homo, est Filius Dei, ut infra dicetur *(n. 957)*, et est Dominus, secundum illud: (Joan. XIII, 13): *Vos vocatis me Magister, et Domine, et bene dicitis; sum etenim.*

Si servitus secunda acceptatione sumatur, omnes ex confesso docent, Christum non posse *absolute* dici servum: v. gr., *Christus est*

servus. Ratio est, quia in tali prædicatione hæc vox *Christus* tenet pro persona. Persona autem Christi neque est a Patre dependens, neque ei servire tenetur.

Utrum autem Christus, cum determinatione *secundum naturam humanam,* possit vocari servus Dei, plures negant [1]. Dicunt enim servitutem semper de persona, nunquam vero de natura prædicari; unde addita etiam restrictione *secundum naturam humanam,* si Christus servus diceretur, servitus in personam Christi caderet; quod est inconveniens. Hi locutiones Scripturæ, quibus Christus servus vocatur, vel sensu metaphorico explicant; vel Christum servum vocari dicunt « non ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem, » ut aiunt Patres Concilii Francofordiensis.

S. Thomas contra docet, Christum secundum naturam humanam proprie et vere vocari servum: « Quamvis non proprie dicatur quod natura sit domina vel serva, *inquit S. Doctor,* potest tamen proprie dici quod quælibet hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum hanc vel illam naturam. Et secundum hoc nihil prohibet Christum dicere Patri subjectum vel servum secundum humanam naturam. » *(Q. 20, a. 1, ad 2)*. S. Thomam sequuntur thomistæ, et plures alii [2].

« In hac servitute, *ait Contenson* [3], fundatur mirabile Incarnationis, Passionis et Satisfactionis Christi commercium; per hoc enim quod Verbum in humana natura subsistens Patri se subjecit, factum est Patrem habere adoratorem condignum, qui ipsum quantum adorabilis est, veneretur, ipsique læso de rigore justitiæ satisfaciat. »

941. — Scholium. *De legibus quibus Christus subjectus fuit* [4].

1. Christus subjectus fuit mandato moriendi pro salute humani generis. (Joan. X, 18; et XIV, 31). *Cf. n. 1017.*

2. Subjectus fuit legibus juris naturæ, quæ humanam naturam sequuntur; Christus enim assumpsit humanam naturam cum omnibus conditionibus, quæ eam consequuntur, præter peccatum et ignorantiam. — Excipiuntur eæ leges naturales, quæ dignitati ipsius personæ disconveniebant; v. gr., lege naturæ, filii parentibus obedientiam præstare stricte tenentur; ast Christus, utpote Matre superior, ea lege non tenebatur.

3. Christus, utpote quolibet humano legislatore superior, nullii legi positivæ humanæ subjectus erat.

[1] V. gr., Vasquez, *De Inc.*, Disp. LXXX; De Lugo, *De Inc.*, Disp. XXVIII. — [2] Cf. Alvarez, *De Inc.*, In q. XX; Nugno, In q. XX; Isamb. In q. XX. — [3] L. X, Diss. I, c. 1, Spec. 1. — [4] Cf. Isamb. In q. XX, a. 3; Nugno, In q. XX. a. 1.

4. Neque legibus positivis divinis Novæ Legis subjectus erat; legislator quippe suis legibus non tenetur. — Neque legibus positivis divinis Vet. Legis subjectus erat; quia lex vetus data est pro populo Judæorum a Patribus per seminalem rationem descendentium; quo modo Christus ab eis non descendebat [1].

ARTICULUS II.

DE ORATIONE CHRISTI [2].

942. — « Oratio est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat », *(S. Th., q. 21, a. 1)*, seu, est manifestatio alicujus desiderii ab inferiore facta superiori, ut ab eo aliquid, quod non est in sua potestate, impetret. Oratio arguit igitur in orante aliquam inferioritatem ad eum, ad quem orat, et inefficaciam quamdam ad præstandum id quod postulat. « Non oramus, *ait S. Aug.*, sed orare fingimus, si id quod petimus, in nostra potestate sit. » *(Lib. IV, ad Bonif., c. 18)*.

Ex quo sequentes eruuntur conclusiones.

I. *Christo, ut est Deus, orare non competit.* — « Si in Christo esset una tantum voluntas, scilicet divina, nullo modo competeret ei orare, quia voluntas divina per seipsam est effectiva eorum quæ vult. » *(S. Th., q. 21, a. 1)*.

II. *Christus, quatenus homo, in vita sua mortali vere et realiter orare potuit, et oravit, non solum pro aliis, sed etiam pro se ipso.*

Orare potuit: est enim minor Patre. « Quia in Christo est alia voluntas divina et alia humana, et voluntas humana non est per seipsam efficax ad implendum quæ vult, nisi per virtutem divinam; inde est quod Christo, secundum quod est homo et humanam voluntatem habens, competit orare. » *(S. Th., q. 21, a. 1)*.

Et oravit: est *de fide*, ex apertis Scripturæ testimoniis: *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, et erat per-*

[1] Cf. Soto, IV, *Sent.*, D. II, q. 1, a. 3. — [2] Isamb. q. XXI; Nugno, q. XXI.

noctans in oratione Dei. (Luc. VI, 12). — *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* (Matth. XIV, 23).

ORAVIT PRO ALIIS: *Ego rogavi pro te, (Petre), ut non deficiat fides tua.* (Luc. XXII, 32). — *Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* (Luc. XXIII, 34).

ORAVIT PRO SE: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,* etc. (Joan. XVII, 1). « Sicut autem (Christus) in humana natura quædam bona habebat a Patre jam percepta, ita etiam expectabat ab eo quædam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo, sicut pro bonis jam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum auctorem, ut patet (Matth. XXVI, et Joan. XI), ita etiam, ut Patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat ea quæ sibi deerant secundum humanam naturam, puta gloriam corporis, et alia hujusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, ut de perceptis a nobis muneribus gratias agamus, et etiam nondum habita orando postulemus. » *(S. Th., q. 21, a. 3).*

III. *Christus oratione non indiguit, sed propter nostram instructionem orare voluit.* — « Nihilominus ipse idem Deus existens et homo, voluit ad Patrem orationem porrigere, non quasi ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem: *primo* quidem ut ostenderet se esse a Patre, unde ipse dicit (Joan. XI. 42): *Propter populum, qui circumstat, dixi,* scilicet verba orationis, *ut credant, quia tu me misisti.* Unde Hilarius dicit: *Non prece eguit, pro nobis oravit, ne filius ignorctur.* — *Secundo* ut nobis exemplum orandi daret... Unde Augustinus dicit: *Poterat Dominus in forma servi, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.* » *(S. Th., q. 21, a. 1, ad 1).*

IV. *Oratio Christi procedens a voluntate sua absoluta fuit semper exaudita;* secundum illud: *Ego autem sciebam quia semper me audis* (Joan. XI, 42). « Secundum voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit nisi quod sciebat Deum velle: et ideo omnis voluntas absoluta Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: et per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita. » *(S. Th., q. 21, a. 4).*

943. — Scholium. *De oratione Christi in cœlis existentis.*

Fide certum est Christum, in cœlis ad dexteram Patris sedentem, orationem Deo offerre. Legimus enim (Joan. XIV, 12-16): *Ego ad Patrem vado.... Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* — Et (Rom. VIII, 34): *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* — (Hebr. VII, 25): *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Sed de modo, quo Christus in cœlis pro nobis interpellat, disputant auctores.

Triplex quoad modum datur oratio: 1. Oratio interpretativa, in hoc consistens quod Christus, ostendendo Deo Patri suam sanctam humanitatem cum cicatricibus, meritis, satisfactionibusque suis, Deum ad nobis bona supernaturalia conferendum movet. — 2. Oratio vel verbo mentis tantum, vel verbo mentis cum oris verbo expressa; quæ oratio est voluntatis explicatio mentalis, vel simul etiam vocalis, apud Deum, ut eam impleat. — 3. Oratio expressa, et conjuncta cum externis humilitatis et abjectionis signis, v. g., prostratione, genuflexione, lacrimis, suspiriis, etc.

Christum *primo modo* orare, certum est, secundum verba Apostoli (Hebr. IX, 24): *Jesus introivit... in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* « Sine intermissione, *ait S. Greg. M.*, pro nobis holocaustum Redemptionis immolat, quia sine cessatione Patri suo pro nobis Incarnationem demonstrat. » *(Mor., l. I, c. 24).*

Christum *tertio modo* pro nobis in cœlis orare, ab omnibus unanimiter negatur: dedecet enim statum gloriosum Christi ad dexteram Patris sedentis, hujusmodi humilitatis atque abjectionis signa adhibere. « Advocatum habemus, *ait S. Greg. Naz.*, non se ad pedes Patris advolventem servilique modo abjicientem, procul sit ista servilis suspicio, spirituque indigna, neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filii pati, neque de hoc cogitare pium et æquum est. » *(Orat. 36).*

Christum *secundo modo* in cœlis pro nobis orare, scilicet oratione expressa mentali aut vocali, negant alii, alii affirmant.

Sententia affirmativa multo probabilior et Sacræ Scripturæ conformior videtur; Verba enim: *Ego rogabo Patrem, — ad interpellandum pro nobis*, veram et realem, potius quam solam interpretativam, orationem indicant. — Præterea, Christus in cœlis vocatur *advocatus noster* (I Joan. II, 1). Advocati autem est pro aliis intercedere. — Hæc sententia est etiam inter theologos multo communior; ipsam docet S. Thomas, *ad Hebr. VII, lect. 4:* « Interpellat pro nobis primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando: item sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod de nostra salute habuit, exprimendo. »

Notandum est tamen, Christum illa sua oratione nihil de novo mereri, neque aliquid novum impetrare, quippe qui in vita sua mor-

tali suum meritum perfecte consummaverit; sed petere tantum ut ea, quæ meruit in terris, nobis applicentur, utque redemptionis effectus in nobis compleatur [1].

ARTICULUS III.

DE SACERDOTIO CHRISTI [2].

944. — Sacerdotium, proprie et stricte sumptum, est potestas singulari titulo alicui collata ad sacrificium Deo offerendum. — Sacrificium proprie sumptum est *Oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei, in signum supremi dominii, ex legitima institutione. (S. Alph., Mor., l. VI, n. 304).*

Sacrificium « ex parte finis distinguitur in *latreuticum*, quod offertur mere in obsequium Dei; *eucharisticum*, in gratiarum actionem; *propitiatorium*, seu *expiatorium*, in remissionem culpæ vel pœnæ; *impetratorium*, ad obtinenda bona a Deo. » *(S. Alph., loc. cit.)*

945. — Christum esse sacerdotem, est de fide, ex apertis Scripturæ testimoniis. Legimus (Hebr. V, 6): *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* — (Hebr. VII, 24): *Hic autem, eo quod manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* — (Hebr. IV, 14): *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei.*

Certum est etiam, ipsam Verbi personam, prout subsistentem in natura divina et humana, esse sacerdotem; siquidem esse sacerdotem, est suppositi, non naturæ; sacerdotium tamen Christo convenire, non ratione deitatis, sed ratione humanitatis; seu non quatenus Christus est Deus, sed quatenus est homo; ait enim Apostolus (I Tim. II, 5): *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Porro, Christus est mediator in quantum est sacerdos, quia « officium

[1] Pro sent. affirm., cf. Isamb., q. XXI; Nugno, q. XXI; Bill., Diss. XX, a. 2; Gabr. a S. Vinc., Disp. XXI, dub. 3; Bonæspei, Tr. III, disp. 16. — Pro sent. negat., cf. Vasquez, Disp. 82; Medina, q. XXI; De Lugo, Disp. XXVII, sect. 4. — [2] Cf. S. Th., q. 22; Isamb., q. XXII; Gabr. a S. Vinc., Disp. XXII; Gonet, *Clyp.*, D. XXII.

sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum. » (*S. Th., q. 22, a. 1*). — *Præterea*, de ratione sacerdotis est, ut sit inferior ei, cui sacrificium offert; quia sacerdos per sacrificium profitetur tum supremum dominium ejus, cui sacrificat, tum suam propriam subjectionem ad illum. Sed Christus ratione solius humanitatis Patre minor existit.

Cum igitur homo Christus Jesus sit sacerdos, sacerdotisque primæ partes in offerendo sacrificio consistant, investigandum est, an et quale sacrificium Christus Deo Patri obtulerit; quibus absolutis, quædam de excellentia sacerdotii Christi addenda erunt.

§ 1. *De Sacrificio Christi.*

Christus, teste Tridentino, Sess. XXII, cap. 1, duplex sacrificium Deo Patri obtulit: incruentum, in ultima cæna; cruentum, in ara crucis. De incruento sacrificio sermo erit in tractatu de Eucharistia; de solo sacrificio crucis hic agetur.

946. — **Prop.** *Christus in ara crucis Deo Patri verum obtulit sacrificium.*

De fide, ex Conc. Ephesino, can. 10, in quo legimus: « Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo dicit... quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis, A. S. » Cf. etiam Trident. Sess. XXII, cap. 1 et 2.

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Dixit Jesus (Matth. XXVI, 28): *Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sed sanguis, qui in remissionem peccatorum effunditur, verum est sacrificium propitiatorium. Christus ergo, effundendo in ara crucis sanguinem suum in remissionem nostrorum peccatorum, Deo Patri verum obtulit sacrificium.

2. Scribens ad Ephesios, ait Apostolus (Eph. V, 2): *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Sed, quod offertur Deo

in hostiam, atque a sacerdote in ejus honorem immolatur, verum constituit sacrificium.

3. In Epist. ad Hebræos, S. Paulus totus est in sacrificio Crucis commendando. Cap. V, postquam v. 1 dixit sacerdotis esse offerre sacrificia pro peccatis, et v. 5, et 6, probavit Christum esse sacerdotem, ait v. 8-10: *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* His verbis indicantur: victima et ejus immolatio: *Christus consummatus;* finis sacrificii: *causa salutis æternæ;* legitima deputatio ad sacrificandum: *appellatus a Deo Pontifex.*

Cap. VII, 26, 27: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus,... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* — Cap. IX, 11, 12: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* — 25 et 26: *Neque ut sæpe offerat semetipsum,... alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.* His omnibus manifeste declaratur, Christum in ara crucis verum obtulisse sacrificium.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Greg. Nyss.*: « Pro nobis vere Pascha immolatus est Christus; sacerdos autem sacrificium obtulit Deo idem ipse Christus; seipsum enim tradidit oblationem et hostiam pro nobis. » *(De perfect. Christ. form.)* — Et *S. August.*: « Quis est iste sacerdos, nisi qui fuit et victima et sacerdos? nisi ille, qui, cum in mundo non inveniret mundum, quod offerret, seipsum obtulit. » *(In Ps. CXXXII, n. 7).*

III. **Ex Ratione.** Omnia, quæ ad rationem veri et perfecti sacrificii pertinent, in morte Christi inveniuntur; ergo mors Christi in cruce est verum sacrificium.

Prob. antec. Ad sacrificium, sicut ex ejus definitione constat, quatuor requiruntur, scilicet: 1. res sensibilis seu victima; 2. ejusdem immolatio aut immutatio; 3. immolatio facta a sacerdote legitime instituto; 4. finis, ut scilicet sacrificium Deo in obsequium ejus supremi dominii offeratur. Jamvero, in sacrificio crucis:

1. Adest VICTIMA, quæ est ipse Christus, (Eph. V, 2): *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.*

2. Adest VICTIMÆ IMMOLATIO; Christus in cruce mortuus est.

3. Adest immolatio facta a SACERDOTE LEGITIME INSTITUTO. Christus est sacerdos ab ipso Deo institutus, (Hebr. V, 5): *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* et Christus est qui seipsum obtulit, (Eph. V, 2): *Tradidit semetipsum pro nobis.* — (Joan. X, 17, 18): *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego ponam eam a meipso.*

4. Adest FINIS sacrificii. Christus in cruce moriens, omnes effectus sacrificiorum Vet. Legis obtinuit, ut canit Ecclesia: « Deus qui legalium hostiarum differentiam unius sacrificii perfectione sanxisti. » (*Dom. VII post Pentec.*)

Et re quidem vera: *a)* Christus seipsum in protestationem supremi Dei dominii obtulit. (Hebr. X, 5): *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi;...* (8) *nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio:* quasi diceret: hostiæ et oblationes Vet. Test. erant ad tuum honorem insufficientes; corpus autem dedisti mihi, ut condignam oblationem offerre possem. Unde et Christus passionem jamjam incepturus, ad Patrem oravit: *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te... Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* (Joan. XVII, 1 et 4).

b) Seipsum Deo in gratiarum actionem obtulit; in cujus signum Christus in ultima cœna gratias Deo egit, (Luc. XXII, 19): *Et accepto pane, gratias egit.* — (Marc. XIV, 23, 24): *Et accepto calice, gratias agens dedit eis... et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.*

c) Seipsum obtulit in remissionem peccatorum, tum quoad culpam, tum quoad pœnam, (Matth. XXVI, 28): *Sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

d) Seipsum obtulit, ut gratiam et gloriam consequeremur, (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* — (Hebr. X, 10): *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi.* — (Hebr. X, 14): *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* — Christus igitur in ara crucis Deo Patri verum obtulit sacrificium, et quidem perfectissimum, quod ratione finis fuit latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium. *(S. Alph., De Sacrif. Christi, I. T. 6, asc., p. 9).*

947. — Objicitur. De ratione sacrificii est, ut sacerdos victimam immolet. Sed Christus seipsum non immolavit. Ergo nec sacrificium obtulit; alioquin et martyres, qui sponte mortem subierunt, sacrificium obtulisse etiam dicendi forent.

Resp. De ratione sacrificii est, ut sacerdos victimam immolet, directe vel indirecte, *concedo;* ut eam semper immolet directe, *nego.* Sed Christus seipsum non immolavit indirecte, *nego.* «Dicitur aliquis causa alicujus indirecte, *ait S. Th.,* quia non impedit, cum impedire possit... et hoc modo ipse Christus fuit causa suæ passionis et mortis. Poterat enim suam passionem et mortem impedire, primo quidem adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent, aut non possent interficere; secundo, quia spiritus ejus habebat potestatem conservandi naturam carnis suæ, ne a quocumque læsivo inflicto opprimeretur, quod quidem habuit anima Christi quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate personæ.» *(Q. 47, a. 1).*

In martyrum autem potestate non fuit impedire, ne lethalia vulnera illis inflicta animam e corpore expellerent; unde seipsos indirecte non immolaverunt, sicut Christus. — Præterea, Martyres, dum se morti offerebant, officium publici sacerdotis non gerebant; quocirca et eorum mors non erat actio sacerdotalis seu sacrificium.

§ 2. *De excellentia sacerdotii Christi* [1].

Eximiæ sunt sacerdotii Christi dotes et excellentiæ.

948. — I. Ratione originis. — Christus non extrinseca deputatione aut extrinseca unctione deputatus est sacerdos; sed

[1] Cf. Contens., l. X, Diss. I, c. 1, spec. 3; De Rhodes, Disp. IV, q. II, sect. 3, (p. 156).

ipsa unione hypostatica, ac proinde in ipso conceptionis instanti, unctus est in sacerdotem. Quocirca ingrediens mundum munere sacerdotali statim functus est, secundum illud (Hebr. X, 4-7): *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi;... tum dixi: Ecce venio.*

949. — II. **Ratione plenitudinis.** — In Christo residet tota sacerdotii potestas atque plenitudo, (Matth. ult., 18): *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* — Christus nec superiorem habet sacerdotem, a quo dependeat; nec æqualem, cum quo eamdem potestatem participet; sed quidquid in aliis hominibus de potestate sacerdotali invenitur, a Christi sacerdotio derivatur. « Christus, *ait S. Th.*, est fons totius sacerdotii. Nam sacerdos legalis erat figura ipsius; sacerdos autem Novæ Legis in persona ipsius operatur. » *(Q. 22, a. 4).*

950. — III. **Ratione durationis.** — Christi sacerdotium in æternum est duraturum: *a)* tum ratione personæ, (Hebr. VII, 23. 24): *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, ideirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Quare Christus, sicut in sacerdotio nemini successit, nullos ipse in sacerdotio successores habet, sed ministros tantum, secundum illud (I Cor. IV, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* — *b)* tum ratione officii, quia Christus, qua sacerdos, in cœlis *semper vivit ad interpellandum pro nobis*, et beatis gloriam jugiter influit, atque in terris ad finem usque mundi sacrificium incruentum per ministros suos Deo Patri offert; — *c)* tum ratione effectus, qui est æterna salus credentium, (Hebr. X, 14): *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos.*

951. — IV. **Ratione effectus.** — *a)* Christus una oblatione omnium sacrificiorum effectus operatus est: fuit enim ejus sacrificium latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. — *b)* Christus una oblatione, tum peccata totius mundi abstulit, (I Joan. II, 2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* — tum gratiam in omnes influit, ita ut homini

lapso nulla gratia, nisi ex virtute passionis, concedatur; — tum denique omnibus, qui Redemptionis participes esse volunt, gloriam meruit, (Hebr. VII, 25): *Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.*

952. — V. **Ratione hostiæ.** — Hostia, ad quam immolandam ordinatur Christi sacerdotium, est omnium excellentissima: est enim ipse Christus, qui semetipsum tradidit. « Unus idemque mediator Dei et hominum, *ait S. Fulgentius,* homo Christus Jesus; ipse pastor et ovis; ipse sponsus et sponsa; ipse sacerdos et victima; unus idemque, et oblator muneris, et munus factus est oblatoris. » *(Ad Thrasym. c. 12). (Cf. S. Th., q. 22, a. 2).*

953. — VI. **Christi sacerdotium est sacerdotio aaronico superius.** — *De fide* est, Christum non esse sacerdotem secundum ordinem aaronicum; *manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* (Ad Hebr. VII, 14). Sed sacerdotium Christi est aaronico excellentius: *a) ratione durationis:* adveniente Christo, cessare debuit sacerdotium aaronicum: — *b) ratione hostiæ:* Christus est sui sacrificii hostia; sacerdotes autem aaronici vilia mactabant animalia; — *c) ratione effectus:* sacrificia V. Legis, per se nec gratiam conferebant, nec conscientias a peccatis emundabant, unde nihil ad perfectum adduxit lex; sacerdotium vero Christi emundat nos a peccatis, et consummat in sempiternum sanctificatos.

954. — VII. **Sacerdotium Christi** *non est omnino ejusdem rationis, quam Novæ Legis sacerdotium, sed est longe altioris perfectionis: a)* quia fuit ordinatum ad sacrificium cruentum simul et incruentum; nostrum autem sacerdotium ad unum sacrificium incruentum ordinatur. — *b)* Sacerdotium Christi sacramentis alligatum non erat, sed sine sacramentis illorum effectum conferre poterat. — *c)* Sacerdotium Christi non erat ex aliqua exteriori consecratione, sed ex unione hypostatica; et sese habet ad nostrum sacerdotium tanquam causa universalis ad particularem, et causa principalis ad instrumentalem.

955. VIII. **Sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedech;** juxta illud (Hebr. V, 6): *Tu es sacerdos in*

æternum secundum ordinem Melchisedech. Dicitur autem Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non quia a Melchisedech sacerdos constitutus fuerit, aut ipsius sacerdotium ejusdem fuerit rationis cum sacerdotio Melchisedech; sed quia Melchisedech fuit perfecta repræsentatio et figura Christi sacerdotis. *(Cf. S. Th., q. 22, a. 6).*

ARTICULUS IV.

DE FILIATIONE CHRISTI.

956. — Christi Hominis divinam filiationem naturalem negaverunt Elipandus, Episc. Toletanus, et Felix, Episc. Urgelitanus [1]. Docuerunt nimirum Christum ut hominem esse filium Dei *adoptivum*, non autem filium proprium et naturalem. Exinde *adoptiani* vocati sunt; pacem Ecclesiæ præsertim in Hispaniis perturbaverunt. Condemnati sunt in Concilio Francofordiensi, anno 794, et ab Adriano I.

957. — **Prop.** *Christus ut homo est Filius Dei naturalis, non vero adoptivus* [2].

Certa; alii dicunt *de fide*, ex Conc. Francofordiensi ab Adriano I approbato.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Rom. VIII, 32): *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*. Sed, ut ait *Adrianus Papa* [3], « Scimus quia non est traditus secundum divinitatem: sed secundum id, quod homo verus erat. » Ergo Christus ut homo est proprius Dei filius, id est naturalis, non adoptivus. — (II Petr. I, 17): *Accipiens a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sed Christus, non ut Deus, sed ut homo, accepit a Deo honorem et gloriam per transfigurationem. Ergo Christus ut homo est proprie Dei filius. — (Luc. I, 32): *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* — (I Joan. V, 20):

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. V, n. 39. (T. III, p. 258). — [2] Cf. Gibbon, *De Inc.*, Tr. II, Disp. XXII, dub. 4 et 5; Alvarez, *De Inc.* In q. XXIII, a. 4, p. 429. — [3] Epist. in Conc. Francoford. contra Elip.

Ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus. Sed qui est verus filius, filius absolute, est filius natura, non adoptione.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Ambrosius:* « Nos filii per adoptionem, ille per naturam. » *(De fide, l. I, c. 9). — S. Hieron.:* « Christus filius est natura, non adoptione. » *(In c. I. ad Eph.)*

III. **Ex Ratione.** *a)* « Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ. » *(S. Th., q. 22. a. 4).* Atqui, in Christo una tantum, eaque increata, est persona. Ergo in ipso est etiam una tantum filiatio, et quidem naturalis, non adoptiva.

b) Ex hac prima ratione sequitur hæc altera: Si in Christo adoptiva admittitur filiatio, duplex in eo est admittenda persona, ut notant Patres Conc. Francofordiensis, in Epist. ad Episc. Hispaniæ: « Nonne tunc filii duo erunt Deo Patri, unus proprius, et alter adoptivus: quod nullus catholicus audet dicere. »

c) Ex natura adoptionis: Adoptio est assumptio personæ extraneæ in hæreditatem. Sed Christus, etiam secundum quod homo, non est persona Deo extranea, cum sit suppositum divinum; ergo Christus, etiam secundum quod homo, est filius Dei naturalis, non adoptivus.

958. — **Quæritur.** *Utrum humanitas Christi possit dici adoptata.* **Resp.** *Negative;* quia adoptio sicut filiatio est proprietas personæ, non naturæ. « Humanam Christi naturam, *ait Alcuinus*, nemo catholicus fide confirmatus, adoptivam ausus est dicere. » *(De Trinit., l. III, c. 9).* — Et Concil. Francof.: « Quia de B. Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem ».

ARTICULUS V.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI [1].

De prædestinatione Christi plures inter doctores moventur quæstiones. Pro scopo nostro sufficiant duæ propositiones.

959. — **Prop. I.** *Christus fuit prædestinatus.* — Certa.

[1] Cf. S. Th., q. 24; Nugno, In q. XXIV.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Rom. I, 3, 4): « *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Licet circa sensum hujus textus valde controvertatur, genuina tamen interpretatio ex S. Aug., B. Thoma, etc., videtur esse: ille idem homo, scilicet Christus, qui dicitur factus secundum carnem ex semine David, dicitur prædestinatus ab æterno, ut in tempore per unionem hypostaticam vere et proprie esset filius Dei naturalis, ita ut idem sit filius Dei et filius hominis, qui est Christus.

II. **Ex Traditione.** « Ipsum Dominum gloriæ, *ait S. August.*, in quantum homo factus est Filius Dei, prædestinatum esse dicimus. » *(De Prædest. Sanct., c. 15).*

III. **Ex Ratione.** « Prædestinatio proprie accepta, *inquit S. Th.*, est quædam divina præordinatio ab æterno de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo. Nec potest dici quod Deus ab æterno non præordinaverit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur quod divinæ menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione, et ratione hujus Christus dicitur esse prædestinatus. » *(Q. 24, a. 1).*

960. — Prop. II. *Christus est causa exemplaris, finalis et meritoria nostræ prædestinationis.*

NB. Prædestinatio dupliciter considerari potest: uno modo secundum *ipsum actum* prædestinantis, et sic prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cum uno et eodem actu Deus nos et Christum prædestinaverit. — Alio modo potest prædestinatio considerari, secundum *illud ad quod* aliquis prædestinatur, quod est prædestinationis terminus et effectus: et secundum hoc prædestinatio Christi causa nostræ prædestinationis dicitur.

I. *Christus est* causa exemplaris *nostræ prædestinationis:* Et hoc quidem dupliciter, *ait S. Th.*: « Primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur: ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Dei Filius naturalis: nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis. Unde dicitur (Rom. VIII, 29): *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* » *(Q. 24, a. 3).*

Secundo « quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam: quod quidem in Christo est manifestissimum, quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est unita Filio Dei », ita nos etiam sine ullis nostris meritis præcedentibus a plenitudine Christi gratiam accepimus.

II. Causa finalis: In Trident. Sess. VI, cap. 7, gloria Christi tanquam causa finalis nostræ justificationis indicatur. Porro causa finalis nostræ justificationis eadem est atque causa finalis nostræ præ-

destinationis, cum prædestinatio sit præparatio gratiæ et gloriæ. — Præterea, in Sacra Scriptura Christus manifeste indicatur tanquam finis nostræ justificationis (Rom. VIII, 29): *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, ut *sit ipse primogenitus in multis fratribus;* particula *ut* indicat causam finalem. — (Ephes. I, 5): *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum;* id est ordinando nos ad ipsum. — (I Cor. III, 22, 23): *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei.*

III. Causa meritoria (Ephes. I, 5): *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum.* — Præterea, omnia bona gratiæ, quæ homines habent, eisdem ex meritis Christi conceduntur; sed prædestinatio est maximum gratiæ donum. Ergo ipsa nobis ex meritis Christi conceditur.

CAPUT III.

DE HIS QUÆ INCARNATIONEM CONSEQUUNTUR RELATE AD HOMINES.

Per divini Verbi Incarnationem, in Christo Domino accepimus Mediatorem, Caput et Regem, cui honorem et adorationem deferre debemus. Agendum est igitur: I. de Christo mediatore; II. de Christo capite; III. de Christo rege; IV. de cultu Christo exhibendo.

ARTICULUS I.

DE CHRISTO MEDIATORE.

961. — Mediator dicitur qui medius est inter partes dissidentes, ut eas reconciliet.

Christum Dominum esse mediatorem inter hominem lapsum et Deum, ut hominem Deo reconciliet, est de fide. Legimus (I Tim. II, 5): *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* — (Hebr. IX, 15): *Et ideo Novi testamenti mediator est.* — (Rom. V, 10): *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

Certum est etiam Christum Deum-hominem esse mediatorem, necesse est enim ut mediator cum utroque extremorum, quos conjungere debet, aliquid commune habeat: « Mediator inter Deum et homines, *ait S. August.*, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, et aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. » *(Confess. l. X, c. 42).*

Denique, certum est Christum secundum naturam humanam officio mediatoris functum esse. *(S. Th., q. 26, a. 2).* Enimvero, mediator est medius inter partes dissidentes, ut eas reconciliet, referendo hinc inde conditiones reconciliationis. Sed Christus unice qua homo distat a Patre; et qua homo ab aliis etiam hominibus dignitate gratiæ et gloriæ distat. Demum, unice etiam qua homo, ad homines, quæ Dei sunt, deferre, et quæ hominis sunt, Deo deferre potest. « Non per hoc mediator est, *ait S. August.*, quod æqualis est Patri, per hoc enim quantum Pater, tantum et ipse distat a nobis; per hoc ergo mediator, per quod homo. » *(De pecc. orig. l. II, c. 28).*

Quibus prænotatis, duo quæruntur: 1. de natura mediationis Christi; 2. de conditionibus ejus mediationis.

962. — I. De Natura mediationis Christi.

Christus triplici modo mediatoris officio functus est: 1. *per modum interruntii*, manifestando scilicet hominibus Dei voluntatem et leges, unde a Malachia, III, 1, vocatur *Angelus Novi testamenti;* quo etiam sensu, Moyses mediator vocatur (Gal. III, 19): *Lex... ordinata est per angelos in manu mediatoris.* — 2. *Per modum advocati*, orando et interpellando Deum, ut nobis ignosceret *(cf. n. 842).* — 3. *Per modum sponsoris*, solvendo scilicet Deo debitum nostrum, et satisfaciendo Deo pro nobis ex rigore justitiæ. (I Tim. II, 5): *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — (Gal. III, 13): *Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* — (I Petr. II, 24): *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus,*

cujus livore sanati estis. — In hac Christi mediatione per modum sponsoris consistit proprie nostræ Redemptionis œconomia; quapropter idem est Christum esse Mediatorem et Christum esse Redemptorem.

963. — II. De Conditionibus mediationis Christi.

Christi Domini operibus, propter dignitatem personæ, vis inerat infinita ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro peccatis hominum, et ad dona gratiæ et gloriæ omnibus promerendum *(cf. n. 961).* Ut tamen Deus Pater eas satisfactiones acceptare, et nobis dona gratiæ concedere ex justitia teneretur, duo erant necessaria: 1. ut Christus, tanquam Mediator et sponsor, hominibus, in ordine ad satisfaciendum et merendum, substitueretur; — 2. ut Deus Pater erga Christum pacto vel promissione, ad ejus satisfactiones et merita acceptanda, sese obligaret.

Jamvero: 1. Christus, in ordine ad satisfaciendum et merendum, hominibus substitutus est: *a) per voluntariam ipsius Christi oblationem,* qui ob nimiam suam caritatem erga nos, peccata nostra tulit. (Eph. V, 2): *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.* — (Gal. III, 9): *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — *b) Per ordinationem Dei Patris,* qui ex una parte nolens aliquos perire, et ex altera, nolens absque rigorosa satisfactione peccata dimittere, Christum caput totius generis humani constituit, ut pro omnibus satisfaceret, et omnibus dona gratiæ promereret: sicut etiam Adamum caput omnium constituerat in ordine ad originalem justitiam conservandam aut amittendam. Quæ divina ordinatio in Scripturis manifeste declaratur. Legimus (I Joan. IV, 10): *Ipse* (Deus) *prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* — (II Cor. V, 21): *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* — (Is. LIII, 6): *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

2. Intercedit pactum seu promissio inter Deum Patrem et Christum, ad acceptandum pro hominibus ejus satisfac-

tiones et merita [1]. Legimus (Isa. LIII, 10): *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Quæ verba S. Patres et interpretes intelligunt de promissione Christo a Deo facta, ut, si pro peccato generis humani mortem gustaret, multos justificatos usque ad finem mundi et per totam æternitatem haberet.

Idem ex ipsius satisfactionis et meriti natura constat. Nullus enim, secluso pacto vel promissione, alicujus satisfactionem ad alterius delictum ignoscendum accipere ex justitia tenetur; sicut nec alicui pro opere præstito, quantumvis magna sit ejus virtus satisfactoria vel meritoria, præmium ex justitia retribuere tenetur, nisi prius pacto vel promissione sese ad id obligaverit. — « Christus, *ait S. Alph.*, est mediator justitiæ, quia Pater, secundum pactum initum cum Filio, tenetur ipsum exaudire in omnibus quæ ab Ipso per merita sua expostulat. » *(Cont. hær. Sess. XXV, art. 2, n. 26).*

964. — Corollaria. Ex dictis duo sequuntur maximi momenti corollaria de salutis et Redemptionis œconomia.

Sequitur I: Deum hominibus, qui Christi mortem sibi appropriant, peccatorum veniam et gratiæ dona conferre non solum ex fidelitate, sed ex justitia. « Si vos, *inquit S. Alphonsus*, divinæ justitiæ debitam persolvere satisfactionem non potestis, ecce Jesus, qui eam pro vobis obtulit... Affirmat Apostolus, Christum Jesum, moriendo pro nobis, factum esse nostram justitiam, (I Cor. I, 30): *Factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. Justitia*, inquit S. Bernardus, *in ablutione peccatorum.* Etenim, Deus, acceptando pro nobis Christi dolores et mortem, attento pacto, obligatur ex justitia ad condonandum... Innocens pro nostris peccatis se victimam constituit, unde, propter merita sua, peccatorum venia nobis ex justitia debetur. » *(Disc. IV pro Nat., in medio).*

Sequitur II: Omnes omnia in Christo habere, (I Cor. I, 5, 7): *In omnibus divites facti estis in illo,... ita ut nihil*

[1] Cf. Gabr. a S. Vinc., *De Inc.*, Disp. I, dub. 16, n. 433 (pag. 116) — Isamb., *De Myst. Inc.*, Disp. VI, a. 8. (p. 45).

vobis desit in ulla gratia; et extra Christum neminem gratiam aut peccatorum veniam invenire posse, (Act. IV, 12): *Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

ARTICULUS II.

DE CHRISTO CAPITE ECCLESIÆ [1].

965. — **NB.** I. Hic articulus nobis unam ex insignioribus Christi Domini prærogativis proponit, dum asserit Ipsum esse caput Ecclesiæ, quæ est corpus ejus mysticum, cum quo aliquid unum efficit. Hanc Christi dignitatem frequentius innuunt Scripturæ; eam summe commendant Patres [2], et quidem merito. Etenim, si hæc prærogativa ex una parte nobis Christi excellentiam manifestat, ex altera, nos etiam docet quanta sit nostra propria dignitas, qui corpus Christi constituamus, et quasi unum cum eo efficiamur. — Ipsa præterea nobis indicat, quam realis sit in Ecclesia communio sanctorum; et quanta bona ex hac sanctorum communione nobis proveniant, dummodo tanquam vivi palmites in vite, scilicet in Christo, inserti maneamus.

966. — II. Ecclesia vocatur corpus *metaphorice*, propter suam analogiam cum corpore humano, non secus ac quilibet cœtus hominum bene ordinatus sub uno duce et tendens in eumdem finem, corpus morale nuncupatur. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (Rom. XII, 4 et 5; — cf. I Cor. XII, 12 et seq.).

967. — III. Ecclesia vocatur corpus Christi MYSTICUM, *ait Hurter, (loc. cit. n. 304)*: « ut distinguatur a corpore Christi physico, quod carni-

[1] Cf. S. Th. 3, q. 8; Alex. Alensis, *Summa*, P. III, q. XII; Salmantic., Tr. XXI, disp. 16; Hurter, Theol. I, n. 295; De Brouwer, *De Eccl.*, n. 24. — [2] Cf. præsertim S. August., In Ps. 60, 61, 62, 63, 85, 86, 122, 139, 140, 141.

bus et ossibus constat, sicut aliorum hominum corpora. Dicitur mysticum, ut negetur esse corpus naturale, significetur vero eam esse societatem, quæ ordinem naturalem longe prætergreditur, cujus naturam, perfectionem et indolem animalis homo non percipit, non assequitur, sed tantum spiritualis, qui ex revelatione S. Spiritus sensum Christi habet. (I Cor., II, 14); ut significetur proinde Ecclesiam mysterium esse bonitatis, sapientiæ, potentiæ Dei non secus ac alia opera ordinis supernaturalis. Dicitur mysticum, ut insinuetur corpus hoc gigni mysterio, mysteriis ali, foveri, regi, mysteriis redundare. Dicitur mysticum, ut innuatur, illud non dissimili habitu, proinde admodum mysterioso, referri ad Christum caput, quo humanitas assumpta ad Verbum assumens. »

968. — **Prop. I.** *Christus est Caput Ecclesiæ.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis. Legimus (Colos. I, 18): *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ.* — (Eph. V, 23): *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. (Cf. etiam I Cor. XII, 12-27. — Rom. XII, 4, 5. — Ephes. I, 20-23, et IV, 15, 16, cum explicatione D. Thomæ in citatos locos. — Vide De Eccl. n. 198).*

Prob. **Ex Ratione.** Caput morale dicitur metaphorice ex analogia cum capite in corpore humano. Jamvero, in corpore humano, capiti relate ad alia membra tria competunt privilegia, *dignitatis* scilicet, quia caput est pars corporis nobilior; *perfectionis*, quia omnes sensus in capite vigent, dum in cæteris membris sit solus tactus; et *influxus seu virtutis*, quia caput in alia membra sensum et motum influit, atque totum corpus externa gubernatione regit.

Atqui, hæc tria privilegia Christo respectu Ecclesiæ conveniunt. In Christo enim est: 1. *Eminentia dignitatis:* Christus per gratiam unionis supra omnes extollitur homines, et est Homo-Deus, cujus gratia altior est quam gratia omnium aliorum hominum et angelorum simul. — 2. *Eminentia perfectionis:* in Christo enim est omnimoda plenitudo omnium gratiarum, omnium donorum et perfectionum supernaturalium. (Col. I, 19): *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* — 3. Christus possidet *virtutem influendi* gratiam in omnia membra Ecclesiæ. (Joan. I, 16): *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* — (Joan. I, 9). *Illuminat omnem hominem venientem*

in hunc mundum. Christus indesinenter etiam curam gubernatoris erga corpus suum gerit: « Caput autem nostrum, *ait S. Aug.*, ad dexteram Patris interpellat pro nobis; alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat. » *(In Ps. 85).*

Has tres conditiones capitis in Christo perfecte expressit Apostolus, (Colos. I, 18-20): *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens;* (ecce primatus, seu eminentia dignitatis), *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare:* (ecce eminentia perfectionis). *Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt:* (ecce influxus).

NB. Quamvis ratione horum trium Christus caput Ecclesiæ constituatur, ratio tamen capitis præcipue fundatur in virtute influendi. « Propria ratione Christus dicitur Caput per rationem influentiæ, *ait Alensis,* ut sicut ab ipso capite est influentia sensus et motus, similiter Christus in Ecclesiam influit sensum et motum spiritualiter: sensum quidem influit per fidem, motum vero per caritatem, et illa ratione proprie dicitur Caput Ecclesiæ. » *(Summa, P. III, q. 12, memb. 2, a. 1).*

969. — **Prop. II.** *Christus est Caput Ecclesiæ secundum naturam humanam.* — Ad fidem pertinet.

Prob. Christus, qua Deus, est caput Ecclesiæ primarium; quippe Deus solus auctoritative Spiritum Sanctum mittere et gratiam conferre possit; ideo dicitur (I Corinth. XI, 3): *Caput Christi, Deus.* — Nihilominus tamen Christus, etiam qua homo, caput Ecclesiæ dicendus est. Dicit enim Apostolus, (Ephes. I, 22): *Omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam;* in quibus verbis de Christo homine agitur.

Ad perfectam siquidem rationem capitis requiritur, ut in eo sit conformitas naturæ cum membris, quorum est caput; hæc autem conformitas Christo ratione humanitatis competit.

Præterea, quæ superius de proprietatibus capitis dicta sunt, Christo etiam qua homini conveniunt; quippe quum,

quatenus homo, possit, ut instrumentum Verbi, Spiritum Sanctum mittere et gratiam impertire.

Apposite *Alensis:* « Caput Ecclesiæ dicitur communiter et proprie. Communiter tota Trinitas est Caput Ecclesiæ. Tota enim Trinitas movet et regit Ecclesiam, et infundit gratiam ei, qua sentiat per fidem et moveatur per caritatem: unde in ratione regentis et influentis se habet ad ipsam. Secundum vero humanitatem Christus proprie dicitur caput: quia hoc modo se habet ad Ecclesiam secundum rationem conformitatis ad ipsam per gratiam et naturam. » *(Loc. cit., cf. S. Th., 3. Sent., D. 13, q. 2, a. 1).*

970. — Prop. III. *Christus est Caput totius Ecclesiæ.*

NB. Dicitur *totius Ecclesiæ,* id est, omnium hominum tam ante quam post Christum natum, et etiam omnium Angelorum beatorum.

Prob I. Est Caput hominum. Legimus (Eph. I, 22, 23): *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* — Præterea, Christus est caput præsertim ratione influxus. Sed omnes qui justificantur, etiam ii qui ante Christum natum vixerunt, propter Christi merita justificantur. Horum igitur omnium Christus est Caput.

II. Est Caput Angelorum. (Col. II, 10): *Qui est caput omnis principatus, et potestatis.* — (Eph. I, 20 et seq.): *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem... et omnia subjecit sub pedibus ejus.*

Præterea, « Ubi est unum corpus, *inquit S. Th.,* necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum, secundum distinctos actus et officia. Manifestum est autem quod ad unum finem, qui est gloria divinæ fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Unde corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput; quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli; et de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. » *(Q. 8, a. 4).*

Utramque partem propositionis pulcherrime illustrat *S. August.*: « Dominus enim ipse in corpore suo quod est Ecclesia, junior fuit primis temporibus, et ecce jam senuit. Nostis, et agnoscitis, et intelligitis, quia in hoc positi estis, et ita credidistis, quia caput nostrum Christus est: corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, et non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent: Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos: ut esset et ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus, ab initio usque finem, adjunctis etiam legionibus et exercitibus Angelorum, ut fiat una civitas sub uno rege, et una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace et salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine. » *(In Ps. 36, Serm. 3. — Cf. In Ps. 61).*

971. — **NB.** Quamvis fuerit influentia Christi Capitis in Patres Vet. Testamenti, « tamen, *ait S. Th.*, non fuit tanta influentia ante Incarnationem, quanta est modo: quia tunc non erat remotum obstaculum, nec sacramenta gratiæ exhibita erant, sicut modo sunt. » *(3. Sent., D. 13, q. 2, a. 2).* — *Præterea*, ante Incarnationem influxus Christi fuit tantum moralis, post Incarnationem est moralis simul et physicus.

2. Christus est hominum Caput, aliter tamen et aliter. Membrum enim aliquod ex sua unione cum Capite dicitur. Jamvero ex hominibus, alii Christo uniuntur per gloriam in cœlis: horum Christus primo et principaliter est Caput. — Alii in terris Christo actu uniuntur per gratiam et caritatem: horum Christus etiam perfecte est Caput. — Alii caritatem per peccatum amiserunt, sed fidem retinent. Hi etiam *actu* sunt membra Christi, quia Christo per fidem uniuntur, sed sunt membra imperfecta, arida, mortua, secundum illud Trident. Sess. VI, cap. 7: « Fides sine caritate neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » — Alii fidem non habent, ut hæretici, pagani: horum Christus actu non est caput, sed in potentia tantum, quia Christo nullo vinculo uniuntur, sed, quamdiu sunt in via, apti sunt ut ei uniantur. — Alii demum in peccato mortui, in gehennam detrusi sunt: hi nec actu nec potentia sunt membra Christi et Ecclesiæ; sed a corpore Christi totaliter et irreparabiliter sunt abscissi. *(Cf. S. Th. q. 8. a. 3 — 3. Sent., D. 13, q. 2, a. 2).*

3. Christum hominem esse Caput Angelorum, omnes concedunt: sed disputant auctores de natura influxus Christi in Angelos; utrum scilicet Angeli gratiam et gloriam essentialem ex meritis Christi Capitis receperint [1].

Nonnulli, præsertim scotistæ, innixi verbis Apostoli (Col. I, 20): *Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis*

[1] Cf. Nugno, *De Inc.*, q. VIII, a. 4.

ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. — Et (Apoc. XII, 11): *Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni,* docent, Christum Angelis gratiam et gloriam tam essentialem quam accidentalem meruisse. Quæ opinio est probabilis.

Sed probabilior est opinio S. Thomæ [1], qui cum majori parte theologorum docet, Angelos ex meritis Christi gratiam et gloriam essentialem non accepisse, sed gloriam tantum accidentalem [2]. Ratio est, quia ex Scripturis clare constat Christum pro solis hominibus in mundum venisse, et pro solis hominibus mortuum esse (Is. IX, 6): *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Ad quæ verba scribit *S. Bernardus:* « Non Angelis quoque, qui, cum Magnum haberent, parvulum non requirebant. » *(Hom. 3 sup. Missus.).* — Et *S. August.:* « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; non enim pro Angelis mortuus est Christus. » *(Enchirid. q. 61).*

Corollarium. Ex dictis sequitur Christum perfectius esse caput hominum quam Angelorum: 1. quia cum hominibus perfectam habet conformitatem in natura; cum Angelis vero, ratione animæ, habet conformitatem secundum genus intellectualis naturæ; 2. quia plura in homines quam in Angelos influit.

972. — Prop. IV. *Unio Christi ad corpus suum mysticum est omnino vera et realis.*

Prob. In familia bene ordinata, licet diversa membra inter se physice distinguantur, arctissimo tamen atque realissimo vinculo inter se et cum capite suo uniuntur, ita ut unum verum corpus constituant, et omnia bona patris sint filii, et bona filii sint patris, atque pater per affectionem concorporeitatis, quidquid patitur filius, realiter sentiat.

Idem dicendum est de familia divina, de corpore mystico, quocum Christus realissima unione conjungitur. Ita vera et realis est hæc unio Christi Capitis ad sua membra, ut, vi illius unionis, mutua detur translatio actionum Christi et nostrarum. Ipse in se peccata nostra suscepit, et per incorporationem nostram in ipso, unicuique « communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. » *(S. Th. 3, q. 69. a. 2).*

[1] Cf. 3. *Sent.,* D. 13, q. 2, a. 2: *De Verit.,* q. 29, a. 7, ad 5. — [2] Cf. Alensem, *loc. cit.,* memb. II, a. 2, § 4, pro gloria accidentali Angelis concessa.

Vi illius unionis, Christus omnia bona et mala, quæ membris suis eveniunt, sua reputat (Luc. X, 16): *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* — (Matth. XXV, 34): *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare... Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* — (Act. IX, 4): *Saule, Saule, quid me persequeris?*

« Unitas, *ait S. August.*, nos compaginat uni: et illi soli cum illo non ascendunt, qui cum illo unus esse noluerint. Jamvero quoniam ipse qui in cœlo positus est, et carne suscitata immortalis;... compassus tamen corpori suo in terra laboranti, dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Iam ipsum nemo tangebat, et se pati persecutionem de cœlo clamabat... Ille deorsum est compassione caritatis, nos sursum sumus spe caritatis. » *(In Ps. CXXII, 1).*

973. — Scholium I. *De Gratia, per quam Christus constituitur Caput Ecclesiæ* [1].

I. Gratia, per quam Christus *formaliter* caput Ecclesiæ constituitur, est ipsa gratia personalis. — « Eadem est secundum essentiam, *ait S. Th.*, gratia personalis, qua anima Christi est justificata, et gratia ejus secundum quam est caput Ecclesiæ justificans alios: differt tamen secundum rationem. » *(Q. 8, a. 5).* Ratio est, quia illa gratia est capitalis, per quam Christus formaliter potens redditur gratiam in membra Ecclesiæ moraliter influendi; (ille enim moralis influxus ad rationem capitis sufficit). Atqui hæc gratia est ipsa Christi gratia habitualis personalis: etenim Christus dona gratiæ in membra Ecclesiæ per sua merita et suas satisfactiones moraliter influit; sed per gratiam habitualem potens redditur ad satisfaciendum et merendum; ergo et per eamdem gratiam dona influendi potens constituitur.

II. Gratia, per quam Christus *Ecclesiæ* caput *radicaliter* constituitur, est gratia unionis. — Ut enim gratia Christi habitualis de condigno pro peccatis nostris satisfacere, et gloriam nobis de condigno mereri posset, valorem infinitum habere debuit. Atqui talem valorem gratia Christi habitualis non habuit per se, sed unice in quantum radicata fuit in gratia unionis, quæ Christi operibus infinitum valorem tribuit. Prima igitur radix dignitatis capitis est gratia unionis.

III. Præter gratiam unionis et gratiam habitualem, dignitas Capitis connotat adhuc in obliquo liberam Dei voluntatem, qua Christum hominem caput morale corporis Ecclesiæ constituerit, ordinando scilicet ut voluntas Christi reputaretur omnium nostrum in ordine ad satisfaciendum pro peccatis. — Ratio est, quia nonobstante suæ

[1] Cf. Gabr. a S. Vinc., q. VIII, a. 5; Gibbon, Tr. II, disp. XIV, dub. 2 (p. 231).

gratiæ plenitudine, Christus homo, aliis in ordine ad satisfaciendum et merendum tanquam sponsor substitui non potuisset, nisi Deus eum ad hoc deputasset, eique onus pro nobis satisfaciendi imposuisset, *(n. 963)*; sicut nec primus Adam absque simili deputatione caput morale generis humani in ordine ad justitiam originalem conservandam aut amittendam censeri posset, *(n. 809)*.

974. — Scholium II. *De corpore mystico diaboli* [1].

1. Corpori Christi mystico, cœlesti Jerusalem, opponitur civitas babylonica, corpus diaboli. « Sciendum est, *ait S. Th.*, quod duo sunt corpora mystica in hoc mundo, scilicet corpus mysticum Christi, et corpus mysticum diaboli, sive Antichristi, ad quorum alterum pertinent omnes homines mundi. Corpus mysticum Christi sancta est Ecclesia, tanquam ipsius munda et fidelis sponsa, cujus ipse est caput... Corpus diaboli universitas est iniquorum, tanquam illius nutrix adultera, cujus ipse caput est, et singulæ personæ malorum ejus membra. » *(Op. 58, de Euch., c. 4)*.

2. Diabolus caput iniquorum recte dicitur, secundum illud (Job. XLI, 25): *Ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Habet enim inter iniquos *prioritatem ordinis,* quia primus peccavit; *eminentiam perfectionis* in malitia, quia ejus peccatum fuit omnium gravissimum; et *influxum,* quia alios per tentationem ad peccandum inducit.

3. Membra diaboli sunt omnes peccatores. *Qui facit peccatum, ex diabolo est,* ait S. Joan., I Ep. III, 8. « Corpus diaboli, *ait S. Greg.*, sunt omnes iniqui. » *(In Job. XLI)*. — Et *S. Aug.*: « Omnes qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi, ad unam illam civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mystica, et habet regem diabolum. » *(In Ps. LXI)*. Ratio est quia omnes peccatores cum diabolo ad eumdem finem tendunt, ad aversionem scilicet a Deo.

Nec obstat, quod peccator, qui fidem retinet, sit adhuc membrum imperfectum Christi: in moralibus enim nulla est repugnantia in eo, quod idem membrum secundum diversas rationes consideratum, ad diversa corpora et diversa capita pertineat.

4. Corpus diaboli adversus corpus Christi, et corpus Christi adversus corpus diaboli indesinenter pugnat. — *In hoc apparuit Filius Dei,* ait S. Joan., *ut dissolvat opera diaboli.* (I Ep. III, 8). — Et *S. Th.* « Sciendum est, *inquit,* quod sicut Christus per se et per suos semper studet membra diaboli præscindere, et suis membris incorporare: sic diabolus per suos conatur membra Christi tollere, et membris suæ meretricis vilibus unire. *(Op. 58)*.

[1] Cf. S. Th., q. 8, a. 7 et 8; S. Aug., In Ps. LXI et CXXXIX.

Hæc pugna ortum habuit in cœlis, quando Lucifer superbia elatus, similis esse voluit Altissimo, et cauda sua tertiam secum traxit partem stellarum. *Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone; et draco pugnabat, et Angeli ejus.* (Apoc., XII, 7).

Hæc pugna, producto homine, statim incepit in terris, et ad finem usque mundi perdurabit. « Mala ergo civitas ab initio usque in finem currit, *ait S. August.*, et bona civitas mutatione malorum conditur. Et sunt istæ duæ civitates permixtæ interim, in fine separandæ, adversus se invicem confligentes, una pro iniquitate, altera pro justitia : una pro vanitate, altera pro veritate. » *(In Ps. LXI).* — Et quamvis contra Ecclesiam Christi portæ inferi nunquam prævaleant, aliquibus tamen temporibus, Deo sic permittente, exuberanti quadam vita donatur corpus diaboli, miraque unitate contra corpus Christi certat, a quo interdum innumera membra aufert.

Duplicis hujus civitatis existentia arcanum historiæ totius hujusce mundi aperit, causamque illius perennis luctaminis, quod filii Dei contra filios Belial sustinent, revelat. Utraque civitas cum mundo incepit ; utraque ad finem usque mundi perseverabit ; utraque demum in æternitate consummabitur. « Hæc duo corpora sub duobus regibus agentia ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem sæculi, donec fiat ex commixtione separatio, et alii ponantur ad dexteram, alii ad sinistram, dicaturque : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab exordio mundi.* Illis autem : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* » *(S. Aug., Ps. LXI).*

ARTICULUS III.

DE CHRISTO REGE.

975. — Potestas regia est *suprema auctoritas gubernandi in uno residens.* — Duo essentialiter complectitur regia potestas: *dominium jurisdictionis*, et *dominium proprietatis. Dominium jurisdictionis* est facultas suprema ferendi leges, dicendi jus in omni controversia, et ita præcipiendi ut alii parere teneantur: est nimirum potestas legislativa, judiciaria et coercitiva; in his tribus potissimum consistit potestas regia. — *Dominium proprietatis* est facultas disponendi de re aliqua pro arbitrio.

Agitur in hoc articulo de Christo, quatenus est homo; omnibus enim constat, Christum Deum esse omnium Regem

et Dominum. Regia potestas Christi considerari potest, vel quantum ad res spirituales, vel quantum ad temporalia.

§ 1. *De Christo Rege spirituali.*

976. — Prop. I. *Christus, quatenus homo, est Rex totius Ecclesiæ.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. II, 6): *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* « Ego autem, *ait S. Aug.*, constitutus sum rex ab eo super Ecclesiam sanctam ejus, quam montem appellat, propter eminentiam et firmitatem ejus. » *(In Ps. II).* — (Zach. IX, 9): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator.* — (Luc. I, 32): *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

Scholium. Hæc regia potestas in universalem Ecclesiam sequitur in Christo dignitatem supremi Sacerdotis et dignitatem capitis, atque *potestas excellentiæ* nuncupatur. Vi hujus potestatis Christus spiritualem rempublicam condere, et modum, quo gubernari debeat, præscribere potuit; potuit leges edicere, superiores eligere et eis potestatem conferre, sacrificia et sacramenta instituere eisque virtutem causandi gratiam tribuere; uno verbo, ea omnia quæ ad finem Ecclesiæ conducunt, plenissima potestate statuere potuit [1].

977. — Prop. II. *Christus potestatem legislativam habet.*

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 21: « Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit. »

Prob. I. **Ex Script. S.** (Is. XXXIII, 22): *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster; ipse salvabit nos.* — (Is. II, 3): *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* — In N. Test. innumera inveniuntur testimonia quibus constat, Do-

[1] Cf. De Rhodes, *De Inc.*, Disp. IV, q. II, sect. 3, § 2.

minum nova mandata dedisse, hominesque ad ea servanda obligasse. (De his in tract. de Ecclesia).

II. **Ex Ratione.** Potestas legislativa fluit ex potestate regia. Sed Christus est verus Rex spiritualis; ergo potestatem legislativam habet.

978. — Prop. III. *Christus, quatenus homo, habet potestatem judiciariam.*

De fide, ex symbolis et Scriptura Sacra.

Prob. De Christo legimus in Scripturis (Joan. V, 27): *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* — (Act. X, 42): *Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* — Et in Symb.: *Unde venturus est judicare vivos et mortuos.*

« Quamvis apud eum remaneat primæva auctoritas judicandi, *ait S. Th.*, hominibus tamen committitur a Deo judiciaria potestas respectu eorum qui eorum jurisdictioni subduntur... Dictum est autem supra quod Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ, et quod sub pedibus ejus Deus omnia subjecit. Unde ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere judiciariam potestatem. » *(P. 3, q. 59, a. 2).*

979. — Scholium. 1. Plures sunt tituli judiciariæ potestatis in Christo, scilicet: unio hypostatica, externa Patris deputatio, et meritum passionis. *(Cf. S. Th., q. 59, a. 3).*

2. Eximiæ sunt hujus potestatis prærogativæ: *a)* est potestas *universalissima*, sese extendens ad omnes homines, et ad omnes eorum actus, et ad omnia quæ sunt ad finem Incarnationis ordinabilia; — *b)* est *suprema*, a qua non datur appellatio; — *c)* est *sapientissima*, cui nihil remanet occultum; — *d)* est *sanctissima*, quia nullum malum remanebit impunitum. *(Cf. S. Th., loc. cit., a. 4 et 6).*

3. Hujus potestatis actus præcipui sunt duo: judicium particulare, in fine vitæ cujuslibet hominis; et judicium universale in fine mundi.

§ 2. *De regia potestate Christi in temporalia* [1].

980. — Prænotanda. — Dominium tam jurisdictionis quam proprietatis distinguitur *in dominium humile*, et *in dominium altum* [2]. *Dominium proprietatis humile* (quod etiam *bassum, vulgare* nominatur) est illud, per quod res aliqua sic est propria suo domino, ut solus ille ejus proprietatem obtineat, et simul excludat dominium aliorum; v. gr., dominium in domum, quam quis emit. — *Dominium altum* est jus, quod convenit communitati, vel regi, in bona singulorum civium, de quibus disponere potest in casu gravis necessitatis reipublicæ, in quantum bonum publicum hoc exigit. — Dominium altum compatitur secum circa unam eamdemque rem dominium vulgare in aliquibus aliis, ut patet exemplo regis in bona civium.

Dominium jurisdictionis vulgare est illud, quo potestas in subditos sic competit alicui, ut circa eosdem inferiores omnem jurisdictionem quorumque aliorum ejusdem ordinis et rationis excludat; v. gr., præfectus in sua civitate. — *Dominium altum* est illud jus, quod competit superiori, v. gr., regi, secundum quod potest ordinare de iis, quæ spectant ad jurisdictionem inferiorum circa subditos; illud dominium compatitur secum dominium vulgare.

Utrumque dominium, jurisdictionis et proprietatis, in temporalia, potest distingui in dominium directum et in dominium indirectum.

Dominium directum illud est, quo aliquis de rebus temporalibus sine respectu ad alium finem superiorem disponere potest. — *Dominium temporale indirectum* illud est, quo aliquis de rebus temporalibus ad finem aliquem spiritualis regiminis et salutis animarum, et nonnisi in quantum adeptio finis spiritualis illud exigit, disponere potest. *(Cf. n. 356).*

Dominium potest etiam considerari vel in actu primo vel in actu secundo. *In actu primo,* dominium est ipsa potestas in se considerata, quam quis habet in res, vel in subditos. — *In actu secundo,* dominium est actuale juris exercitium.

Hisce prænotatis sint sequentes conclusiones:

981. — I. *Christus, quatenus homo, habuit et adhuc habet dominium indirectum tam jurisdictionis quam proprietatis in omnia regna mundi.*

[1] Cf. Molina, *De Just.,* Tr. II, Disp. 28; Salmant. Disp. XXXII; Isamb. q. XXII, Disp. 3; Nugno, q. XXII, a. 1. — [2] Cf. Isamb., *loc. cit.,* a. 1, p. 523; De Rhodes, *De Inc.,* Disp. IV, q. II, sect. 2, § 2, p. 158.

Certa, et ab omnibus admissa. — Vi hujus potestatis Christus, ad spiritualem Ecclesiæ finem promovendum, potuit et reges mutare, et regna auferre, et de bonis omnibus temporalibus disponere. Enimvero, ut *ait de Rhodes*. « Potestas ut perfecta sit et non diminuta, vim habet et efficaciam circa inferiora omnia, quæ possunt finem illum impedire vel promovere, præsertim si ea inferiora dirigantur ad finem potestatis superioris; sed omnia temporalia inferiora sunt, et diriguntur ex natura rei ad finem supernaturalem salutis animarum cui servire debent. » *(Disp. IV, q. II, sect. 3, § 3, p. 158).*

982. — II. *Christus, quatenus homo, non habuit de facto in actu secundo, dominium in aliqua regna mundi.*

Certa, et ab omnibus admissa. — Nullibi enim in Scripturis legitur, Christum suam jurisdictionem suumve dominium in aliqua regna exercuisse; imo ipse contrarium asseruit, dicendo ad Pilatum (Joan. XVIII): *Regnum meum non est de hoc mundo.*

983. — III. *Christus, quatenus homo, habuit dominium directum, potestatem scilicet excellentiæ, in omnia regna mundi, et in universas res creatas.*

Huic conclusioni contradicit Bellarm., *(De S. Pontif., l. V, c. 4)*, Medina, *(In q. LIX, a. 4,)* Greg. a Valentia. Est tamen *communis* doctorum atque Patrum sententia.

Dominium, quod in conclusione asseritur, est *in actu primo*, et se habet per modum dominii alti, quia dominium inferioris ordinis circa eamdem rem secum compatitur; est tamen ordinis superioris quam dominium altum ordinarium, et ideo vocatur *potestas excellentiæ*, vi cujus Christus, qua homo, vere est rex regum et dominus totius orbis, ita ut ad suæ voluntatis arbitrium et absque cujuscumque injuria, et reges deponere, et omnia regna mundi sibi usurpare, et de omnibus rebus temporalibus totius universi disponere potuisset.

Prob. **Ex Script. S.** Legimus (Act. X, 36): *Annuntians, pacem per Jesum Christum: hic est omnium Dominus.* — (Ps. VIII, 7, 8): *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. Quæ verba de Christo exponit Apostolus (I Cor. XV, 27): *Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui ei subjecit omnia.* — (Apoc. I, 5), Christus vocatur: *Princeps regum terræ:* et

cap. XIX, 16: *Rex regum et dominus dominantium.* — (Matth. ult.): *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Atqui istæ multæque aliæ Scripturæ locutiones, sunt absolutæ et universales: debent ergo accipi universaliter, secundum proprietatem verborum et in tota sua latitudine, non vero cum restrictione: *prout ordinantur et inserviant fini supernaturali.* Christus igitur directum habuit dominium in omnia regna mundi, et in omnes res creatas.

984. — IV. *Regia Christi potestas est fons et origo omnis, etiam civilis, potestatis inter homines.*

Hæc est expressa S. Thomæ doctrina. « Sed cum ipse (Christus, *inquit*, sit vere rex, quare fugit? Ad quod triplex assignatur ratio: Una, quia derogasset dignitati ejus, si regnum ab homine recepisset, qui sic rex erat, ut ejus participatione reges omnes essent: (Prov. VIII, 15): *Per me reges regnant.* » *(In Joan., c. VI, lect. 2).* — Et *S. August.*: « Erat quidem rex Christus, non talis qualis ab hominibus fit, sed talis ut homines reges faceret. » *(Hom. 32 in Joan.)*

Ex hoc autem non sequitur, alios reges non esse vere reges, sed tantum Christi vicarios. Nam regia potestas Christi est altioris ordinis, et se habet ad potestatem aliorum regum quasi per modum dominii alti. Aliorum proinde regum potestas cum potestate Christi optime coexistere potest, sed ei subditur. « Alii ergo principes, *concludit de Rhodes*, reges vere ac domini sunt, sed ex concessione Christi. » *(Loc. cit. p. 160).*

985. — **Corollarium.** Christus Jesus habuit in actu primo dominium in universas res creatas; in actu tamen secundo paucarum tantum rerum dominium in suum Apostolorumque usum habere voluit; ita ut dicere potuerit (Matth. VIII, 20): *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* — Pauperem vitam elegit Christus, ut nobis spirituales divitias clargiretur, teste Apostolo (II Cor. VIII, 9): *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis;* et ut voluntariam et perfectam paupertatem fidelibus non solum verbo, sed et exemplo, commendaret.

ARTICULUS IV.

DE CULTU CHRISTO EXHIBENDO.

986. — Prænotanda. — Cultus in genere definitur: *Testimonium excellentiæ alienæ et submissionis propriæ;* (Polm.), seu est: Actus quo alteri honorem et reverentiam exhibemus, in testimonium suæ excellentiæ, et in protestationem nostræ erga eum submissionis.

Duplex distinguitur objectum cultus: materiale et formale. Objectum *materiale* est persona vel res, cui defertur honor; et objectum *formale* seu *motivum*, est specialis ratio excellentiæ, ob quam alicui honor tribuitur. V. gr., si homo doctus honoratur, ipse homo est objectum materiale, scientia vero objectum formale cultus, qui ipsi exhibetur.

Cultus multiplici ratione dividitur:

I. Ratione modi: in *internum* et *externum*. Ad *internum* concurrit tum actus intellectus, quo alicujus excellentiam apprehendimus; tum actus voluntatis, quo nos illi interius demissos exhibemus. — Ad *externum*, præter duo memorata, concurrit actus exterior, signum scilicet aliquod sensibile protestativum excellentiæ alienæ, et nostræ submissionis; v. gr., inclinatio capitis, genuflexio. — Cultus externus subdividitur in privatum et publicum.

II. Ratione objecti: In *absolutum* et *relativum*. *Absolutus* est, qui alicui ob excellentiam ei inhærentem exhibetur; v. gr., Deo, Sanctis. — *Relativus* est, qui alicui personæ vel etiam rei inanimatæ tribuitur propter relationem, quam habet cum aliqua persona honore digna; v. gr., famulo, intuitu Domini; statuæ vel imagini, intuitu prototypi.

III. Ratione motivi: in *civilem* et *religiosum*. *Civilis* est, qui alicui propter excellentiam naturalem tribuitur; *religiosus*, qui tribuitur alicui propter excellentiam supernaturalem. — Cultus religiosus subdividitur in religiosum simpliciter, et in sacrum. — Cultus *religiosus simpliciter* est ille, qui ob supernaturales dotes exhibetur mortuis ab Ecclesia nondum ca-

nonizatis, vel etiam personis adhuc vivis. Ad hunc cultum pertinet honor, quem Ecclesia mortuis exhibet in exsequiis [1], necnon et honor, qui personis Deo speciali modo dicatis tribuitur, ut religiosis ob vota, sacerdotibus ob characterem. — Cultus *religiosus sacer* est, qui Deo, Angelis, et Sanctis ab Ecclesia canonizati vel beatificatis exhibetur. — Dividitur in cultum *latriæ*, qui soli Deo, ob increatam ipsius excellentiam et supremum ejus dominium in omnes creaturas, defertur; in cultum *hyperduliæ*, qui B. V. Mariæ redditur, ob ejus singularem et eminentissimam dignitatem; et in cultum *duliæ*, qui Angelis et Sanctis ob excellentem eorum sanctitatem exhibetur.

987. — Cultui synonyma est **adoratio.** Sed quia apud populum christianum mos invaluit ut per adorationem exprimatur cultus latriæ soli Deo exhibendus, hæc vox *adoratio* pro cultu Sanctorum adhiberi non debet, ne fideles in errorem inducantur, existimantes Sanctos a nobis cultu latriæ honorari.

Hisce prænotatis, agemus: 1. de cultu humanitatis Christi in genere; 2. de cultu SS. Cordis Jesu; 3. de cultu Crucis et imaginum Christi; 4. et quia cum dicendis cultus Sanctorum intimam habet connexionem, de eo etiam quædam sunt addenda.

§ 1. *De Adoratione humanitatis Christi.*

988. — *Nestoriani*, qui duplicem in Christo statuerant personam, humanitati cultum latriæ absolutum denegabant, et docebant, Christi humanitatem non esse adorandam una et eadem adoratione cum Verbo, sed esse *coadorandam* cum Verbo, ad eum modum quo, cum rex adoratur, eadem adoratione veneretur regia vestis: duas proinde adorationes statuerunt: *absolutam* pro persona Verbi, et *relativam* pro humanitate. — *Jansenistæ* in synodo Pistoriensi declararunt « adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ. »

989. — Doctrina autem catholica docet: humanitatem Christi, prout est Verbo unita, seu humanitatem Christi in

[1] Cf. S. Alph. *Epist. responsoria super abusu mortuis maledicendi.* (*Mor.*, l. III, Tr. II, n. 132).

concreto sumptam, adorandam esse directe eodem cultu latriæ absoluto, quo ipsa persona Verbi adoratur, ita ut objectum ad quod cultus directe et immediate terminetur, sit non sola divinitas, sed et humanitas. Motivum autem adorationis esse non ipsam humanitatem, sed unionem hypostaticam, seu personam Verbi, cui humanitas inseparabiliter unita est. Unde et humanitas dicitur adorari cultu latriæ in se, non quidem propter se, sed propter personam Verbi.

990. — Prop. *Humanitas Christi uno eodemque absoluto latriæ cultu adorari debet, quo Verbi divinitas.*

De fide, ex Conc. Ephesino, can. 8: « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum... ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, A. S. » *(Denz. n. 80).* — Et ex Constantinop. II, can. 9: « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur,. sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, talis anathema sit. » *(Denz. n. 180).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Hebr. I, 6): *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quæ verba de Christo homine, qui solus in orbem terræ introduci iterum potest, intelliguntur. — (Philip. II, 8-10): *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod et Deus exaltavit illum... ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* — (Apoc. V, 12): *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* — In quibus verbis de cultu latriæ Christi humanitati tribuendo agitur.

II. **Ex Traditione.** « Unus igitur, *ait S. Joan. Damasc.*, est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu una adoratione cum immaculata carne ejus. » *(De fide orth., l. III, c. 8).* — Et *S. Cyrillus Alex.*: « Si quis... Domini nostri carnem, velut nudi hominis, minime adorandam, dixerit: hunc anathemate plectit sancta et catholica Ecclesia. » *(De recta fide, c. 9).* — Accedit etiam auctoritas Pii VI, qui in Bulla *Auctorem fidei* doctrinam Sy-

nodi Pistoriensis damnavit ut falsam, captiosam, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahentem ac injuriosam. *(Denzing, n. 1424).*

III. **Ex Ratione.** Adoratio exhibetur personæ, seu toti rei subsistenti. Atqui Christi humanitas constituit cum Verbo unum totum subsistens, atque idem esse personale. Ipsa ergo eadem adoratione atque Verbum coli debet. « Honor adorationis, *ait S. Th.*, proprie debetur hypostasi subsistenti, tamen ratio honoris potest esse aliquid non subsistens, propter quod honoratur persona cui illud inest. Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi: uno modo ut sit ejus sicut rei adoratæ: et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem regis nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriæ. » *(Q. 25, a. 2).*

§ 2. *De Cultu SS. Cordis Jesu.*

991. — Omni tempore aliqui in Ecclesia extiterunt fideles, qui SS. Cordi Jesu cultum specialem detulerunt. Devotio tamen publica erga Cor illud Sacratissimum circa annum 1675 ortum habuisse recte dicitur, post celebrem scilicet apparitionem Salvatoris nostri B. Mariæ Alacoque. Exinde inter fideles sensim propagari cœpit, non obstantibus Jansenistarum conatibus, qui illum cultum inter *devotiones novas, erroneas, periculosas* rejecerunt. Ast, foventibus SS. Pontificibus, latius semper atque latius sese extendit hæc devotio, donec ex mandato Pii P. IX. anno 1856. ad universalem Ecclesiam extensa sit SS. Cordis festivitas.

992. — *Objectum materiale* devotionis erga SS. Cor Jesu est duplex, *sensibile* unum, *spirituale* alterum. « Objectum *spirituale, inquit S. Alphonsus*, est amor quo ardet Cor Jesu erga homines: amor enim cordi communiter tribuitur, sicuti ex multis Scripturæ locis constat. (Prov. XXIII, 26): *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* — (Ps. LXXXIII, 3): *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* — (Rom. V, 5): *Caritas*

Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. — Objectum *materiale seu sensibile* est ipsum SS. Cor Jesu, non nude in se consideratum, sed ut humanitati, et consequenter ut divinæ personæ Verbi unitum. » *(Novena SS. Cordis, Introd.).*

Objectum igitur devotionis erga SS. Cor Jesu, non est solum Cor Christi physicum et carneum, nec sola Christi caritas erga homines; sed est utrumque simul; seu est Cor Christi caritatem demonstrans; vel Christi caritas cordis symbolo demonstrata.

Utrumque objectum in Bullis Pontificiis commendatur.

Legimus in Breve Beatificationis Margaritæ Alacoque, an. 1865: « Hunc vero caritatis ignem ut magis incenderet (Christus), sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri. Ecquis enim tam durus et ferreus sit, quin moveatur ad redamandum cor illud suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur? »

Et *Pius P. VI,* ad Episc. Pistoriensem scribit: « In symbolica cordis imagine immensam caritatem, effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur. » — Denique ex concessione officii et Missæ constat, utrumque objectum nostræ venerationi proponi. Ait *Pius IX,* in decreto extensionis festi, 23 Aug. 1856: « Ex quo Clemens P. XIII festum in honorem Sanctissimi Cordis Jesu cum officio et missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam Divini hujus Cordis caritatem recolendam etc.... »

993. — *Objectum formale* seu *motivum,* ob quod SS. Cor Jesu speciali cultu nobis adorandum proponitur, est multiplex. *Primum,* est ipsa excellentia ejus amoris erga homines; *secundum,* sunt dolores tam interni quam externi, quos cor illud sacratissimum pro nobis sustinuit; sicut enim amoris, ita et doloris sedes cor esse dicitur, secundum illud (Ps. LIV, 5). *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me; tertium* motivum sunt virtutes, quarum cor Jesu fuit sedes præcipua, et quæ nostræ imitationi proponuntur, secundum illud (Matth. XI, 29): *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Motivum autem generale cur cor SS. Jesu cultu latriæ adoretur, est ipsa unio hypostatica Cordis cum persona Verbi; hac enim unione evenit, ut non solum tota humanitas, sed etiam quælibet pars ejus adoratione latriæ adorari debeat.

994. — Prop. *Specialis cultus latriæ, qui SS. Cordi Salvatoris exhibetur, pius est et licitus.* — Certa.

Prob. I. **Ex Auctoritate Ecclesiæ.** 1. S. Pontifex Pius VI, in constitutione *Auctorem fidei*, Jansenistarum declarationem in Synodo Pistoriensi condemnavit his verbis: « Doctrina quæ devotionem erga Cor sacratissimum rejicit inter doctrinas quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione qualis est ab apostolica Sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa. » *(Denzing., n. 1425).*

2. Festivitatem SS. Cordis concedit Clemens XIII, quam postea Pius PP. IX ad universalem Ecclesiam extendit. Fieri autem nequit ut Ecclesia, veritatis magistra et custos, devotionem erroneam aut perniciosam sua auctoritate corroboret atque confirmet.

II. **Ex consensu fidelium.** Devotio erga SS. Cor Jesu per totum orbem celeriter diffusa, inter fideles cujusvis nationis efflorescit, et quidem universaliter. Sed unanimis fidelium consensus est maximum veritatis argumentum.

III. **Ex Ratione.** 1. *Ex parte objecti sensibilis.* Objectum, quod adoratur, est cor carneum Verbo hypostatice conjunctum, seu est pars humanitatis Verbo conjunctæ. Pars autem eodem cultu atque totum adoranda est. « Proprie honor exhibetur toti rei subsistenti, *ait S. Th.* Non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo adoratur; et si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum. » *(P. 3, q. 25, a. 3).* — Ergo etiam cum SS. Cor adoratur, totum, ipsa scilicet Christi persona, adoratur.

2. *Ex parte objecti spiritualis*, quod est immensa Christi caritas, quæ omni honore et veneratione digna est.

3. *Ex parte motivorum*, quorum, ut ex dictis patet, abunde est, ut Cordi Jesu specialis exhibeatur cultus.

4. *Ex parte finis.* Introducta est devotio erga SS. Cor Jesu ad inflammandos homines amore erga Christum, ad gra-

tiarum actiones Christo exhibendas pro tot ac tantis quidem beneficiis, quibus nos cumulavit, speciatim pro institutione venerabilis Eucharistiæ Sacramenti; ad reparandas injurias, quæ Christo, præsertim in SS. Eucharistia, jugiter inferuntur; denique ad excitandos homines, ut virtutes, quæ in Corde Christi splendescunt, imitentur. Sed his finibus nihil est laudabilius.

§ 3. *De Adoratione Crucis Christi*[1].

995. — Crux Christi tripliciter considerari potest, vel quatenus est ipsum lignum, in quo Christus pependit et pro nobis mortuus est; vel quatenus est crux fabricata ex quacumque materia, tanquam figura Christi extensi in ea: vel quatenus est signum crucis, quo christiani manu se signant.

1. Si crucem *primo* et *secundo sensu* intelligamus, adoranda est *adoratione latriæ, sed cultu relativo;* cum hac tamen differentia, quod cruces fabricatæ, ut imagines crucis, unice ratione imaginis adorantur; crux vero, in qua Christus mortuus est, adoratur tum ratione imaginis, tum ratione contactus, quia Christus in ea pependit eamque sanguine suo perfudit. — Ratione contactus alia etiam passionis instrumenta, ut clavi, lancea, spinea corona, etc., cultu latriæ relativo adorantur.

Cultus crucis Christi firmissimo innititur universalis et constantis traditionis fundamento. Ait *S. Joan. Damasc.* « Venerabile lignum, in quo Christus pro nobis hostiam obtulit... jure debet adorari. » *(De fide orth. l. IV, c. 2).* — *Rusticus diaconus:* « Clavos, quibus crucifixus est (Christus), et lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adoret. » *(In lib. cont. Acephalos.).* — *S. Athan., q. 39:* « At vero Crucem a nobis fidelibus honorari, et exosculando adorari propter Christum, qui in ea pependit, manifestum est. ».

2. Si Crux *pro signo crucis*, quo christiani se signant, sumatur, etiam enixe commendanda est devotio erga crucem,

[1] Cf. Branc. a Laur., 3. *Sent.*, Disp. 29, a. 6 et 7, t. I, p. 779; S. Th., q. 25, a. 4; S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XXV, n. 41.

quia illud signum Christum in cruce extensum repræsentat. Ad usum signi crucis quod attinet, ipsum in Ecclesia esse antiquissimum, ex traditione compertum est. « Ad omnem progressum, *ait Tertull.*, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » *(Cont. Marcion. l. I, c. 21).*

Habet hoc signum maximam efficaciam ad fugandos dæmones, quatenus est quædam fidei protestatio, et oratio, qua Deum per meritum passionis Christi Domini oramus. Fit idem in fronte, ut significemus nos Christum, licet affixum cruci, non erubescere. — Adhibetur etiam hoc signum *(ait S. Basilius, De Spir. S., c. 27)* ex *traditione Apostolica*, ad consecrationem rerum, quia quando aliquid in obsequium alicujus dedicatur, signum ejus, cui dedicatur, rei dedicatæ imprimi solet: at signum Christi Domini, est signum crucis. — Item, adhibetur ad sanctificationem, quia per hoc signum crucis ita profitemur omnem sanctitatem ex merito passionis Christi Domini provenire, ut etiam postulemus rem hanc, quam signo crucis signamus, ab eo sanctificari per virtutem suæ passionis [1].

§ 4. *De Cultu Sanctorum, reliquiarum et imaginum* [2].

996. — Cultum et invocationem Sanctorum tanquam Deo injuriosum rejiciunt protestantes, qui etiam catholicos idololatriæ accusant, eo quod sanctos colant, invocent, seque ipsorum precibus commendent. Protestantes præterea Sanctorum reliquiis et imaginibus, utpote rebus inanimatis nulla veneratione dignis, nullum cultum exhibent, neque aliquem eis exhiberi posse docent.

Imagines jam antiquitus insecuti sunt *Iconoclastæ*, duce Leone Isaurico, qui anno 730 publico edicto prohibuit, ne Sanctorum imagines in templis exponerentur, neve aliquis cultus eis deferretur.

997. — **Prop. I.** *Licitum est Sanctis cultum deferre.* — Certa.

Prob. I. **Ex Scrip. S.** « In Scripturis legimus, *ait S. Alphonsus*, Abraham Angelos adorasse (Gen. XVIII, 2); et Saulem animæ Samuelis cultum exhibuisse (I Reg. XXVIII, 14). Filii prophetarum, videntes spiritum Eliæ super Eliseum requievisse, ipsum adoraverunt (IV Reg. II, 15). Deus ipse Sanctos honorat, secundum illud

[1] Cf. Isamb. In q. XXV, disp. V, a. 3. — [2] Cf. S. Alph. *Cont. Hær.*, sess. XXV, *De invoc. Sanctorum* (t. VII, p. 274).

(Joan. XII, 26): *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Si autem servos suos Deus honorat, eccur ipsos honorare nobis vetitum esse posset? » *(Loc. cit. n. 6).*

Legimus etiam (Eccli. XLIV, 1): *Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.* In his autem verbis laus commendatur non ob solam excellentiam naturalem, sed ob excellentiam etiam supernaturalem; unde Ecclesia prædicta verba sanctis suis applicat.

II. **Ex constanti Praxi Ecclesiæ,** cujus testes sunt *a)* festa ab Ecclesia in honorem Sanctorum instituta: sic in constitutionibus Apostolicis jubentur fideles diem S. Stephano dicatam celebrare; — *b)* celebratio Missæ, quæ Deo in honorem Sanctorum offertur; — *c)* zelus, quo ab initio Ecclesia Sanctorum cineres et reliquias collegit et venerata est; — *d)* templa quæ, cessante persecutione, in honorem Sanctorum exstructa sunt.

III. **Ex Traditione.** « Populus christianus, *ait S. August.*, memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat. » *(Cont. Faust. l. XX, c. 21)*, — Et *S. Joan. Damasc.:* « Honorandi sunt Sancti ut amici Christi, et filii et hæredes Dei. » *(De fide orth. l. IV, c. 16).* — Pluribus Traditionis testibus relatis, concludit *S. Alphonsus (loc. cit.):* « Tot S. Patrum testimonia nobis persuadere debent, nos non solum posse, sed etiam debere Sanctos cultu religioso venerari, cum propter eorum excellentiam supernaturalem, tum propter gratiam sanctificantem, qua in æternum sunt ornati, tum propter visionem beatificam, qua gaudent, et in æternum gaudebunt. »

998. — Scholium. *De natura cultus Sanctorum.* Cultus, qui Sanctis exhibetur, est *duliæ;* est enim propter excellentiam creatam; et est *absolutus*, quia ob excellentiam eis inhærentem exhibetur. Ille tamen cultus ita Sanctis tribuitur, ut etiam simul in Deum, auctorem ipsorum sanctitatis, referatur. « Honoramus servos, *ait S. Hieronym.*, ut honor servorum redundet in Deum. » *(Ep. 109 (alias 53) ad Riparium).* — Et *S. Ambros.:* « Quisquis honorat Martyres honorat Christum. » *(Serm. 6, de Margarit.).* — Ex quo patet, cultum, quem Sanctis tribuimus, non solum non esse Deo injuriosum, ut effutiunt protestantes, sed esse honorificum, cum et ipse in Sanctis glorificetur.

999. — Prop. II. *Sanctorum invocatio licita est et utilis.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus in Scripturis, Apostolos seipsos justorum adhuc viventium precibus commendasse (I Thess. V, 25): *Fratres, orate pro nobis.* (Rom. XV, 30): *Obsecro ergo vos fratres... ut adjuvetis me orationibus vestris pro me ad Deum;* — et alios invitasse ad orandum pro invicem (Jac. V, 16): *Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* — Deus ipse amicos Job allocutus est (Job. XLII, 8): *Ite ad servum meum Job... Job servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis*

imputetur stultitia. « Sed, *inquit S. Alphonsus,* si licitum est atque utile Sanctos adhuc viventes in adjutorium nostrum invocare, ipsosque orare ut precibus suis nos adjuvent... eccur Sanctos, qui in cœlis Deo intime fruuntur, invocare non liceret? » *(Magn. prec. adj. c. I, § 3. — Cf. hær. sess. XXV, a. 2, n. 11-28).*

II. **Ex Conciliis.** Legimus in Constantinop. III, cap. 7: « Christianus, solo Deo creatore suo adorato, invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur. » — Et in Trident. Sess. XXV: « Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse eos suppliciter invocare. »

III. **Ex Traditione.** Ait *S. Ephrem:* « Precamur, beatissimi Martyres.... ut pro nobis miseris et peccatoribus Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi. » *(S. de laud. Sanct.).* — *S. August.* ita orat: « Sancte Michael, S. Gabriel, Sancti chori Angelorum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, etc., per illum qui vos elegit, vos rogare præsumo ut pro me supplicare dignemini. » *(Medit. 40).* — Similia fere omnes S. Patres habent.

IV. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesiam Sanctos in adjutorium semper invocasse, constat ex omnibus liturgiis, etiam antiquissimis, quales sunt liturgiæ Hierosolymitana, Romana, Æthiopica, etc.

V. **Ex Ratione.** « Iste ordo, *ait S. Th.,* est divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum Sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit, ut nos qui manentes in corpore, peregrinamur a Domino, in eum per Sanctos medios reducamur; quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas suum effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos; sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis; et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent. » *(4. Sent., D. 45, q. 3, a. 2).*

1000. — Scholium. Ad eas solvendas objectiones, quæ contra Sanctorum invocationem ab hæreticis moventur, sequentia notentur[1]: 1) Orationes nostræ Sanctis certo innotescunt[2], licet de modo, quo innotescant, disputetur. Dicunt enim alii eas Sanctis innotescere in Verbo *formaliter:* alii, *causaliter.* — 2) Sancti dicuntur orationes nostras Deo offerre, non ut ei innotescant, sed ut eas exaudiri a Deo petant[3]. — 3) Utilis et necessaria est Sanctorum invocatio, non quia Dei misericordiæ aliquid desit, quod Sanctorum intercessione suppleri debeat;

[1] Ex S. Alph., *Cont. hær.,* sess. XXV, n. 19-28. — [2] Cf. S. Th., 4. *Sent.,* D. 45, q. 3, a. 1. — [3] S. Th., *loc. cit.,* a. 2, ad 4.

sed quia Deus, ad Sanctos honorandos, hunc ordinem instituit, ut per eos sua beneficia nobis elargiretur. Nulla igitur fit Deo injuria si ad Sanctos confugimus; contra, per hoc Deus glorificatur, quia ejus ordinatio impletur. — 4) Sancti in cœlis pro nobis nihil de novo merentur; sed adhuc viventes meruerunt apud Deum, ut orationes, quas pro nobis post mortem funderent, exaudirentur [1]. — 5) Sanctos invocamus non tanquam mediatores ex justitia, sed ex gratia, ut scilicet Magnum Mediatorem Christum ad nobis merita passionis suæ applicandum deprecentur.

1001. — Corollarium. *De Sanctorum Communione.*— Ex dictis intima iterum manifestatur unio, quæ inter omnia Ecclesiæ membra viget. Fideles, in terris adhuc viventes, cultu sacro fratres in cœlis regnantes venerantur eorumque auxilium implorant; defunctis in purgatorio suffragiis subveniunt; et seipsos mutuo orationibus et piis operibus adjuvant, ut omnes in paradisum exultationis perducantur.

Beati, in cœlo jam regnantes, pro fratribus in terris adhuc militantibus divinam Majestatem deprecantur, ut victoriam de hoste maligno reportent; et pro animabus in flammis expiatoriis detentis divinam clementiam invocant, ut a pœnis liberatæ, in consortium suæ beatitudinis admittantur.

Justi, in purgatorio patientes, a nobis auxilium implorant, et pro nobis etiam orant. — Et ita omnia ejusdem corporis membra ad invicem sunt sollicita, ut in unum consummata, capiti Christo jugiter conjungantur, *Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* (Ephes. IV, 16).

1002. — Prop. III. *Cultus sacrarum reliquiarum est licitus.* — Certa.

NB. Reliquiæ vocantur tam Sanctorum corpora, quam res quæ vel ipsis usui fuerunt, ut vestimenta, baculus, etc.; vel ipsorum contactu fuerunt consecratæ, ut instrumenta supplicii martyrum.

Prob. I. Ex **Script. S.** « In actibus Apostolorum legimus, *inquit S. Alphonsus,* quod ad sanandos infirmos cinctorium et sudaria S. Pauli circumferebantur. (Act. XIX, 12): *Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur...* Videmus etiam in Scripturis aquas Jordanis pallio Eliæ venerationem exhibuisse, (IV, Reg. II, 14): *Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas.... et divisæ sunt.* Atqui, si Deus voluit ut ipsa etiam sanctorum suorum vestimenta miraculis clarescerent, quanto magis vult ut a nobis ve-

[1] Cf. S. Th., *loc. cit.,* a. 3, ad 4.

nerentur ipsorum corpora, quæ ad divinam gloriam cooperata sunt!» *(Loc. cit. n. 29).*

II. **Ex Traditione.** « Eorum qui apud Deum vivunt, *ait S. Clemens Rom.*, nec Reliquiæ sine honore manent. » *(Const. Apost. l. VI, c. 29.* — Et *S. J. Chrysost.*: « Sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum complectamur, ut inde benedictionem aliquam assequamur. » *Hom. in SS. Jucentin. et Maxim. martyr.)* — Et *in Trident. Sess. XXV*, legimus: « Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva fuerunt membra Christi et templum Spiritus S., ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi... omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.»

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesiam Sanctorum reliquias maximo semper in honore habuisse, manifestant tum sollicitudo fidelium primitivæ Ecclesiæ ad martyrum ossa colligenda et conservanda, tum monumenta, quæ super eorum reliquiis extructa sunt, ut Ecclesiæ, altaria, etc., tum consuetudo super illorum sepulcris missæ sacrificium celebrandi.

IV. **Ex Ratione.** Cum in Sanctorum canonizatione Ecclesia sit infallibilis, pro certo omnino habemus, Sanctorum animas æterna beatitudine jam perfrui, ipsorumque corpora fuisse templa Spiritus Sancti, et post resurrectionem in æternum esse glorificanda. Jamvero, si res, quæ ad amicos vel parentes defunctos pertinuerunt, magna cum veneratione servantur, a fortiori cum veneratione servari et coli debent, quæ ad amicos Dei pertinuerunt, et speciatim eorum corpora, quæ tantis a Deo honoribus cumulanda esse noscimus. Laudabilis igitur et licitus est reliquiarum cultus.

1003. — Prop. IV. *Cultus sacrarum imaginum licitus est et pius. De fide,* ex Conc. Nicæno II, act. V: « Sanctorum imaginibus juxta honorem adorationem tribuimus... Venerandas imagines salutamus. Qui aliter sentiunt, anathema... Nos venerandas imagines suscipimus. Non ita affectos anathemate devovemus. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Etsi in Vet. Test., ob nimiam Judæorum proclivitatem ad idola, prohibita fuissent imagines earumque cultus, (Deut. V, 8, 9); duo tamen Cherubim, jubente Deo, ad arcæ latera positi sunt, et in eremo elevatus est serpens æneus, ad cujus aspectum Hebræi a morsibus serpentum liberati sunt. Serpens autem æneus figura erat Christi.

II. **Ex Traditione.** Legimus *in Nicæno, act. VI:* « Usque adeo venerandarum Imaginum demonstratio in Ecclesia obtinuit, ut ab eo tempore quo Evangelium prædicari cœptum est, ad hæc usque tem-

pora receptæ fuerint.» Et *S. Basilius* ait: « Figuras imaginum illorum (Apostolorum et Martyrum) honoro et palam adoro; hoc enim traditum est a S. Apostolis, nec est prohibendum; imo, in omnibus ecclesiis nostris eorum figuras depingimus.» *(Ep. 360, alias 205, ad Julian. apost.)*.

III. **Ex Ratione.** Apud omnes gentes excultas regis et virorum illustrium imagines cultu quodam honorantur, non quia ipsæ veneratione dignæ sint, sed quia in eis honor prototypo tribuatur. Porro Christus Dominus, B. V. Maria et alii Sancti sunt sacro cultu digni. Ergo et in suis imaginibus cultu sacro honorari possunt.

1004. — Scholium. *De natura cultus S. reliquiis et imaginibus exhibiti.* — Cultus, qui S. reliquiis et imaginibus tribuitur, est ejusdem naturæ, atque cultus, qui ipsi personæ, cujus sunt reliquiæ aut imagines, exhibetur; sed est cultus relativus, non absolutus. Tota enim ratio reliquias aut imagines venerandi, est excellentia illius, cujus sunt reliquiæ aut imagines; unde et honor, qui eis tribuitur, in personam transit, quæ in reliquiis et imaginibus colitur. « Mandat sancta Synodus *(Trident. Sess. XXV)*, ... imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis aliquid sit petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.» *(Cf. S. Alph., loc. cit., n. 35 et seq.)*.

PARS II.

DE OPERE REDEMPTIONIS.

1005. — In prima parte tractatus vidimus, quid sit ineffabile Incarnationis Mysterium; quæ et qualis sit veneranda Salvatoris persona: quæ sint ejus munia et excellentia, et quodnam sit opus, ad quod consummandum venit in mundum, liberatio scilicet generis humani per effusionem pretiosissimi sui sanguinis.

Ordo dicendorum nunc jam expostulat ut videamus, quomodo Christus Salvator opus nostræ liberationis per passionem suam consummaverit.

In hac secunda parte agemus: I. de passione in genere; II. de causa passionis: III. de diversis modis, quibus Christus per passionem suam nos liberavit; IV. de effectibus passionis.

CAPUT I.

DE PASSIONE CHRISTI IN GENERE [1].

1006. — Prop. I. *Ad salutem humani generis passio Christi non fuit absolute necessaria, sed secundum quid: fuit autem omni ex parte convenientissima.* — Certa.

Prob. I. Pars: *Non fuit absolute necessaria.* 1. In prima parte *(n. 858)* jam notatum est, Incarnationem non fuisse absolute necessariam ad subveniendum ruinæ generis humani: non enim alius Deo defuisset modus ad nostram salutem procurandam. — Quo in casu, homo liberatus, non autem redemptus, dicendus fuisset.

[1] Cf. S. Th. P. 3, q. 46; Contenson, l. X, Diss. IV.

2. Posita etiam Incarnatione, passio Christi non fuit absolute necessaria. « Potuisset Redemptor noster, *inquit S. Alphonsus*, absque passione nos e manibus inimicorum nostrorum eripere.... Ad redimendum mundum, imo mundos infinitos, sufficiebat ut Deo unicam guttam sanguinis, unicam lacrymam offerret. *Quælibet passio Christi*, ait Angelicus, (*Quodl.* II, a. 2), *suffecisset ad redemptionem, propter infinitam dignitatem personæ....* « Sane, *addit S. J. Chrysostomus*, ad hominis redemptionem sufficiebat qualecumque Verbi Incarnati opus; sed non sufficiebat amori, quo erga homines erat inflammatum: *Quod sufficiebat Redemptioni, non sufficiebat amori.* » *(Disc. VII pro Nat.).*

Prob. II. Pars: *fuit necessaria secundum quid.* Deus ab æterno præordinavit, ut hominem perditum non alio modo, quam per passionem Filii sui, erigeret. Quod autem Deus præordinavit, hoc evenire necessarium est. Licet igitur, absolute loquendo, alio modo homo liberari potuisset, posito tamen Dei decreto, per solam Christi passionem et mortem liberari potuit. Unde ait ipse Christus (Luc. XXIV, 46): *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati:* et (Luc. XX, 22): *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit.*

Prob. III. Pars: *fuit convenientissima.* « Sanandæ nostræ miseriæ, *ait S. August.*, convenientior modus alius non fuit quam per Christi passionem. » *(De Trinit., l. XIII, c. 10).* — Et *S. Thomas:* « Tanto aliquis modus, *inquit*, convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt quæ sunt expedientia fini. Per hoc autem quod homo per Christi passionem est liberatus multa concurrunt ad salutem hominis pertinentia præter liberationem a peccato.

« Primo enim, per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem diligat, et per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ salutis consistit: unde Apostolus dicit (Rom. V, 8): *Commendat suam caritatem Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

« Secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, constantiæ, justitiæ, et cæterarum virtutum

in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessariæ ad humanam salutem....

« Tertio, quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam justificantem et gloriam beatitudinis ei promeruit.

« Quarto, quia per hoc est homini inducta major necessitas se immunem a peccato conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato, secundum illud (I Cor. VI, 20): *Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro* ». *(Q. 46, a. 3).*

1007. — **Prop. II.** *Conveniens fuit Christum pati in cruce.*

Prob. De Christo legimus (Phil. II, 8): *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Convenientissimum fuisse Chsistum pati in cruce, pluribus rationibus illustrat *S. Thomas, (q. 46, a. 4).*

1. Propter exemplum virtutis, ut scilicet homines nullum mortis genus timerent, cum inter omnia genera mortis nullum sit supplicio crucis exsecrabilius et formidabilius.

2. Hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, qui peccavit sumendo pomum ligni vetiti. Et ideo Christus passus est se ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat, secundum illud (Ps. LXVIII, 5): *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.*

3. Ut in ligno exaltatus ipsius aeris naturam mundaret et sanctificaret Christus, qui terram sanctificaverat ambulando in ea, eamque sanguine suo irrigando.

4. Per hoc quod Christus in alto moritur, ascensum nobis parat in cœlum, ut ipse dixit (Joan. XII, 32): *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

5. Hoc competit universali salvationi totius mundi; quia figura crucis in quatuor extrema partita significat virtutem et providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique diffusam. — Præterea, ut *ait S. Chrysost.:* « expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt, trahat. »

6. Hoc genere mortis diversæ virtutes designantur: latitudo crucis bona opera designat, ad quæ extenduntur manus; longitudo, perseverantiam et longanimitatem; altitudo, supernorum expectationem; lignum in terram defixum, profunditatem gratuitæ gratiæ. Et ita, ut *ait S. Aug.*, « lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis. » *(Sup. Joan., tr. 119).*

7. Lignum crucis multis respondet figuris, ut virgæ Moysis, etc.

1008. — Prop. III. *Passio Christi fuit generalissima.*

Passio Christi dicitur fuisse generalissima, non quia Christus omnium passionum et dolorum species sustinuit: sunt enim quædam passiones, quæ sibi invicem contrariantur, ut combustio in igne, et submersio in aqua; sed quia secundum genus omnem dolorem, qui ab extrinseco alicui inferri potest, sustinuit; quod, *ut ait S. Th., q. 46, a. 5*, ex triplice ratione manifestum est:

1. *Ex parte hominum, a quibus Christus passus est:* Passus est enim a Judæis et gentilibus: a masculis et feminis, ut patet de ancillis Petrum accusantibus: a principibus et eorum ministris, et a popularibus; a familiaribus et notis, ut a Juda cum prodente et a Petro negante.

2. *Ex parte eorum, in quibus homo pati potest:* passus est Christus in amicis cum deserentibus; in fama per blasphemias; in honore et gloria per irrisiones et contumelias; in rebus, quia fuit spoliatus vestibus; in animam per tristitiam et tædium; in corpore per vulnera et flagella.

3. *Quantum ad corporis membra:* Passus est Christus in capite, manibus, pedibus, facie, et toto corpore. Passus est secundum omnem sensum: secundum tactum per flagella; secundum gustum, felle et aceto potatus; secundum olfactum, in loco fœtido appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et irridendium; secundum visum, videns matrem et discipulum, quem diligebat, flentes[1].

[1] Cf. S. Alph., *Horol. pass.*, c. XIII, (t. 5, p. 115).

1009. — Prop. IV. *Dolor Christi tam exterior, qui causatur ex corporali nocivo, quam interior, qui causatur ex nocumentorum apprehensione, maximus fuit inter dolores præsentis vitæ.*

Prob. Legimus (Thren. I, 2): *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

Magnitudo dolorum Christi, secundum *S. Th. (q. 46, a. 6)*, ex quatuor mensurari potest:

1. *Ex causis doloris.* — *Doloris sensibilis* causa fuit læsio corporalis, quæ in Christo summam habuit acerbitatem, tum ex passionum generalitate, tum ex genere passionis, quia mors crucifixorum est omnium acerbissima. — *Doloris interioris* causæ fuerunt omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat, casus Judæorum et aliorum in ejus morte delinquentium, scandalum discipulorum, necnon et amissio propriæ vitæ, quæ naturaliter est horribilis [1].

2. *Ex doloris perceptibilitate.* — Christus secundum corpus erat optimæ complexionis, cum corpus ejus Spiritus Sancti operatione miraculose formatum fuerit ad patiendum; et ideo, in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor [2]. Anima etiam secundum vires interiores efficacissime omnes tristitiæ causas apprehendit.

3. *Ex doloris et tristitiæ puritate.* — In aliis patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor exterior, ex aliqua consideratione rationis, per quamdam redundantiam a superioribus viribus ad inferiores; quod in Christo patiente non fuit « quia unicuique virium permisit agere quod est ei proprium [3]. »

4. *Ex fine,* propter quem Christus dolorem assumpsit, qui est liberatio hominum a peccato; et ideo tantam doloris quantitatem assumpsit, quæ et proportionata esset magnitudini fructus qui inde sequebatur, et secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem sufficeret.

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, c. VI. — [2] S. Alph., *loc. cit.*, c. XII. — [3] S. Joan. Damasc., *De fide orth.*, l. III, c. 15.

1010. — Prop. V. *In passione anima Christi gaudio beatifico fruebatur.* — Est communis theologorum sententia, cui contradicit Soto.

Prob. « In Christo, *ait S. Th.*, duo prædicta, scilicet gaudium fruitionis et dolor corporalis passionis, se nullatenus impedierunt. » Ratio: quia ex speciali Dei ordinatione naturalis redundantia superioris partis animæ in inferiorem, et inferioris in superiorem, locum non habuit.

« Sic ergo patet, *addit S. Doctor*, quod, cum in ratione superiori esset summum gaudium, in quantum per ejus operationem anima Deo fruebatur, ipsum gaudium in superiori ratione persistebat, et non derivabatur ad inferiores vires animæ, nec ad corpus: alias nullus dolor nec passio in eo esse potuisset. Et sic effectus fruitionis non pervenit ad essentiam animæ in quantum est forma corporis, nec in quantum est radix inferiorum virium... Similiter dolor, qui erat ex læsione corporis in ipso corpore et in essentia animæ secundum quod est forma corporis in inferioribus viribus, non poterat pervenire ad superiorem rationem, secundum quod per actum suum in Deum convertitur, ut per hoc ipsa conversio aliqualiter impediretur:... et sic erat et purum gaudium et purus dolor: et sic utrumque in summo. » *(De Verit., q. 26, a. 10. — Cf. P. 3, q. 46, a. 7 et 8).*

1011. — Prop. VI. *Mors Christi fuit ad nostram liberationem convenientissima.*

De fide, ex aperto Scripturæ testimonio. (Joan. XI, 50): *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat*, quæ verba, teste Evangelista, Caiphas prophetice dixit.

Prob. Conveniens fuisse Christum mori pro nostra liberatione, quinque rationibus ostendit Doctor Angelicus, *(q. 50, a. 1):* 1. *Ad satisfaciendum pro humano genere*, quod erat morti adjudicatum. Est autem conveniens satisfaciendi pro alio modus, cum aliquis se subjicit pœnæ, quam alius meruit. — 2. *Ad ostendendum veritatem naturæ assumptæ:* si aliter quam per mortem Christus sublatus esset, phantasma fuisse crederetur. — 3. *Ut moriendo, nos a timore mortis liberaret;* (Hebr. II, 14): Communicavit carni et sanguini, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam ob-*

mortui erant servituti. — 4. Ut corporaliter moriendo similitudini peccati, id est, poenalitati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato. (Rom. VI, 10 et 11): *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.* — 5. Ut a mortuis resurgendo, et virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi a mortuis daret. (I Corinth. XV, 12).

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

Unius ejusdemque effectus plures diversi generis possunt esse causæ: alia est enim causa, quæ in effectum directe influit: et alia, quæ indirecte tantum effectum attingit: et alia etiam, quæ effectum ordinat.

1012. — Prop. I. *Causa efficiens proxima et directa passionis et mortis Christi, fuerunt ejus persecutores.*

Prob. Legimus (Luc. XVIII, 33): *Postquam flagellaverint, occident eum.* — (Act. III, 15): *Auctorem vero vitæ interfecistis.* — « Aliquid, *ait S. Th.*, potest esse causa alicujus effectus dupliciter: uno modo directe ad illud quod fit agendo: et hoc modo persecutores Christi cum occiderunt, quia sufficientem causam mortis ei intulerunt, cum intentione occidendi ipsum, et effectu subsequente, quia scilicet ex illa causa est mors subsecuta. » *(Q. 47, a. 1).*

1013. — Scholium. *De Christi tortoribus.* — Ad Christi passionem, tanquam causæ directæ, concurrerunt Judæi simul et gentiles, secundum illud (Matth. XX, 19): *Tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.* — Et quidem convenienter, quia, *ut ait S. Th.* « In ipso modo passionis Christi præfiguratus est effectus ipsius: primo enim passio Christi effectum salutis habuit in Judæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt. Secundo vero, Judæis

prædicantibus, effectus passionis Christi transivit ad gentes. Et ideo conveniens fuit ut Christus a Judæis pati inciperet, et postea Judæis tradentibus, per manus gentilium ejus passio finiretur. » *(Q. 47, a. 4).*

1014. — **Prop. II.** *Causa indirecta suæ passionis et mortis fuit ipse Christus.*

Prob. (Ephes. V, 2): *Tradidit semetipsum pro nobis.* — (Joan. X, 18): *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso.* — « Alio modo, *ait S. Th.*, dicitur aliquis causa alicujus indirecte, scilicet quia non impedit, cum impedire possit:... et hoc modo ipse Christus fuit causa suæ passionis et mortis, poterat enim suam passionem et mortem impedire » *(q. 47, a. 1);* sed propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, noluit passionem impedire, ut nos in suo sanguine redimeret; et propter hoc dicitur animam suam posuisse, et voluntarie mortuus esse (*cf. n. 947*).

1015. — **Prop. III.** *Ipse Deus Pater Christum passioni et morti tradidit.*

Prob. Legimus (Rom. VIII, 32): *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

« Secundum tria, *ait S. Th.*, Deus Pater tradidit Christum passioni: uno quidem modo secundum quod sua æterna voluntate præordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem, secundum illud (Isaiæ LIII, 6): *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum;* et iterum: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* — Secundo, in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei caritatem... Tertio, non protegendo eum a passione, sed exponendo persecutoribus: unde et legitur (Matth. XXVII, 46) quod pendens in cruce Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* » *(Q. 47, a. 3).*

1016. — **Prop. IV.** *Christus ex obedientia mortuus est.*

Prob. Legimus (Phil. II, 8): *Factus est obediens usque ad mortem.*

« Convenientissimum fuit, *ait S. Th.*, quod Christus ex obedientia pateretur. Primo quidem quia hoc conveniebat justi-

ficationi humanæ, ut *sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituantur multi.* (Rom. V, 19).

« Secundo, hoc conveniens fuit reconciliationi Dei ad homines: unde dicitur (Rom. V, 10): *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo.... Obedientia vero omnibus sacrificiis antefertur.... Et ideo conveniens fuit, ut sacrificium passionis et mortis Christi ex obedientia procederet.

« Tertio, hoc conveniens fuit ejus victoriæ, qua de morte et auctore mortis triumphavit: non enim miles potest vincere, nisi duci obediat. Et ita homo Christus victoriam obtinuit per hoc quod Deo fuit obediens. » *(Q. 47, a. 2).*

1017. — Scholium. *De conciliatione libertatis Christi cum præcepto moriendi.*

Scimus ex Scripturis, et Christum seipsum libere morti tradidisse: (Is. LIII, 7): *Oblatus est quia ipse voluit;* et tamen ex vera et proprie dicta obedientia mortuum esse, (Joan. XIV, 31): *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et (Joan. X, 18): *Ego pono eam* (animam) *a me ipso;... hoc mandatum accepi a Patre meo.*

Conciliatio libertatis Christi cum præcepto moriendi, altum est mysterium, cujus solutio in hac vita abscondita manet.

Ad hæc duo inter se concilianda, diversi diversas excogitaverunt sententias. — Alii dicunt, Christum non accepisse mandatum strictum ac obligans, sed tantum latum, ac dirigens. — Alii docent, Christum accepisse mandatum strictum quoad substantiam, sed non quoad circumstantias, in quibus eligendis fuit omnino liber. — Alii agnoscunt mandatum verum tum quoad substantiam, tum quoad circumstantias; sed conditionatum, dependens scilicet a libera Christi acceptatione. — Alii existimant, ad Christi libertatem salvandam satis esse ut liber fuerit in sensu diviso, licet in sensu composito liber non fuerit.

Sed cum in hisce sententiis non satis apparet quomodo salvetur vel vera et perfecta Christi obedientia, vel vera et perfecta ejus libertas, ideo alii, cum de Lugo, de Rhodes, Mauro, Carleton, etc., aliam ineunt viam ad Christi libertatem cum vero mandato moriendi conciliandam. Docent nimirum: Christum a Deo Patre accepisse verum et strictum mandatum, non solum quoad substantiam mortis, sed etiam quoad omnes ejus circumstantias, et ita factum esse obedientem *usque ad mortem, mortem autem crucis,* ut ait Apostolus (Phil. II, 8); sed potuisse a Patre suo dispensationem ab illo præcepto petere; quam si petivisset, obtinuisset, juxta illud (Matth. XXVI, 53): *An putas*

quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. Christus autem, non petens illam dispensationem, libere mortem elegit, et sic *oblatus est quia ipse voluit.*

CAPUT III.

DE MODO EFFICIENDI PASSIONIS CHRISTI.

1018. — Passio Christi Domini salutem nostram pluribus modis operata est, *ut docet S. Thomas, q. 48,* scilicet: per modum sacrificii, per modum efficientiæ, per modum redemptionis, per modum satisfactionis, et per modum meriti.

Ad nostram liberationem per modum sacrificii quod attinet, supra jam satis dictum est, dum de sacerdotio Christi egimus; ubi probavimus Christum Deo Patri ad nostram salutem verum obtulisse sacrificium, cujus ipse fuit sacerdos simul et hostia Deo acceptissima *(n. 944 et seq.).* — De efficientia etiam actionum et passionum Christi satis est actum *(n. 931).*

Restat igitur ut quædam addantur de efficientia per modum satisfactionis, per modum redemptionis, et per modum meriti.

ARTICULUS I.

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

1019. — Satisfactio, ex supra dictis *(n. 857)* definitur: *Injuriæ illatæ ad quamdam justitiæ æqualitatem compensatio.* (Polm.). — Satisfactio *concrete* sumpta, est actio vel passio ad honorem læsum resarciendum voluntarie suscepta; satisfactio *in abstracto* sumpta, est valor operis honorificantis in ordine ad honorem reparandum.

1020. — **Prop. I.** *Passio Christi liberavit nos per modum satisfactionis.*

Prob. Homo per peccatum duplex incurrit reatum, culpæ scilicet et pœnæ. Reatus culpæ est *obligatio reparandæ injuriæ Deo per peccatum illatæ.* (Polm.). — Reatus pœnæ est *obligatio subeundæ punitionis peccatis promeritæ.* Atqui pro

utroque reatu Christus in passione sua Deo vice nostra satisfecit, secundum illud (Ps. LXVIII, 5): *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Ergo Christus liberavit nos per modum satisfactionis.

Prob. min. « Ille proprie satisfacit pro offensa, *ait S. Th.*, qui exhibet offenso id quod æque vel magis diligit quam oderit offensam. Christus autem ex caritate et obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis: *primo* quidem propter magnitudinem caritatis, ex qua patiebatur; *secundo*, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei et hominis; *tertio*, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris. » *(Q. 48, a. 2).*

« Quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ generis humani, ejus passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione. » *(Q. 48, a. 6).*

1021. — Prop. II. *Christi satisfactio fuit ex rigore justitiæ.*

Prob. I. **Ex Script. S.** (Rom. V, 15): *Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis, Jesu Christi, in plures abundavit... Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Sed gratia non superabundaret ubi abundaverat delictum, nisi satisfactio Christi fuisset condigna et ex rigore justitiæ.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Chrysost.:* « Multo plura quam debeamus, Christus pro nobis exsolvit, tantoque plura, quanto aquam exiguam pelagus excedit immensum. » *(Hom. 10, in Ep. ad Rom.)* — *S. Basilius:* « Per mirabiles naturæ nostræ primitias (i. e. per Christum) omnem justitiæ rationem expletam fuisse. » *(Or. I de Incarn.)*

III. **Ex Ratione.** In Christi satisfactione omnes inveniuntur conditiones, quæ ad rigorosam justitiam requiruntur. Ipsius igitur satisfactio fuit ex rigore justitiæ [1].

[1] Cf. Bill., Diss. XIX, a. 7; Gibbon, Tr. I, Disp. III, dub. 2. (T. V, p. 54); Domin. Perez, *De Incarn.*, Tr. I, q. III, dub. 4. (p. 178).

Conditiones ad rigorosam satisfactionem secundum leges strictæ justitiæ, ad sequentes reduci possunt:

1. *Satisfactio debet esse ad alterum;* satisfactio enim est actus justitiæ; stricta autem justitia est ad alterum.

2. *Debet esse ex bonis propriis satisfacientis,* et non ex bonis ipsius offensi, vel alterius. Qui enim alicujus rei dominium non habet, non potest illud in creditorem transferre ad illi satisfaciendum, sicut, v. gr., ex pecunia, quæ est creditoris vel alterius, nullus debita sua solvere potest.

3. *Debet esse ex bonis alio titulo justitiæ non debitis.* Illusorium enim foret, v. gr., solvere debitum per exhibitionem laboris, qui aliunde jam ex justitia debetur. Si vero bonum alio titulo debetur ac titulo justitiæ, v. g., titulo amicitiæ, ex eo fieri potest satisfactio.

4. *Non debet fundari in gratia a creditore facta;* ea enim solutio non est rigorosa, quæ favore aut gratia creditoris indiget, ita ut gratia misceatur solutioni. Id est, quod offertur in satisfactionem non debet ex favore creditoris gratiose procedere in totum vel partim; alioquin satisfactio foret remissio, non vero solutio. Sed nihil prohibet quominus gratia a creditore facta sit in causa cur debitor aliquid sibi acquirat, quod in solutionem offerre possit: quo in casu gratia non miscetur solutioni, sed eam omnino antecedit.

5. *Debet esse talis ut creditor ad acceptationem obligetur;* ita ut si acceptare nolit, maneat tamen extinctum debitum. Et hoc fit duplici in casu: *a)* Quando redditur ipsa res, quæ fuit ablata: *b)* quando redditur æquivalens, accedente pacto vel promissione ex parte creditoris ad acceptandum.

Porro istæ conditiones in satisfactione Christi verificantur:

1. *Fuit ad alterum.* Christus ut *Homo* obtulit Deo Patri, et sibi Verbo, et Spiritui S., actiones suas humanas in recompensationem injuriæ divinitati per peccatum irrogatæ, et in solutionem pœnæ ab hominibus pro peccatis promeritæ. « Quoniam idem est filius Dei, ad honorem suum seipsum sibi sicut Patri et Spiritui Sancto obtulit, id est humanitatem suam divinitati suæ. » *S. Ansel. (Cur Deus Homo, l. II, c. 19).*

2. *Fuit ex bonis propriis Christi.* Licet Deus in actiones Christi, sicut in omnia creata, dominium generale haberet, Christus tamen in easdem dominium particulare habuit; dominium enim generale dominium particulare non tollit, sicut nec causa prima tollit causam secundam. Sed ad rigorem justitiæ sufficit, ut satisfactio fiat ex bonis contentis sub dominio particulari debitoris, licet sint sub dominio generali creditoris: sicut, v. gr., patet in cive, qui reipublicæ rem furto ablatam stricte et rigorose restituit, seu compensat ex bonis propriis, licet respublica in ea dominium generale habeat.

3. *Est ex bonis alio titulo justitiæ non debitis.* Christus opera, quæ Deo exhibuit, ei quidem titulo religionis, obedientiæ, conservationis, jam debebat, non autem titulo justitiæ strictæ, quæ in restitutione ablati consistit; quippe quum Christus Dei honorem nullatenus læserit.

Imo, si istas suas operationes Deo alio titulo justitiæ debuisset, eas nihilominus Deo in rigorosam satisfactionem offerre potuisset, cum hæc conditio de sola satisfactione cujus valor est finitus, non vero de satisfactione cujus valor est infinitus et inexhaustus, intelligatur.

4. *Non fundatur in gratia a creditore facta.* Satisfactio Christi fundatur quidem in gratia unionis; sed hæc tamen gratia non fuit illud bonum, quod Christus Deo in satisfactionem obtulit. Sed obtulit actus liberos subsequentes, qui propter gratiam unionis, valorem satisfactorium secundum rigorosam justitiam continebant.

5. *Deus tenetur Christi satisfactionem acceptare. a)* Christus Deo Patri rem æquivalentem obtulit: « Christus ex caritate et obedientia patiendo, *ait S. Th.*, majus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis. » *(Q. 48, a. 2).* — *b)* Intervenit pactum mutuum Christum inter et Deum. Per hoc enim quod Christus Caput totius generis humani constitutus est, ex sua parte ad exsolvendum Deo debitam satisfactionem sese adstrinxit; et Deus Pater, ex altera parte, ad acceptandam solutionem, quam Christus Caput pro corpore suo sibi offerret, sese etiam obligaverat, ut supra jam dictum est. *(Cf. n. 963).*

ARTICULUS II.

DE NOSTRA LIBERATIONE PER MODUM REDEMPTIONIS.

Redimere aliquem, est eum a servitute vel captivitate liberare, solvendo justum liberationis pretium.

1022. — Prop. *Christus liberavit nos per modum Redemptionis.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Corinth. VI, 20): *Empti estis pretio magno.* — (I Petr. I, 18): *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redemptis estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* — (Galat. III, 18): *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* « Dicitur autem pro nobis factus maledictum, *ait S. Th.*, in quantum pro nobis passus est in ligno. Ergo per passionem suam nos redemit. » *(Q. 48, a. 4).*

II. **Ex Ratione.** « Per peccatum, *ait S. Th., (loc. cit.)*, dupliciter homo obligatus erat: primo quidem servitute peccati, quia *qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. VIII, 34)... Quia igitur diabolus hominem superaverat, inducendo eum ad peccandum, homo servituti diaboli addictus erat.

« Secundo, quantum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundum Dei justitiam; et hoc etiam est servitus quædam; ad servitutem enim pertinet quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso ut vult.

« Quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ generis humani, ejus passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione... Et ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio. »

1023. — Scholium. *De hominis servitute et solutione pretii.*

Primus homo per unionem caritatis ad Deum, ejus servus et amicus erat constitutus: in qua servitute filiorum Dei vera libertas consistit; nam servire Deo regnare est.

Ab hac servitute homo per peccatum recessit, et Deus propter offensam in se commissam juste permisit ut servitutem diaboli, a quo victus fuerat, incurreret, secundum illud (II Petr. II, 19): *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* — Per suam prævaricationem incurrit etiam homo obligationem solvendi pœnam, principaliter Deo sicut summo judici, diabolo sicut tortori. « Quamvis igitur diabolus injuste, quantum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum sub servitute teneret et quantum ad culpam, et quantum ad pœnam, justum tamen erat hoc hominem pati, Deo permittente hoc quantum ad culpam, et ordinante quantum ad pœnam. » *(Q. 48, a. 4, ad 2).*

Ut igitur homo, a captivate diaboli liberatus, in servum et amicum a Deo per unionem caritatis iterum reciperetur, et a pœna peccato promerita liberaretur, pretium erat solvendum, non quidem diabolo, qui hominem injuste detinebat, sed Deo, a quo homo injuste recesserat, eum offendendo.

Sicut, v. gr., si rex ab amico ex hostium instigatione offensus, eum iisdem hostibus traderet in carcere custodiendum et suppliciis afficiendum, et aliquis tanquam mediator eum regi reconciliare vellet, pretium liberationis non hostibus custodibus et tortoribus, sed ipsi regi foret solvendum. Igitur « quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum: non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo. Et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium nostræ redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo. » *(Q. 48, a. 4, ad 3).*

ARTICULUS III.

DE MERITO CHRISTI.

1024. — Meritum *in concreto* est: *Opus bonum in obsequium Dei factum, ex se potens movere Deum ad doni supernaturalis retributionem.* — *In abstracto,* meritum est *valor operis in ordine ad præmium.*

Meritum differt a satisfactione. « Alia est ratio meriti, *ait Billuart,* alia satisfactionis. Meritum respicit præmium obtinendum a præmiante adeoque bonum merentis, aut alterius cui meretur. Satisfactio respicit jus alienum læsum resarciendum, adeoque bonum offensi, non satisfacientis. Hinc dicimur nobis mereri a Deo, Deo autem satisfacere pro injuriis ipsi a nobis illatis. » *(Diss. XIX, a. 5).*

Christum potuisse mereri, *de fide* est, ex Trident. Sess. VI, cap. 7, in quo Christus dicitur *causa meritoria nostræ justificationis.* — Idem evincitur ratione; in operibus enim Christi Domini omnes conditiones ad meritum requisitæ reperiuntur: 1. Opera Christi erant libera; Christus enim habuit liberum arbitrium. — 2. Actus liberi Christi erant boni ex objecto et circumstantiis, (Joan. VIII, 29): *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* — 3. Procedebant ab humanitate Deo maxime grata, et sancta cum per gratiam unionis tum per gratiam habitualem. — 4. Ordinabantur in Dei gloriam virtute caritatis. — 5. Erant viatoris. — 6. Intercessit pactum ex parte Dei promittentis præmium, et ex parte Christi ordinantis sua opera ad præmium consequendum.

1025. — **Prop.** *Passio Christi Domini liberavit nos per modum meriti.*

De fide, ex Trident. Sess. VI, cap. 7, in quo legimus: « Sua sanctissima passione in ligno crucis, nobis justificationem meruit, et pro nobis satisfecit. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Hebr. V, 9): *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ:* sed hæc verba *factus est causa salutis* verum indicant meritum.

II. **Ex Ratione.** « Christus, *ait S. Th.,* pro nobis satisfecit, (I Joan. II, 2): *Iste est propitiatio pro peccatis nostris.* Sed satisfactio sine merito esse non potest. Ergo Christus nobis meruit. » *(De Verit., q. 29, a. 7).* — Et: « Christo data est gratia non solum sicut singulari personæ, sed in quantum est caput Ecclesiæ, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra; et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem quod quicumque in gratia constitutus propter justitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem. Unde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem. » *(Q. 48, a. 1; cf. q. 19, a. 4).*

1026. — Scholium. *De valore operum Christi meritorio et satisfactorio*[1].

Scotus[2] et Durandus[3] docent, opera Christi non ex sese, sed ex sola externa Dei acceptatione, habuisse condignitatem et valorem infinitum tam ad merendum quam ad satisfaciendum.

Dicendum est tamen cum communi Doctorum sententia, opera Christi ex sese et ex natura sua, propter infinitam dignitatem personæ Christi, habuisse et condignitatem ad satisfaciendum pro peccatis totius generis humani, et valorem infinitum ad bona quælibet supernaturalia merendum.

Quæ sententia probatur: 1. *Ex declaratione Clementis VI*, in Extravag. *Unigenitus*, de Pœnit., ubi loquens de thesauro Ecclesiæ, ait: « De cujus consumptione, seu diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita... Ideo potuisse Christum genus humanum perfecte redimere, quia erat Deus et Homo. » Et statim subjungit: « Unam guttam sanguinis Christi propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisse. » Quibus in verbis manifeste asseritur, valorem infinitum operum Christi, non ex extrinseca Dei acceptatione, sed ex unione ad Verbum desumi.

2. *Ex dictis S. Patrum.* Affirmant S. Patres, nullius puri hominis satisfactionem potuisse esse condignam ad genus humanum redimendum. « Qua enim ratione, *ait S. Irenæus*, filiorum adoptionis participes esse possemus, nisi per Filium Dei. » *(Adv. hær., l. III).* — Et *S. Fulgentius:* « Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei. » *(De Inc., c. 4).*

Jamvero, si externa Dei acceptatio esset sufficiens ratio, ex qua Christi opera haberent condignitatem, vel ad satisfaciendum pro peccatis nostris ex rigore justitiæ, vel ad dona

[1] Cf. Isamb. In q. I, Disp. V, a. 6 et 7, p. 24; Gibbon, Tr. I, Disp. III, dub. 1, § 1 (T. 5, p. 43); Bill., Diss. XIX, a. 5; Domin. Perez. *De Inc.*, Tr. I, q. III, dub. 3, p. 154. — [2] 3. *Sent.*, D. 19. — [3] 3. *Sent.*, D. 19 et 20.

supernaturalia nobis ex rigore justitiæ promerendum, tunc puri hominis satisfactio potuisset esse condigna ad genus humanum redimendum. Deus quippe, sicut Christi opera, ita et puri hominis opera in redemptionem generis humani acceptare, eisque ea acceptatione eumdem valorem ac Christi operibus tribuere potuisset.

Igitur, juxta Patrum sententiam, opera Christi non ex sola Dei acceptatione, sed ex sese et ab intrinseco, condignitatem et valorem infinitum habuerunt.

3. *Ex Ratione.* Actionis valor satisfactorius vel meritorius ex dignitate personæ operantis desumitur. Atqui persona Christi, quæ fuit *principium quod* omnium ejus operationum, est infinite digna et infinite sancta. Ergo ejus opera, ratione personæ, ex sese et ab intrinseco habuerunt valorem infinitum tum ad merendum tum ad satisfaciendum.

Qua de causa docet *S. Th. (Quodl. 2., q. 2, a. 2),* quamlibet Christi actionem independenter a Dei ordinatione fuisse, secundum quantitatem pretii, sufficientem ad universum genus humanum redimendum. Et *S. Alphonsus* ait: « Dolores et operationes Christi secundum naturam humanam consecuta sunt valorem infinitum ex persona Verbi, quæ hanc humanitatem sustentabat. » *(Hist. hær., Confut. IX, n. 9).*

1027. — Quæritur I. *Utrum Christus sibi aliquid mereri potuerit.*
Resp. Affirmative; secundum illud (Phil. II, 8): *Factus est obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.* In quibus manifeste ostenditur Christo concessam esse exaltationem propter humilitatem passionis.

« Habere aliquod donum per se, *ait S. Th.,* est nobilius quam habere illud per aliud... Sed ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum. Unde nobilius habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito.

» Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent: nisi sit tale quid, cujus carentia magis dignitati Christi et perfectioni præjudicet quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec Divinitatem meruit: quia cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oporteret quod Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel si quid aliud hujusmodi est, minus est quam dignitas merendi, quæ

pertinet ad virtutem caritatis. Et ideo dicendum est quod Christus gloriam corporis, et ea quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, sicut est ascensio, veneratio et alia hujusmodi, habuit per meritum. Et sic patet quod aliquid sibi mereri potuit.» *(Q. 19, a. 3).*

1028. — Quæritur II. *Quonam tempore Christus meruit.*

Resp. Christus in primo instanti conceptionis suæ mereri et satisfacere incœpit, secundum illud (Hebr. X, 5-7): *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me: Ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quæ verba, secundum Patres, indicant Christum in primo instanti mortem acceptasse, et corpus suum pro mundi redemptione obtulisse; subjungit enim statim Apostolus (v. 10): *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.*

Christus suum meritum a primo instanti usque ad ultimum vitæ momentum sine interruptione continuavit, renovando pro singulis momentis illum actum caritatis, ut communiter docent theologi.

Post mortem vero suam nihil amplius meretur Christus, quia ad meritum requiritur status viæ. Unde dixit ipse Christus (Joan. IX, 4): *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Nomine autem diei Christus tempus vitæ suæ aperte significavit.

1029. — Quæritur III. *Quibusnam actibus Christus meruit.*

Resp. Cum ad meritum quædam requirantur conditiones, scilicet ut actiones sint honestæ, liberæ, factæ a viatore justo, Deo acceptæ; Christus per eas meruit actiones, quibus istæ conditiones conveniant; non vero per eas, quibus aliqua desit.

Igitur: Christus non meruit per actiones divinas, nec per visionem beatificam, nec per gaudium beatificum, nec per actum amoris, qui ex visione beatifica oritur. Sed meruit Christus per actum amoris, qui ex scientia infusa oritur, et potuit esse viatoris: «Nec tamen, *ait S. Th.*, per caritatem meruit, in quantum erat caritas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris. Nam ipse fuit simul viator et comprehensor.» *(Q. 19, a. 3, ad 1).*

Præterea, Christus meruit per omnes actus omnium virtutum, tum per se, tum per accidens infusarum; meruit etiam per omnes actus partis sensitivæ, quia in Christo isti actus non fuerunt involuntarii sicut in nobis, sed in eo pars inferior superiori in omnibus perfecte subdebatur, et nullus motus illius partis exsurgere potuit, quin a ratione perfecte ordinatus fuerit.

1030. — Quæritur IV. *An mors Christi habuerit aliquem effectum, quem non habuerunt aliæ Christi actiones et passiones.*

Resp. «Passio Christi habuit aliquem effectum quem non habuerunt præcedentia merita»; *(q. 48, a. 1, ad 3),* scilicet actualem nos-

tram redemptionem. Hoc autem *non ex se,* quia ex se quælibet Christi actio et passio valorem simpliciter infinitum habuit, *sed ex speciali Dei ordinatione,* qui alias Christi actiones absque passione et morte, ad actualem nostram liberationem ordinare noluit.

« Ad emptionem, *ait S. Th.,* duo requiruntur, scilicet quantitas pretii, et deputatio ejus ad aliquid emendum... Si ergo loquamur de redemptione humani generis quantum ad quantitatem pretii, sic quælibet passio Christi etiam sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis, propter infinitam dignitatem personæ.

» Si autem loquamur quantum ad deputationem pretii, sic dicendum est quod non sunt deputatæ ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliæ passiones Christi absque morte; et hoc triplici ratione: Primo, quidem, ut pretium redemptionis humani generis non solum esset infinitum valore, sed etiam esset ejusdem generis, ut scilicet nos de morte per mortem redimeret. Secundo, ut mors Christi non solum esset pretium redemptionis, sed etiam exemplum virtutis, ut videlicet homines non timerent pro veritate mori. Tertio, ut mors Christi esset etiam sacramentum salutis, dum nos virtute mortis Christi morimur peccato et carnalibus concupiscentiis, et proprio affectui. » *(Quodl. 2., a. 2)* [1].

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI.

Passio Christi Domini alios effectus relate ad homines, et alios relate ad semetipsum, habuit. Agendum est igitur: I. de effectu passionis relate ad homines; II. de effectu relate ad ipsum Christum.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS RELATE AD HOMINES.

In effectibus dominicæ passionis relate ad homines, tria possunt considerari: 1. ipsi effectus in se considerati; 2. effectus universalitas; 3. fructuum dominicæ passionis applicatio.

[1] Cf. Isamb., In q. I, Disp. V, a. 9, (p. 28).

§ 1. *De effectibus Passionis* [1].

1031. — Qui sint pro hominibus fructus dominicæ passionis, ex dictis jam abunde innotescit. Sunt nimirum:

1. Remissio peccati. — (Apoc. I, 5): *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* — (Hebr. IX, 14): *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

2. Liberatio a servitute diaboli. — (Joan. XII, 31): *Nunc judicium est mundi. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* — (Colos. I, 13, 14): *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

3. Liberatio a pœna peccati; pro qua Christus satisfecit. — (Is. LIII, 4): *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

Principalior peccati pœna est æterna damnatio, a qua Christus nos liberavit reconciliando nos Deo.

Altera pœna peccati est temporalis, sive in hac sive in altera vita luenda: a qua Christus nos etiam liberavit, et ita perfecte, ut eis, qui Christo per baptismum consepeliuntur, nihil expiandum supersit. « Unde baptizatis, *ait S. Th.*, nulla pœna satisfactoria imponitur, quia sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi. » *(Q. 49, a. 3, ad 2).*

Ab illis etiam defectibus, qui ob peccatum primi hominis totam humanam naturam consequuntur, ut mors, passibilitas, etc., liberavit nos Christus, sed ita ut in patria tantum hunc effectum perfecte consequamur. In renatis tamen hi defectus non habent amplius rationem pœnæ, sed sunt pœnalitates, quæ remanent, ut Christo mortali et patienti his in terris configurati, mereamur Christo glorioso configurari in

[1] Cf. S. Th. q. 49; Franc. a Laur., *De Incarn.*, Disp. XX; Nugno, In q. XIX, a. 4.

cœlis. (Rom. VIII, 17): *Si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* — (II Petr. IV, 13): *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. (Cf. S. Th., q. 49, a. 3, ad 3).*

4. Infusio gratiæ et vitæ supernaturalis, reconciliatio cum Deo, gratiæ augmentum, et reparatio post lapsum. — (Eph. 1, 7): *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* — (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* — (Joan. I, 17): *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* — (Joan. X, 10): *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* — (I Joan. II, 1, 2): *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* (Cf. Trident. Sess. VI, cap. 11-16).

5. Apertio januæ cœli. — « Ante passionem Christi nullus intrare poterat regnum cœleste, adipiscendo scilicet beatitudinem æternam, quæ consistit in plena Dei visione. » *(S. Th., q. 49, a. 5, ad 1).* — Pœna peccati originalis erat exclusio a gloria; et licet Patres Vet. Test. tum a reatu culpæ originalis et actualis, tum a reatu pœnæ pro peccatis actualibus, liberati fuerint, remanebat tamen in eis reatus pœnæ pro peccato originali, scilicet exclusio a gloria. A qua pœna Christus eos liberavit descendens ad inferos, et communicans eis visionem beatificam. *(Q. 52, a. 5).*

Qui vero nunc moriuntur, si ab omni reatu pœnæ liberi existunt, virtute passionis Christi, januas cœli statim intrant. Unde die Paschatis canit Ecclesia: « Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, etc. » Et Apost. (Hebr. X, 19) ait: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.*

6. Christus meruit fundationem Ecclesiæ *quam acquisivit sanguine suo* (Act. XX, 28), sacramentorum institutionem atque efficaciam necnon et eorum applicationem illis, quibus applicantur. Meruit nobis omnes divinas motiones, vocationes, illuminationes, pulsationes, et omnes dispositiones etiam remotas ad gratiam. Meruit nobis remissionem pœnæ temporalis tum

illam, quæ fit in præsenti vita, quam illam, quæ fit in purgatorio. Uno verbo: meruit nobis omnia prorsus bona spiritualia, quæ nobis conferuntur.

Bona etiam temporalia, quatenus ad spiritualia ordinantur, nobis Christus promeruit; et quoties bonis temporalibus in ordine ad finem spiritualem utimur, gratia, qua ad hoc præstandum indigemus, nobis ex meritis Christi conceditur.

Ex quibus manifestum est, quomodo in omnibus divites facti simus in Christo; et sine eo nihil simus et nihil possimus.

§ 2. *De effectus universalitate.*

1032. — Prædestinatiani sæculo V docuerunt quod « Christus Dominus, Salvator noster, mortem non pro omnium salute susceperit » [1], ac proinde quod effectus mortis Christi non ad omnes pertinet. — Quorum errorem renovavit Calvinus, et præsertim Jansenius, cujus prop. V sic sonat: « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. » Quæ prop. ab Innocentio X, in Constit. *Cum occasione,* his verbis condemnata est: « Quintam.... falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus » [2].

Ex altera parte non desunt theologi qui doceant, Christum pro omnibus mortuum esse *sufficientia pretii,* non autem *sufficientia* voluntatis, id est, Christum omnibus redemptionis pretium præparasse, quippe cujus mors sit superabundans satisfactio ad omnes redimendos, sed non pro omnibus Deo Patri illud pretium obtulisse cum intentione omnibus gratias ad salutem necessarias promerendi [3].

1033. — **Prop.** *Christus pro omnibus et singulis hominibus mortuus est, et pro omnibus Deo Patri suam mortem obtulit.*

Prima pars prop. *generaliter* sumpta est *certa,* ex prop. 5ª damnata Jansenii: « Semipelagianum est dicere, Christum pro

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Confut. V, a. 2, n. 16 (t. 3, p. 224). — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Confut. XIII, n. 11; *Magn. precat. adj.,* P. II, c. I. — [3] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Confut. XIII, n. 12.

omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. » Quæ prop. ab Innocentio X est « declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, etc. » (Denz. n. 970). — Secunda pars prop. est *communis* theologorum sententia.

Probatur *utraque pars simul:*

I. **Ex Script. S.** « Certiores nos faciunt divinæ Scripturæ, *ait S. Alphonsus.*, Salvatorem nostrum pro omnibus mortuum esse, et pro cujuslibet hominis salute æterno Patri opus redemptionis suæ obtulisse. (Matth. XVIII, 11): *Venit Filius hominis salvare quod perierat.* — (I Tim. II, 6): *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — (I Tim. IV, 10): *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* — (I Joan. II, 2): *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* — (II Cor. V, 14): *Caritas Dei urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* — Et ut de his ultimis tantum verbis loquar, peto: Quomodo ex hoc quod Christus pro omnibus mortuus est, Apostolus inferre potuisset omnes fuisse mortuos, nisi ipsi persuasum fuisset Christum vere pro omnibus mortuum esse? » *(Magn. prec. adj., P. II, c. 1).*

« Istis positis testimoniis, *addit S. Doctor*, nescio quomodo dici possit, Christum sua morte pro omnium redemptione sufficiens prætium solummodo præparasse, illud vero pro omnium redemptione non obtulisse. Si enim res ita se haberet, etiam dici posset, Christum pro dæmonibus sanguinem fudisse, quippe qui ad horum salutem certe sufficientissimus esset. » *(Confut. XIII, n. 13).*

II. **Ex Traditione.** « Multi S. Patres, *inquit S. Alphonsus*, manifeste se opponunt contrariæ sententiæ supra relatæ, docendo Salvatorem non solum præparasse, sed etiam Patri pro omnium salute pretium obtulisse.... Scribit S. Ambrosius, *(De Joseph. c. 7): Ipse pro omnibus mortem suam obtulit.* — Idem docet S. Hieronymus, *(In II Cor., c. 5): Pro nobis mortuus est Christus; solus inventus est qui pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.* — Et S. Prosper, *(Resp. ad Cap. 9 Gallor.): Redemptor mundi dedit pro mundo*

sanguinem suum, et mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt. Non dicit *paravit*, sed *dedit.* — .... Et S. August., *(In Joan., tr. II, n. 12): Quantum in medico est, sanare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult.* Notentur verba: *quantum in medico est, sanare venit ægrotum.* Dominus ergo venit non solum ut pretium seu remedium nostris malis præpararet; sed illud cuilibet ægroto, qui vult sanari, obtulit.» *(Loc. cit., n. 14).*

1034. Scholium I. Christum pro omnibus et singulis *quoad sufficientiam* obtulit salutis pretium: *quoad efficaciam* tamen omnes illud non participant. «Manifestum est ergo, *ait S. Alphonsus,* quod dubitare non liceat quin Christus pro omnibus mortuus sit, quamvis, ut docet Tridentinum, redemptionis pretium non omnibus applicetur: *Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur.* (Sess. VI, c. 3). Quæ verba de solis infidelibus intelliguntur, qui, utpote fide orbati, in participationem meritorum Redemptoris effective non perveniunt. Ad fideles quod attinet, hi absque dubio per fidem et Sacramenta beneficium Redemptionis recipiunt, licet omnes effectum completum æternæ salutis culpa sua non percipiant.» *(Loc. cit., n. 15).*

1035. — Scholium II. Licet Christus pro omnibus ex caritate mortuus sit, non cum eodem tamen caritatis affectu erga omnes mortuus est. «Mihi non arridet, *inquit S. Alphonsus,* eorum opinio qui dicunt, Christum mortuum esse cum æquali dilectione erga omnes, et omnibus easdem distribuere gratias. Videtur enim dubitari non posse quin Salvator cum speciali dilectione erga fideles, et præsertim erga electos, mortuus sit, secundum illud, quod ipse in cœlum ascensurus protulit (Joan. XVII, 9): *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi;* et secundum illud, quod scripsit Apostolus (I Tim. IV, 10): *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*» *(Loc. cit., n. 15).*

§. 3. *De Redemptionis applicatione.*

1036. — «Meritum Christi, *ait S. Th.*, sufficienter operatur ut quædam causa universalis salutis humanæ. Sed oportet hanc causam applicari singulis per sacramenta, et per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur. Et ideo requiritur aliquid aliud ad salutem nostram præter meritum Christi, cujus tamen meritum Christi est causa.» *(De Verit., q. 29, a. 7, ad 8).*

Media, quibus passio Christi unicuique in particulari applicatur, sunt:

1. Fides in Christum. — (Joan. III, 15): *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* — (Joan. III, 36): *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam.* « Per fidem, *ait S. Th.*, applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius, secundum illud (Rom. III, 25): *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus.* » *(Q. 49, a. 1, ad 5).*

2. Caritas et bona opera. — Ad fructum passionis nobis appropriandum, non sufficit fides informis, quæ cum peccato stare potest, sed requiritur fides formata, quæ per caritatem operatur. (I Joan. III, 14): *Qui non diligit manet in morte.* — (Gal. V, 6): *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur.* — (Jac. II, 20): *Fides sine operibus mortua est.*

3. Sacramenta fidei, quæ sunt quasi dominicæ passionis extensio ad omnia tempora et loca, ut per ipsa omnibus Christi merita applicentur et approprientur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* (Marc., XVI, 16). — « Quia passio Christi, *ait S. Th.*, præcessit ut causa quædam universalis remissionis peccatorum, necesse est quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per baptismum et pœnitentiam et alia sacramenta quæ habent virtutem ex passione Christi. » *(Q. 49, a. 1, ad 4).*

4. Deiparæ Virginis mediatio, quæ, ut in tractatu sequenti dicetur, a Deo thesauraria earum gratiarum, quæ per Christi merita nobis conceduntur, constituta est.

5. Sæpe etiam ad abundantiorem passionum et meritorum Christi applicationem requiritur, ut dispensatores mysteriorum Dei, quibus Christus ad sacramenta sua dispensanda utitur, sint ipsi conformes Christo patienti, secundum illud Apostoli (Colos. I, 24): *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister.*

ARTICULUS II.

DE EFFECTU PASSIONIS RELATE AD CHRISTUM.

1037. — Christum per passionem suam quædam sibi meruisse, certum est, secundum illud (Phil. II, 8): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* (Cf. n. 1027).

« Christus, *ait S. Th.*, in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem quantum ad quatuor: 1. quantum ad passionem et mortem, cujus debitor non erat: 2. quantum ad locum, quia corpus ejus positum est in sepulcro et anima in inferno: 3. quantum ad confusionem et opprobria, quæ sustinuit: 4. quantum ad hoc quod est traditus humanæ potestati... Et ideo per suam passionem meruit exaltationem quantum ad quatuor: 1. Quantum ad resurrectionem gloriosam... 2. Quantum ad ascensionem in cœlum:... 3. Quantum ad concessum paternæ dexteræ et manifestationem divinitatis ipsius... 4. Quantum ad judiciariam potestatem. » *(q. 49, a. 6)*. — Quæ sunt *de fide*, ex Symb.: « Tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. »

De judiciaria Christi potestate satis dictum est *n. 978*. Quædam igitur breviter adjicienda sunt: 1. De Christi resurrectione: 2. de ejus gloriosa ascensione: 3. de ejus sessione ad dexteram Patris.

§ 1. *De Christi Resurrectione.*

1038. - I. *Resurrectio Christi fuit præmium suæ passionis.* — « Necessarium fuit, *ait S. Th.*, Christum resurgere ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant, secundum illud (Luc. I, 52): *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quia igitur Christus propter caritatem et obedientiam Dei, se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem: unde ex ejus persona dicitur (Ps. CXXXVIII, 1): *Tu cognovisti*, id est approbasti, *sessionem meam*, seu humilitatem et passionem; *et resurrectionem meam*, id est glorificationem meam in resurrectione. » *(Q. 53, a. 1)*.

II. *Conveniens fuit Christum tertia die resurgere.* — « Resurrectio Christi necessaria fuit ad instructionem fidei nostræ. Est autem fides nostra et de divinitate et humanitate Christi... Et ideo ad hoc quod confirmaretur fides de veritate divinitatis ipsius, oportuit quod cito

resurgeret, et ejus resurrectio non differretur usque ad finem mundi. Ad hoc autem quod confirmaretur fides de veritate humanitatis, et mortis ejus, oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quod ejus mors vera non fuerit, et per consequens nec resurrectio vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam sufficiebat quod usque ad tertium diem ejus resurrectio differretur, quia non contingit quin infra hoc tempus in homine, qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ.» *(S. Th., q. 53, a. 2).*

III. *Christus resurrexit propria virtute.* — (Joan. X, 17): *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam... et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterum sumendi eam.* — (Ibid., II, 19, 21): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud... Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

« Per mortem, *ait S. Th.*, non fuit separata divinitas nec ab anima Christi, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam ejus caro considerari dupliciter: uno modo ratione divinitatis; alio modo ratione ipsius naturæ creatæ. Secundum igitur unitæ divinitatis virtutem et corpus reassumpsit animam quam deposuerat, et anima corpus reassumpsit quod dimiserat; et sic Christus propria virtute resurrexit... Si autem consideremus corpus et animam Christi mortui secundum virtutem naturæ creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo. » *(Q. 53. a. 4).*

IV. *Corpus Christi resurgentis fuit ejusdem naturæ ac antea, sed alterius gloriæ.*

A. Ejusdem naturæ: (Luc. XXIV, 39): *Videte manus meas, et pedes, quia Ego ipse sum; palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* — Ad veram enim resurrectionem requiritur ut idem corpus, quod per mortem ceciderat, eidem animæ iterum uniatur. Exinde sequitur quod « quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis » *(Q. 54, a. 2)*, ut ossa, carnes, sanguis, et alia hujusmodi.

B. Alterius gloriæ: quia Christus resurrexit cum dotibus corporis gloriosi. « Anima Christi a principio suæ conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam. Est autem dispensative factum, ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quod mysterium nostræ redemptionis suâ passione impleret. Ed ideo, peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum suam gloriam derivavit; et ita factum est corpus illud gloriosum. » *(S. Th., q. 54, a. 3).*

V. *Christus resurgens cicatrices in corpore suo conservavit.* — (Joan. XX, 27): *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer ma-*

num tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis.

Hoc autem fuit conveniens, *ait S. Th.*, 1. *Propter gloriam Christi,* ut in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum. 2. *Ad confirmandum corda discipulorum* circa fidem suæ resurrectionis. 3. Ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. 4. Ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis, insinuet. 5. Ut in judicio damnandos ingratitudine et malitia convincat. *(Q. 54, a. 4).*

VI. *Resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis.* — « Resurrectio Christi, *ait S. Th.*, non est, proprie loquendo, causa meritoria nostræ resurrectionis, sed est causa efficiens et exemplaris. *Efficiens quidem*, inquantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus. *(Cf. n. 931)*... Resurrectio Christi est *causa exemplaris* nostræ resurrectionis; quod quidem necessarium est, non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud (Philipp. III, 21): *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* » (Q. 56, a. 1, ad 3).

§ 2. *De Ascensione Christi ad cœlos.*

1039. — I. *Christus ascendit in cœlum.* — De fide, ex Symbolis, et apertis Scripturæ testimoniis. (Marc. XVI, 19): *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.* — (Luc. XXIV, 51): *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.*

« Locus, *ait S. Th.*, debet esse proportionatus locato. Christus autem per resurrectionem vitam immortalem et incorruptibilem inchoavit. Locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis et corruptionis; sed locus cœlestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conveniens fuit quod ascenderet in cœlum. » *(Q. 57, a. 1).*

II. *Christus ascendit propria virtute.* — « Christus non ascendit in cœlum propria virtute, quæ est naturæ humanæ naturalis; ascendit tamen in cœlum propria virtute, quæ est virtus divina, et propria virtute, quæ est animæ beatæ... Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam, ut ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus. Decet autem corpus gloriosum et immortale esse in loco cœlesti. Et ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi ascendit in cœlum. » *(S. Th. q. 57, a. 3).*

III. *Ascensio Christi fuit nobis summe salutifera.* — Quod quidem dupliciter apparet:

A. Ex parte nostra: 1. Datur locus fidei, quæ est de non visis, (Joan. XX, 29): *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt.* 2. Spes nostra erigitur; per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in cœlo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi. 3. Inflammatur caritatis affectus in cœlestia; (Coloss. III, 1, 2): *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

B. Ex parte Christi, quantum ad ea quæ ipse fecit, ascendens propter nostram salutem: 1. Ut nobis viam ascendendi in cœlum præpararet, (Joan. XIV, 2, 3): *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* 2. Ut Spiritum Sanctum mitteret, (Joan. XVI, 7): *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* 3. Ut appareat vultui Dei semper vivens ad interpellandum pro nobis; ipsa enim repræsentatio sui ex natura humana, quam in cœlum intulit, est quædam interpellatio pro nobis. 4. Ut in cœlorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, (Ephes. IV, 10): *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia,* scilicet donis suis. *(S. Th., q. 57, a. 6).*

§ 3. *De Sessione Christi ad dexteram Patris.*

1040. — NB. Sessione Christi ad dexteram Patris non intelligitur positio corporis Christi ad latus Dei; cum enim Deus sit omnino spiritualis, nec dexteram habet, nec sinistram: sed sessione illa metaphorice significatur quieta fruitio divinæ beatitudinis, atque regia et judiciaria potestas.

I. *Christus sedet ad dexteram Patris.* (Ps. CIX, 1): *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* — (Marc. XVI, 19): *Dominus quidem Jesus... assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei.* (Cf. etiam Matth. XXVI, 64; Ephes. I, 20; Hebr. I, 3).

« Nomine sessionis, *ait S. Th.,* possumus duo considerare, scilicet quietem... et etiam regiam vel judiciariam potestatem. Utroque modo Christo convenit sedere ad dexteram Patris: uno quidem modo, in quantum æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ ejus dextera dicitur... alio modo in quantum Patri conregnat et ab eo habet judiciariam potestatem. » *(Q. 58, a. 1).*

II. *Christus sedet ad dexteram Patris, in quantum Deus et in quantum homo.* — « Sedere ad dexteram Patris nihil est aliud quam simul

cum Patre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem, et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. » *S. Th. (q. 58, a. 2).* — Hoc autem : 1. convenit Christo secundum quod est Deus, quia in quantum Deus in omnibus est Deo Patri æqualis ; 2. convenit Christo secundum quod est homo, et hoc dupliciter : uno modo *ratione personæ*, quia, *ut ait S. Th.*, « humanitas Christi secundum conditiones suæ naturæ non habet gloriam vel honorem deitatis, quam tamen habet ratione personæ cui unitur. » *(Q. 58, a. 3).* — Et sic, propter unitatem suppositi, Christus, « etiam secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, secundum æqualitatem honoris, in quantum scilicet eodem honore veneramur Filium Dei cum natura assumpta. » Alio modo, ratione naturæ humanæ per gratiam habitualem sanctificatæ, « quæ abundantior est in Christo præ omnibus aliis creaturis, in tantum quod ipsa natura humana in Christo est beatior cæteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et judiciariam potestatem » ; et sic Christus « secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, id est, in bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis, id est, in majori beatitudine, et habens judiciariam potestatem. »

III. Ex dictis sequitur, sedere ad dexteram Dei esse proprium Christo, et nulli alii competere posse. « Sedere in dextera non significat simpliciter esse in beatitudine, sed habere beatitudinem cum quadam dominativa potestate, et quasi propriam et naturalem ; quod soli Christo convenit. » *(Q. 58, a. 4, ad 2).* — Alii autem Sancti dici possunt *constitui* ad dexteram Dei, secundum illud : *statuet oves a dextris,* (Matth. XXV, 33). Similiter, dicuntur Sancti sedere in throno Christi (Apoc. III, 6), quia a Christo homine potestatem judicandi accipient, secundum illud (Matth. XIX, 28) : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

EXPLICIT TRACTATUS DE INCARNATIONE.

TRACTATUS QUINTUS.

MARIALOGIA. [1]

Conspectus generalis.

- CAP. I. De ipsa divina Maternitate.
  - A. 1. Convenientia divinæ Maternitatis.
  - A. 2. Ejus existentia in Maria.
  - A. 3. Meritum B. V. relate ad divinam Maternitatem.
  - A. 4. Divinæ Maternitatis excellentia.
  - A. 5. Circumstantiæ divinæ Maternitatis.
    - § 1. Virginitas Mariæ.
    - § 2. Ejus Matrimonium.
- CAP. II. De B. V. prout est persona singularis.
  - A. 1. Dona gratiæ B. V.
    - § 1. Gratia nascens B. V.
    - § 2. Gratia crescens.
    - § 3. Gratia consummata.
  - A. 2. Virtutes Deiparæ.
  - A. 3. B. V. glorificatio.
    - § 1. Gloriosa B. V. Assumptio.
    - § 2. Gloria B. V. in cœlis.
- CAP. III. De mutuis relationibus inter B. V. et homines.
  - A. 1. Officia B. V. erga homines.
    - § 1. Maria Mater hominum.
    - § 2. Maria Mediatrix.
  - A. 2. Hominum obsequia erga B. V.
    - § 1. Necessitas devotionis erga B. V.
    - § 2. Efficacia devotionis erga B. V.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Alphonsus,* Gloriæ Marianæ. — *Suarez,* De Incarn., passim. — *De Rhodes,* Theol. Tr. VIII. — *Novati,* De Eminentia Deiparæ. — *Contenson,* Theol. mentis et cordis, L. X, Diss. 6. — *De Los Rios,* Hierarchia Mariana. — *Sedlmayer,* Theol. mariana. — *Spinelli,* Maria thronus Dei. — *Guerra,* De Gratiis et Virt. V. Mariæ. — *Petitalot,* Coronula Mariana.

INTRODUCTIO.

1041. — *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti.* (Gen., I). — Cum in superiori tractatu luminare majus, cum radiis suis omnibus, Christum scilicet gloria et honore coronatum, fuerimus contemplati, idcirco reliquum est ut ad luminare minus, Beatissimam Virginem Mariam, oculos et corda dirigamus. Beata enim Virgo et Christus sejungi nequeunt, *quorum gloriam* S. Petrus Damianus, *non tam communem esse judicat, quam eamdem. (Orat. 2).* — « Si enim Christus sol, *ait Ezychius*, Maria cœlum; si Christus gemma, Maria arca; si Christus flos, Maria planta. » *(Orat. 2).*

Ut in dicendis de B. Virgine Maria tuto pede procedamus, ducem sequemur *S. Alphonsum*, qui in aureo suo libro de Gloriis Marianis totus in eo fuit, ut B. Virginem exaltaret, omniumque corda ad talem Matrem alliceret.

« Quod quidem opus, legimus in *Causa Doctoratus (p. 77)*, cum simplicitate tantam doctrinæ varietatem et profunditatem conjungit, et ita diversis hominum mentibus sese aptat, ut exinde et indoctus fluente veritatis lacte nutriatur, et doctior solidiorem cibum reperiat, et doctissimus quisque pabulo altissimarum veritatum reficiatur. Unde asserere non dubito, absque temeritatis nota dici posse: Non esse in Theologiis Marianis, ampliori etiam stylo conscriptis, quæstionem serii alicujus momenti, quæ in hoc aureo volumine non reperiatur, compendiose saltem, at semper nervose, acutissime, et doctissime declarata. »

1042. — Ad seligendas eas, quæ ad B. Virginem spectant, opiniones, duas generales regulas nobis tradidit *S. Alphonsus (Glor. Mariæ, P. I. c. V, § 1; et Disc. I, P. I).*

Regula I. *Quodcumque donum Deus alicui creaturæ, illud etiam Virgini Mariæ concessit.*

Quæ regula ab omnibus ut axioma recepta est; eamdem statuit *S. Bernardus (Ep. 174)*, et confirmat *S. Thomas (Op. 60, c. 3).* — Cujus regulæ ratio est quia, *ut ait S. Thomas*, « rationabiliter creditur quod illa quæ genuit *Unigenitum a Pa-*

tre, plenum gratiæ et veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. » *(P. 3, q. 27, a. 1).*

Regula II. *Si qua existit opinio, quæ B. M. Virgini aliquo modo est honorabilior, et serio nititur fundamento, nec sive fidei, sive Ecclesiæ decretis, sive veritati naturali est contraria, ab omnibus admitti debet.*

Cujus regulæ eadem est ratio ac primæ. — Præterea, B. Virgo est omni laude dignissima, nec satis unquam laudari potest. *Felix namque es*, canit S. Ecclesia, *sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima; quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.*

1043. — Divisio tractatus. — Etiamsi multa nimis de B. V. Maria nobis forent dicenda, tamen per angustos hujusce libri limites, principaliora tantum doctrinæ capita attingere licet. Dicemus ergo: I. De divina Maternitate in se spectata. — II. De Persona divinæ Matris, prout est persona singularis. — III. De mutuis relationibus B. Virginem inter et homines.

CAPUT I.

DE IPSA DIVINA MATERNITATE.

Quidquid ad ipsam divinam Maternitatem spectat, quinque articulis absolvetur. In I. dicetur de convenientia divinæ Maternitatis: in II. de ejus existentia; in III. de merito B. V. Mariæ relate ad istam dignitatem; in IV. de ejusdem maternitatis excellentia; in V. de ejusdem circumstantiis.

ARTICULUS I.

DE DIVINÆ MATERNITATIS CONVENIENTIA.

1044. — Verbo divino integrum erat diversis viis carnem assumere et in mundum venire; verumtamen feminam sibi in matrem eligendo, ex qua absque viri consortio nasceretur,

talem præ cæteris introitum in mundum sclegit, qui, tum ex parte Dei, tum ex parte Christi, tum ex parte nostra, tum ex parte totius universi, maximas sibi conjunctas haberet convenientias. *(S. Th., p. 3, q. 31, a. 4).*

I. **Ex parte Dei.** Deus in operibus ad extra, propriam gloriam per suorum attributorum manifestationem semper tanquam finem intendit *(n. 654).* In electione autem alicujus mulieris in Matrem, ex qua Verbum carnem sumeret, plurima relucent divina attributa. Etenim:

1. *Manifestatur divina Bonitas.* — Bonitatis proprium est seipsam aliis communicare. Verum, si excipias unionem hypostaticam, tenendum est, Deum alicui creaturæ modo perfectiori sese communicare non posse, quam hanc creaturam sibi in Matrem eligendo, ex qua naturam accipiat humanam. *(S. Alph. Disc. IV, P. II).*

2. *Manifestatur divina Potentia.* — Illud summæ potentiæ indicio est, et quod Creator a creatura vitam accepit; et quod ille, a quo omnia pendent, a sua pendet factura; et quod creatura suum concepit Creatorem; et quod illum, quem cœli capere non poterant, in suo gremio contulit femina; et quod virgo absque virginitatis jactura eum, qui eam fecit, generavit.

3. *Manifestatur sapientia, benignitas,* etc.

1045. — Ex parte Christi. 1. Christus eo modo in mundo apparere debuit, ut fidem nostram de se confirmaret. Est autem fides nostra cum de divinitate tum de humanitate Christi; quandoquidem non sufficit alterum sine altero credere. Per hoc autem quod Christus ex muliere natus est, « veritas Incarnationis adstruitur, *ait S. Th.* Unde Ambrosius dicit *(De Inc.* c. 5): *Multa in Christo secundum naturam invenies et ultra naturam; secundum conditionem etenim naturæ in utero, feminei scilicet corporis, fuit; sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit; ut crederes quia Deus erat, qui innovabat naturam, et homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.* Et S. Augustinus dicit, in Epist. ad Volusianum: *Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspec-*

tibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur? et dum omnia mirabiliter fecit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret. » *(P. 3, q. 31, a. 4).*

2. Nativitas ex femina fuit Christo conveniens, ut ipse hominum corda ad se alliceret. « Christus, *ait S. Alphonsus,* tanquam parvulus in hunc mundum intrare voluit, ut a nobis amore non solum appretiativo, verum etiam tenero amaretur. Pueruli enim intuentium affectionem sibi conciliant. Quis igitur cum tota cordis teneritudine, cujus capax est, Deum non amaret, quem parvulum et modico lacte pastum considerat, quem frigore torpentem, pauperem, spretum et derelictum, plorantem, et in stabulo super palea vagientem intuetur. » *(Nov. Natalis, medit. 3.).*

3. Christus veniens in mundum, omnibus virtutis exemplum exhibere voluit, ut omnes, ipsius inhærentes vestigiis, quemadmodum ipse fecit, et ipsi facerent. Per hoc autem quod parvulus natus est Christus, omnibus ætatibus, et pueris, et adolescentulis, et viris maturæ ætatis, sese omnium virtutum exemplar præbuit; præsertim vero in se obedientiam commendavit, dum parentibus subditus exstitit; et humilitatem, dum, qui omnibus erat superior, ab aliis humiliter dependere et illis indigere voluit.

1046. — III. **Ex parte humanæ naturæ.** 1. Per hoc enim quod Verbum divinum carnem ex muliere suscepit, tota humana natura nobilitata est *(S. Th., q. 31, a. 4).* Unde dicit *S. Augustinus:* « Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quia ille vir de femina natus est. » *(Quæst. l. 83, q. 11).*

2. Per Incarnationem matrimonium quoddam spirituale inter Filium Dei et humanam naturam intercessit. Ad matrimonium vero aliquis requiritur consensus. Jamvero, ad dandum suum consensum, genus humanum melius repræsentari

non potuit, quam per Virginem Mariam, de qua Christus nasceretur. « Et ideo, *ait S. Thomas,* per Annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ. » *(P. 3, q. 30, a. 1).*

3. Cum ad nostram perditionem uterque sexus concurrerit, conveniens etiam fuit, ut ad nostram liberationem uterque sexus concurreret. Quod factum est, dum Christus Virginem, de qua natus est, ad opus Redemptionis sibi consociavit.

4. Christus mulierem sibi in Matrem eligendo, potentissimam nobis Mediatricem elargitus est, ut *infra C. III* dicetur.

1047. — IV. **Ex parte totius universi.** Per electionem alicujus feminæ in Matrem Dei, totus mundus ad perfectionem quamdam singularem perductus est. B. V. Maria enim per se solam est post Christum aliquid tota rerum universitate perfectius. *(S. Alph., Disc. III, P. I).* Præterea, divina Maternitas in mundum novum quemdam introduxit ordinem, qui post ordinem unionis hypostaticæ, omnibus aliis ordinibus est mirabilior. Dum enim in Christo humana natura Deo unione personali est unita, in Maria unita est Deo unione consanguinitatis.

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA DIVINÆ MATERNITATIS IN MARIA.

1048. — *Nestorius* celebrior fuit hæreticus, qui Virgini Mariæ dignitatem divinæ Maternitatis denegavit. Duplicem ipse in Christo admisit personam, Virginemque Mariam dixit Matrem esse solius humanæ Christi personæ; qua de causa eam non Deiparam (Θεοτόκον), sed Christiparam (Χριστοτόκον), appellari voluit. *(Cf. n. 871).*

1049. — **Prop.** *B. V. Maria vere et proprie est Mater Dei.*

De fide, ex Concil. Ephesino, can. 1; — ex Nicæno II, coll. 7 — et ex Constantinop. II, de tribus capitulis, can. 6, in quo legimus: « Si quis abusive et non vere Dei genitricem dicit Sanctam gloriosam semper Virginem Mariam;... aut si

quis hominis genitricem vocat eam, aut Christi genitricem,... et non specialiter et secundum veritatem Dei genitricem eamdem confitetur.... talis anathema sit.» *(Denz. n. 177).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Is. VII, 14): *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* — (Luc. I, 31-35): *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* His in verbis Virgo Maria dicitur concipiens et pariens Filium, qui vocatur et est *Emmanuel, Filius Dei.* Sed mulier, quæ aliquem concipit et gignit, ejusdem mater vere existit. **Ergo B. V. Maria vere est Mater Dei.**

Scriptum etiam reperimus (Rom. I, 2, 3): *Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* — (Galat. IV, 4): *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* In quæ verba scribit *S. Alphonsus:* « Ille Filius a Deo per prophetas promissus, et in plenitudine temporum missus, est Deus Deo Patri æqualis, sicuti supra demonstravimus. Et hic idem Deus, factus ex semine David secundum carnem, natus est ex Maria: Maria igitur est vera istius Dei Mater.» *(Hist. hær., Confut. VII, a. 2, n. 20).*

II. **Ex Traditione.** Divinam Virginis Maternitatem unanimiter confitentur S. Patres. « Quomodo ais tu, *inquit S. Dionys. Alex.*, hominem esse eximium Christum, et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu Sancto adoratum, incarnatum ex Virgine Deipara Maria?» *(Ep. adv. Paul. Samos.)* — *S. Greg. Nyz.*: « Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.» *(Ep. 101 ad Cledonium.)* — *S. Hieronymus:* « Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.» *(De perp. Virginit. B. M.)*

III. **Ex Ratione.** 1. « Quæ concepit et peperit Filium, qui ab initio conceptionis suæ Deus erat, *ait S. Alph.*, eam vere esse Matrem Dei, nemo infitiari potest. Atqui Maria est illa Mater benedicta, quæ Filium, qui Deus est, genuit. Ergo Maria

vere est Mater Dei. *Si Deus,* inquit S. Cyrillus [1], *est Dominus noster Jesus Christus. quomodo Dei Genitrix non est quæ illum genuit, Sancta Virgo.* » (Loc. cit. n. 25).

Confirmatur hæc ratio ex eo, quod generatio non ad naturam, sed ad personam terminatur. *Concipi autem et nasci,* ait S. Th., [2] *attribuitur hypostasi secundum naturam illam, in qua concipitur et nascitur.* Licet ergo B. V. Maria solam Christi humanitatem genuerit, relatio tamen Maternitatis non ad solam humanitatem, sed ad personam divinam, quæ secundum naturam humanam ex Virgine Maria nata est, terminatur.

2. « Si B. V. Maria, *ait S. Alph.,* non est Mater Dei, Filius quem genuit, non est Deus, et consequenter Filius Dei non est idem qui Filius Mariæ. Atqui Christus Jesus declaravit, se esse Filium Dei et Filium Mariæ. *(Matth. XVI).* Ergo dicendum est: vel Christum Jesum non esse Filium Mariæ; vel Mariam, utpote Matrem Jesu, esse vere Dei Matrem. » *(Loc. cit.)*

ARTICULUS III.

DE MERITO B. V. MARIÆ RELATE AD DIGNITATEM MATRIS DEI [3].

Quæritur in hoc tertio articulo, an et quomodo B. V. Maria meruerit esse Dei Mater.

NB. Duplex datur meritum, de condigno scilicet, et de congruo. *(Cf. de Gratia, n. 1265).*

1050. — Prop. *B. V. Maria divinam Maternitatem de condigno non meruit.*

Sententia *communis,* contra paucos minoris auctoritatis theologos.

[1] Ep. I, *ad Monach. Ægypti.* — [2] P. 3, q. 35, a. 4. — [3] Cf. Contenson, l. X, diss. VI, cap. 2, spec. 2, prær. 10; De Rhodes, q. II, sect. IV, § 2; Gibbon, *De Incarnat.* Disp. VI, dub. 4. (T. V, p. 128).

Probatur. « Ut opus bonum, *ait Contenson*, condigne promereatur aliquod præmium, requiritur prorsus, ut illud opus sit intra eumdem ordinem, in quo est præmium.... quia totus ordo inferior quantumcumque inter proprios limites crescat, nunquam tamen ordinem superiorem adæquabit. Atqui omne opus a gratia adoptionis procedens erat ordinis inferioris, quam esset maternitas Dei, quæ ingreditur ordinem hypostaticum, et ad fines Divinitatis propius accedit: ergo nullum opus, quamlibet sanctum, et a gratia adoptionis intensissima promanans, potuit maternitatem Dei condigne mereri. » *(Loc. cit.)*

1051. — **Quæritur.** *An saltem de congruo B. Virgo maternitatem divinam meruerit?*

Resp. *Disputant auctores.* — Alii, nulla adhibita distinctione, affirmant, Mariam de congruo divinam maternitatem meruisse. — Alii, quorum sententia probabilior videtur, ordinem intentionis ab ordine exsecutiones distinguunt. Si de ordine intentionis sermonem instituunt, docent, Virginem Mariam suis operibus a Deo prævisis electionem suam ad dignitatem Matris Dei non meruisse. Ratio est: quia principium meriti non cadit sub merito. Sed omnium gratiarum et omnium charismatum, quibus B. Virgo fuit cumulata, principium atque causa fuit ejus electio ad Matris Dei dignitatem. Ipsa ergo electio nullo opere meritorio, nequidem de congruo, mereri potuit.

Sin vero de ordine exsecutionis loquuntur, docent, B. V. Mariam ex plenitudine suæ gratiæ illum sanctitatis et puritatis gradum promeruisse, ut congrue in Dei Matrem assumeretur, et tantæ dignitatis digna existeret.

Apposite *S. Alphonsus:* « Maria non solum Mater, sed etiam digna fuit Salvatoris Mater; sic eam omnes S. Patres appellant, præsertim S. Bernardus [1]: *Tu sola inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum primam sibi mansionem eligeret;* et S. Thomas a Villanova [2]: *Antequam conciperet, jam idonea erat ut esset Mater Dei.* Ipsa Ecclesia nobis attestatur quod Virgo Maria esse meruerit Mater Jesu Christi: *Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum*

[1] *Depr. ad gl. V.* — [2] *De Nat. V. M.*, conc. 3.

Christum. Quod explanans S. Thomas, dicit [1]: *Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit Ipsum incarnari; sed quia meruit, ex gratia sibi data, illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei.* Dicit igitur Angelicus, Mariam Verbi Incarnationem mereri non potuisse; sed ex divina gratia talem perfectionis gradum meruisse, quo digna Dei Mater efficeretur.» *(Disc. I, P. 2).*

ARTICULUS IV.

DE DIVINÆ MATERNITATIS EXCELLENTIA [2].

1052. — Summa est Deiparæ excellentia: eximiæ sunt prærogativæ illius « ad quam, *ut ait S. Ildephonsus*, concurrunt omnia eloquia prophetarum, in quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum.» *(Serm. I, de Assumpt.)* Ex illis igitur prærogativis, quæ ex divina maternitate tamquam flores ex radice germinant, quasdam in gloriam tantæ Virginis breviter indicare juverit.

1053. — I. *Maternitas divina est radix et causa finalis cæterarum omnium perfectionum et gratiarum, quibus Maria fuit cumulata.* (Causa Doctor. n. 170).

« Virgo Maria, *ait S. Alph.*, quia fuit in Matrem Redemptoris electa, ab initio suæ existentiæ majorem recepit gratiam, quam omnes alii Sancti simul sumpti.» *(Disc. II, P. 1).* Et: « Dominus omnes gratias, omniaque dona, tum particularia, tum specialia, quæ omnibus aliis creaturis unquam fuerunt collata, Mariæ in supremo gradu contulit: et hoc quidem propter dignitatem Matris Dei, ad quam fuit evecta.» *(Disc. IV, P. 2).*

Cujus privilegii rationem indicat *S. Thomas:* « Quanto aliquid, *ait*, magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. B. autem V. Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, et ideo præ cæteris

[1] P. 3, q. 2, a. 11. — [2] Cf. Novati, t. II, c. 7; Contens., c. II, spec. 2; De Rhodes, q. II, sect. 3, p. 200.

majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. » *(P. 3, q. 27, a. 5).*

1054. — II. *Maternitas divina ad ordinem unionis hypostaticæ quodammodo pertinet.*

« Ex illo principio, *ait S. Alph.*, concludit Suarez [1], dignitatem Matris Dei esse ordinis, qui omnem creatam dignitatem superat, eamque quodammodo ad ordinem unionis hypostaticæ pertinere: *Dignitas Matris est altioris ordinis:* (verba sunt Suaresii), *pertinet enim quodammodo ad ordinem unionis hypostaticæ: illam enim intrinsece respicit, et cum illa necessariam conjunctionem habet.* » *(Disc. IV, P. 2).*

Ratio est, quia Mater et Filius ad eumdem pertinent ordinem. Cum igitur Maria vere sit Mater Verbi incarnati, idcirco, ipsa ad ordinem hypostaticum quodammodo pertineat necesse est.

1055. — III. *Virgo Maria est Dei perfectissima imago atque splendidissimum speculum* [2].

Descriptam esse in Maria effigiem Dei, asserunt S. Patres. Ait *S. Dionys.:* « Maria est expressa, significativa et evidens Dei bonitatis imago. » *(De div. Nom. l. IV).* — *S. August.:* « Si formam Dei te appellem, digna existis. » *(Serm. de Nativ.).* — Et *Andreas Cret.:* « Maria divini Archetypi imago recte descripta, et divinorum attributorum Epitome. » *(Or. II, de Assumpt.).*

Cujus rei causa est, quia omnis perfectio, quæ in creatura inest, est divinarum perfectionum imago quædam, atque similitudo. Quo altior igitur et perfectior est creatura, eo perfectius Deum repræsentat. Porro B. Virgo Maria « fuit pulcherrima, *ait S. Alph.*, quam Deus creaverit, anima; quinimo fuit, post unionem hypostaticam, opus maximum, opus divinitate dignissimum, quod Omnipotens in hoc mundo produxerit. » *(Disc. II, P. 1).* Maria ergo est perfectissima Dei imago.

« Dei Maternitas, *ait Contenson*, est perfectissimum omnium Dei similitudinum signaculum, expressissima imago, et splendidissimum

[1] *De Incarn.* P. II, D. I. sect. 2. — [2] Cf. De Rhodes, *loc. cit.*, § 3. p. 204; Contens., *quarta prærog.*

speculum... Et ratio est, quia in Maria relucet notio Patris, unde potest Maria vere dicere Verbo æterno incarnato: *Filius meus es tu. Hic est filius meus dilectus.* Tum quia sicut Pater generando Filium Virgo, et prima Virgo est; ita Maria pariens Christum Virgo, et Virginum exemplar est. Tum quia divina attributa in Virgine certatim relucent; etc.» *(loc. cit.)*.

Ex quibus colligi potest, *ait De Rhodes* «plus cognosci Deum ex Maria, et in Maria, quam ex omnibus aliis creaturis, neque alibi melius veram Mariæ cognitionem hauriri posse, quam ex ipso Deo. Cupis nosse Deum, Mariam lege ut librum, intuere ut speculum, ut imaginem contemplare. Mariam æstimare vis, mirari, adorare: ad Deum assurge: nihil est Deo minus, in quo Mariam intueri possis.» *(loc. cit.)*.

1056. — IV. *Maternitas divina est dignitas infinita.*

«Dignitas moraliter infinita, *ait De Rhodes,* illa dicitur, quæ in æstimatione, ac causalitate morali tanta est, ut semper et semper in ea liceat accipere aliquid, numerando gradus perfectionis, etiamsi per totam æternitatem dinumeres, imo etiamsi Angeli simul omnes dinumerent, addendo plura et plura in infinitum.» *(loc. cit. § 1)*.

Dignitatem B. Virginis esse infinitam, ex ipso titulo divinæ maternitatis evidentissime manifestatur. Etenim, relatio quælibet, non solum specificationem, sed et perfectionem et perfectionis mensuram desumit a suo termino: terminus autem maternitatis divinæ est Deus-Homo, utique infinitus. Cum ergo divina Verbi persona, ad quam refertur B. Virginis maternitas, sit infinita, rigorose sequitur, ipsam divinam Virginis maternitatem esse dignitatem infinitam, qua nulla major in pura creatura excogitari potest. *Filius,* ait B. Albertus Magnus, *infinitat Matris bonitatem, omnis enim arbor ex fructu cognoscitur.* (Mariale, c. 230).

Apposite *S. Alph.:* «Affirmat S. Thomas Mariam per suam electionem in Matrem Dei, propter intimam suam unionem cum bono infinito, infinitam quamdam obtinuisse dignitatem, quam Suarez [1] infinitam in suo genere vocat: *Dignitas Matris Dei suo genere est infinita.* Dignitas enim Matris Dei est maxima, quæ puræ creaturæ conferri possit. Potuisset equidem humanitas Christi, ut docet Angelicus *(Comp. theol., c. 215),* majorem recipere gratiam habitualem; non potuisset

[1] *De Inc.* P. II, D. I, sect. 2.

autem altius elevari, quam per suam unionem ad personam divinam elevata est. *(P. III. q. 7. a. 12)*. Pari modo, non potuisset B. Virgo ad majorem, quam ad dignitatem Matris Dei, evehi: « *Beata Virgo* (ait S. Th.), *ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius.* (P. I. q. 25. a. 6). Exinde celebris hæc S. Bonaventuræ [1] sententia: *Quid mirabilius quam esse Dei Matrem? ipsa est qua majorem Deus facere non posset: majorem mundum posset facere Deus, majus cœlum; majorem Matrem quam Matrem Dei non posset facere.* » (Disc. IV, P. 2).

1057. — V. *Maria est Creatura separata, incomprehensibilis, et a solo Deo comprehensibilis.*

Maria Virgo est creatura separata; quippe quæ, licet sit infinite minor Deo, omni tamen alia creatura infinite altior existat: ita ut si omnium creaturarum perfectiones in unam coadunarentur, hæc cum V. Mariæ perfectione comparari nullatenus posset. Efformat igitur Maria in universo hierarchiam quamdam specialem [2]; ipsa est Dei omnipotentis opus singularissimum, in quod Altissimus omnes thesauros sapientiæ suæ transfudit.

« Indubium est, *ait S. Alph.*, inter Matrem Dei et servos Dei infinitam intercedere distantiam, secundum illud celebre S. Joannis Damasceni effatum: *Matris Dei et servorum Dei infinitum est discrimen* [3]. » *(Disc. I, P. 1)*. — Et: « Recte affirmat Arnoldus Carnut., Dominum, per hoc quod Filius Mariæ fieri voluit, ipsam supra omnes Sanctos atque omnes Angelos extulisse: *Maria constituta est super omnem creaturam* [4]. Ita ut, si Deum excipias, omnibus cœlestibus spiritibus incomparabiliter superior existat, sicut dicit S. Ephrem [5]: *Nulla comparatione, cæteris superis est gloriosior*: et Andreas Cret. [6]: *Excepto Deo, omnibus altior*; et S. Anselmus [7]: *Nihil tibi, Domina, est æquale; omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te: quod supra, solus Deus: quod infra, omne quod Deus non est.* Unico verbo, subjungit S. Bernardinus [8], tanta est Mariæ celsitudo, ut a solo Deo intelligi queat: *Tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur.* » (Disc. IV, P. 2).

[1] *Spec. B. V.*, Lect. 9 et 10. — [2] Cf. De Los Rios, *Hierarchia Mariana*, l. I, c. 2 et seq. — [3] Orat. II *de Assumpt.* — [4] *De Laud. B. M.* — [5] *De Laud. Dei Gen.*, — [6] *In Dorm. S. M.*, s. 3. — [7] *De Conc. B. M.* — [8] *Pro Fest. V. M.*, s. 4, a. 3, c. 1.

1058. — VI. *B. V. Maria habuit dominium in Christum*[1].

NB. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos, ipsis imperando. Dominium potest esse quoad jus, vel quoad factum. Dominium *quoad jus* est potestas ita aliis præcipiendi, ut obedire teneantur; dominium *quoad factum* est potestas ita aliis præcipiendi, ut obediant quidem, sed ad obedientiam stricte non obligentur.

1. *Quoad factum:* Virginem Mariam habuisse in Christum dominium quoad factum, ex verbis (Luc. II, 51): *Et erat subditus illis*, manifeste constat.

2. *Quoad jus strictum:* probabilius est Virginem Mariam in Christum nullum habuisse dominium quoad jus strictum. Etenim, qui intrinseca ratione unionis suæ cum persona divina constitutus est rex universalis omnium creaturarum, et propriæ matris superior existit, ille ex stricto jure naturæ nulli subjectus esse potest. Sed Christus quatenus homo, vi unionis hypostaticæ, Rex totius creationis constitutus est, et suæ matris superior existit. Nequit ergo Christus stricto jure naturæ Matri suæ proprie subjici.

3. *Quoad jus latum:* Dominium quoad *jus latum*, fundatum cum in ratione suæ divinæ maternitatis, tum in voluntate Christi et filiali ejus erga Matrem amore, B. Virginem in Christum habuisse, communis est sententia. Etenim: *a*) S. Patres aliquam in Christo obediendi obligationem agnoscere videntur. — *b*) Virtus pietatis, non secus ac aliæ virtutes, gradu perfectissimo exstitit in Christo. Virtutis autem pietatis est primum Deo, deinde parentibus obsequium, cultum, et amorem deferre. — *c*) Maria fuit Mater Christi Domini; sed filii ex jure naturæ parentibus obedire tenentur. Quamvis ergo in Christo nulla stricta præstandi obedientiam Matri suæ exstiterit obligatio, illud tamen obsequium eidem libere exhibere voluit. « Adfuit tempus, *ait S. Alph.*, quum Salvator noster in terris degens, seipsum adeo humiliare voluit, ut Mariæ auctoritati subjiceretur, prout attestatur S. Lucas (II, 51): *Erat subditus illis*. Imo S. Ambrosius docet Christum, postquam

[1] Cf. Sedlm. n. 1581; De Rhodes, § 5, p. 206; Contens. *Sexta prærog.*

Mariam sibi in Matrem elegerit, vere fuisse, tanquam ejus filium, ad obedientiam ei præstandam obligatum.» *(Glor. Mar., P. I, c. 6).*

1059. — VII. *Maria jus habet ut a Christo honoretur* [1].

Virtus pietatis omnino exigit, ut filii parentes honore prosequantur: summa ergo Christi pietas filialis erga Matrem omnino exigit, ut Mariæ honorem et reverentiam exhibeat. « His addit S. Methodius, *inquit Doctor Zelantissimus,* Dominum, qui nobis dedit præceptum parentes honorandi, utique voluisse, postquam factus est homo, illud ipsum observare, Mariam omni gratia et honore cumulando. *Qui dixit: Honora Patrem et Matrem, ut decretum a se promulgatum servaret, omnem Matri gratiam et honorem impendit* [2]. » (Disc. I, P. 2).

1060. — VIII. *Maria jus habet ut a Christo ametur* [3].

Filius enim sicut Matrem honorare, ita et eam amare tenetur. — *Præterea:* « in Maria matre dilectionis, *ait Contenson* [4], concurrebant omnia amabilitatis motiva, et illicia, nimirum bonitas, et perfectio exquisita, pulchritudo elegantissima, indoles suavissima, sanctitas eximia, summa cum filio similitudo, cognatio, proximitas, amor ergo Christum singularis, qui amorem Christi ad se rapiebat, denique effusa beneficentia, qua pia mater, provida nutrix, et tutrix filii sibi oppignerarat amicitiam. »

1061. — IX. *B. V. Maria in omnia bona Filii sui dominium habet, et est vere Regina et Domina mundi* [5].

« Si Christus est Rex universi, *ait S. Alph.*, Maria etiam totius universi est regina, teste Ruperto abbate: *Regina cælorum, totum jure possidens Filii regnum* [6]. Et S. Bernardinus ait: *Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati: omnes nempe creaturæ, sive Angeli, sive homines, et omnia quæ sunt in cœlo et in terra, quia omnia sunt divino imperio subjugata, gloriosæ Virgini sunt subjecta* [7]. » (Glor. Mar., c. I).

[1] Cf. Contens., *Sept. prær.*; De Rhodes, § 6, p. 208. — [2] De Sim. et Anna. — [3] Cf. De Rhodes, § 7, p. 209. — [4] *Octava prærog.* — [5] Cf. De Rhodes, § 8, p. 210; Sedlm. n. 1545 et seq. — [6] *In Cant.* L. 3. — [7] *Pro Fest. V. M.*, s. 5, c. 6.

Cujus amplissimi dominii in V. Maria tres assignari solent tituli: 1. *Primus* titulus est *ipsa divinæ Maternitatis dignitas.* — « Cum præcelsa Virgo Maria, *ait S. Alph.*, ad dignitatem matris Regis regum fuerit elevata, ideo justa de causa Ecclesia ipsam glorioso titulo Reginæ honorat, atque præcipit ut ea ab homnibus eo titulo salutetur. *Si ipse Rex est, qui natus est de Virgine,* inquit S. Athanasius, *Mater quæ eum genuit, Regina et Domina proprie ac vere censetur* [1]. Et S. Bernardinus: *Hæc autem Virgo, in illo consensu meruit primatum orbis, dominium mundi, sceptrum regni super omnes creaturas* [2]. » (Loc. cit.)

2. *Secundus* titulus est *nomen et officium Coredemptricis.* — B. Virgo, ut infra fusius dicetur *(n. 1097)*. cum Christo ad salutem omnium electorum cooperata est. Si vero Christus, ratione Redemptionis, omnium rerum dominium speciali titulo acquisivit, V. Maria, ratione suæ cooperationis in opere Redemptionis, ejusdem Christi regni pariter consors esse debet.

3. *Tertius* est *titulus donationis.* — Maria est Filia Dei Patris, et sponsa Spiritus Sancti. Utpote Patris Filia, a Deo hanc amplissimam accepit hæreditatem, ut super omnia opera manuum suarum regina constitueretur. Utpote sponsa Spiritus Sancti, a Spiritu Sancto ut dotem regnum universorum accepit: *Ex eo quod sit sponsa Spiritus Sancti, a quo dotis nomine donata est imperio* (S. Epiph. [3].)

1062. — X. *Tota Mariæ gloria est, esse Matrem Dei* [4].

Illud est tota Virginis gloria, et in quo omnes ejus radicantur prærogativæ, et ex quo tanquam e radice omnes ejus germinant excellentiæ, et ob quod a Deo tantis donis atque privilegiis est cumulata. Apposite *S. Alph.:* « Nec miretur quisquam, ait S. Thomas a Villan., Evangelistas, qui Joannis Baptistæ et Magdalenæ laudes prolixe referunt, tam parce Mariæ prærogativas descripsisse. Etenim: *sufficit quod scriptum est, quia de illa natus est Jesus.* Quid amplius enim, pergit idem Sanctus, de celsitudine illius Virginis referre debuissent Evangelistæ? Ipsis sufficit dicere Eam esse Dei Matrem. Et quum hoc vocabulo maximam, imo omnem ipsius gloriam declaraverint, nihil attinuit particularia ejus referre charismata: *Quid ultra requiris? sufficit tibi quod Mater Dei est. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit* [5]. Et re quidem vera, addit S. Anselmus: *Hoc solum de S. Virgine præ-*

[1] *Sermo de Deip.* — [2] *Pro Fest. V. M.*, s. 5, c. 3. — [3] *De Deipara.* — [4] Cf. De Rhodes, § 9 et 10. — [5] *De Nat. V.*, conc. 2.

dicari, quod Mater Dei sit, excedit omnem altitudinem quæ, post Deum, dici vel cogitari potest [1]. Et Petrus Cellensis [2]. *Si cœli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud protuleris, non assurget ad hunc honorem, quo prædicatur Dei Genitrix.* » (Disc. IV, P. 2).

1063. — **NB.** Præter enumeratas prærogativas, alias adhuc et eas eximias referunt S. Patres atque theologi; ut v. gr., Mariam esse consanguineam Deo quatenus subsistenti in natura humana; ipsam habere affinitatem cum SS. Trinitate; ipsam cum Deo identitatem quamdam habere; ipsam aliquo modo esse SS. Trinitatis complementum, etc. Hæc autem silentio præterire opportunum visum est; de ipsis confer *De Rhodes* et *Contenson*, locis citatis: — et etiam *Novati*. (T. II, c. 7, q. 18, p. 303) pro complemento SS. Trinitatis.

ARTICULUS V.

DE DIVINÆ MATERNITATIS CIRCUMSTANTIIS, DE VIRGINITATE SCILICET, ET MATRIMONIO B. VIRGINIS.

§ 1. *De Virginitate Mariæ.*

Mariæ Virginitas, vel quoad integritatem corporalem, vel quoad virtutem animi, considerari potest.

1064. — De Virginitate Deiparæ quoad integritatem corporalem.

B. Mariam usque ad suam desponsationem cum S. Joseph, et usque ad annuntiationem, Virginem extitisse, fide certum est ex evangelica narratione, (Luc. I, 26, 27): *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* — Præterea Mariæ virginitatem ante suam desponsationem nullus unquam hæreticus infitiatus est.

Cerinthus, Ebion et Carpocrates, ut qui Christum dicerent purum fuisse hominem, aliorum hominum instar ex commercio

[1] *De Excell. V.*, c. 2. — [2] *De Pan.*, c. 21.

viri cum muliere conceptum, Mariam in concipiendo Virginem remansisse negabant.

Jovinianus, etsi agnovit Mariam in concipiendo Virginem remansisse, eam tamen in partu corruptam fuisse contendebat.

Helvidius denique Mariam, post Christi nativitatem S. Josephum carnaliter cognovisse, atque ex eo alios filios procreasse, dogmatizavit.

Sint igitur sequentes propositiones:

1065. — Prop. I. *B. Maria fuit Virgo in concipiendo. De fide,* ex Sacra Scriptura et ex Symbolis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Is. VII, 14): *Ecce Virgo concipiet.* — (Matth. I): *Antequam convenirent, inventa, est in utero habens de Spiritu Sancto... Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.* — (Cf. etiam Luc., I). — Et in Symbolo legimus: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* — Ex hisce verbis perspicuum est, B. Mariam non operatione viri, sed virtute Spiritus Sancti Christum concepisse; nec proinde in concipiendo Virginitatem amisisse.

II. **Ex Auctoritate Ecclesiæ** et universali traditione. Omnia Concilia, omnesque S. Patres, qui de divini Verbi Incarnatione agunt, Mariæ virginitatem in concipiendo asserunt atque tuentur.

III. **Ex Ratione convenientiæ.** « Confitendum est, *ait S. Thomas,* Matrem Christi virginem concepisse... primo *propter mittentis Patris dignitatem conservandam.* Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. — Secundo, *hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii* qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur... Quarto, *propter ipsum finem Incarnationis* Christi, quæ ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo,* id est, ex ipsa Dei virtute: cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. » *(P. 3, q. 28, a. 1).*

1066. — Prop. II. *B. V. Maria fuit Virgo in partu*[1].

De fide, ex Later., sub Martino I, consult. V, can. 3. « Si quis secundum S. Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam, semperque virginem, et immaculatam Mariam ipsum Dei Filium... absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eum genuisse, indissolubili permanente et post partum ejus virginitate, condemnatus sit. »

Probatur: « Absque omni dubio asserendum est, *ait S. Thomas*, Matrem Christi etiam in partu virginem fuisse: nam propheta non solum dicit: *Ecce Virgo concipiet*, sed etiam addit: *Et pariet Filium.* (Is., VII, 14). Et hoc quidem conveniens fuit propter tria. Primo, quia hoc competebat proprietati ejus qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit.

» Secundo, hoc est conveniens quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret; unde non fuit conveniens ut Virginitatem Matris nascendo corrumperet.

» Tertio, fuit conveniens, ne Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos. » *(P. 3, q. 28, a. 2).*

1067. — NB. Quomodo autem vera parturitio cum perfecta claustri virginalis integritate conciliari possit, alii aliter explicant. S. Patres, et S. Thomas, docent, corpus Christi, virtute divina, obstacula compenetrasse, ac proinde, incorrupto remanente claustro virginali, Christum vere e Virgine nasci potuisse. « Ut claritas solis, *ait S. Amadeus*, vitrum absque læsione penetrat, sic Dei Verbum adiit virgineum habitaculum, et inde prodiit clauso Virginis utero. » *(Hom. 3 de B. V.).* — Et *S. Alphonsus*: « Quemadmodum Christus clausis januis domum, ubi erant Apostoli, intravit,ita in sua nativitate, ex castissimo Virginis utero, sine minima virginalis integritatis læsione, exivit » *(Hist. hær., c. V, n. 2).*

Virginalis ergo partus integritatem Matris non minuit, sed sacravit, atque duplicavit. « Audiat omnis ætas, *exclamat S. Augustinus*, quod nunquam audivit, virgo partu nupsit, virginitatem dum pareret,

[1] Sedlm. n. 842.

duplicavit.» *(Serm. 22 in Nat. D.).* — Et *S. Chrysol.:* « In tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata.» *(Serm. 142).*

Ex dictis intelligere licet, et quomodo divina puerpera enixa sit Regem Regum sine labore, sine dolore, sine obstetricibus, sine sordibus ullis, quæ aliorum hominum nativitatem comitantur; et cur B. Virgo legi purificationis obnoxia non fuerit. Verumtamen B. Virgo sese in templo ad legem purificationis implendam præsentavit; quod equidem summæ ejus humilitatis argumento fuit.

1068. — Prop. III. *B. V. Maria post partum Virgo permansit* [1].

De fide, ex Later. I, ut supra. — Et in Constantin. III, Act. II, dicitur: *Mariæ virginitas ante partum, in partu, et post partum intemerabilis.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Ezech. XLIV, 2): *Porta hæc clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* « Quid est porta in domo Domini clausa, *inquit S. Thomas,* nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est: *Homo non transibit per eam,* nisi quod Joseph non cognoscet eam? Et quid est: *Clausa erit in æternum,* nisi quod Maria Virgo est ante partum, et Virgo in partu, et Virgo post partum? » *(P. 3, q. 28, a. 3).*

II. **Ex Traditione,** quæ Deiparam antonomastice *Virginem* semper appellavit.

III. **Ex Ratione.** « Absque omni dubio, *ait S. Thomas,* detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, et alios filios genuisse. Hoc enim primo *derogat Christi perfectioni:* qui secundum naturam divinam unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius ejus; ita decuit ut esset unigenitus matris tanquam perfectissimum germen ejus.

» Secundo, hic error *injuriam facit Spiritui Sancto,* cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem.

» Tertio, *derogat dignitati et sanctitati Matris Dei,* quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* c. V, n. 3; Sedlm, n. 846.

virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.

» Quarto etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam revelante Angelo, de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod Mater Dei sicut Virgo concepit, et Virgo peperit, ita etiam et Virgo post partum in sempiternum permansit. » *(Loc. cit.).*

1069. — De Virginitate Deiparæ quoad virtutem animi[1].

1. *B. V. Maria a primo instanti conceptionis suæ absolutum et firmum habuit propositum perpetuam servandi Virginitatem.*

Cum B. V. Maria a primo instanti conceptionis suæ Deum ex toto corde dilexerit, atque seipsam Deo totam consecraverit, statuendum est, ei jam tum temporis in proposito fuisse ea amplecti, et quæ in se sunt perfectiora, et quæ Deo magis sunt grata. Porro virginitas perfectior est et Deo gratior quam voluntas procreandi liberos. Pie ergo credendum est, B. Virginem jam a primo instanti conceptionis suæ propositum servandi virginitatem habuisse.

2. *B. Virgo perpetuæ virginitatis propositum voto firmavit.*

Innixi verbis (Luc. I, 34): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*, S. Patres unanimiter docent B. Virginem virginitatis votum emisisse. In ea verba scribit *S. August.:* « Maria ait: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. » *(De virg. c. 4).* — Et *S. Bernardus:* « Non quærit an fiet istud, sed quomodo? quasi dicat, dum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut ne fiat istud? » *(Serm. 4 sup.* Missus est).

3. *B. V. Maria votum absolutum castitatis emisit in ipsa die Præsentationis suæ in templo.*

[1] Cf. S. Alph., Disc. III, P. 2.

Ita S. Alphonsus [1], cum aliis non paucis. — Alii tamen cum S. Thoma [2] autumant, B. Virginem non vovisse absolute virginitatem nisi post suam desponsationem cum S. Joseph.

4. *B. V. Maria prima tum tempore, tum dignitate in voto castitatis emittendo exstitit* [3].

Dicitur *prima tempore:* quia, licet multi in antiquo fœdere castitatem servaverint, nullus tamen voto eam Deo consecraverat. Dicitur *prima dignitate,* quia castitatis et puritatis perfectione B. Virgo omnes alias virgines antecellit.

Scribit *S. Alph.:* « Justa de causa, inquit B. Albertus Magnus [4], Maria appellatur *Virgo Virginum, quia, sine præcepto, consilio, exemplo, munus virginitatis Deo obtulit, et omnes virgines, per sui imitationem, in virginitate genuit.* Illud idem David jam prædixerat: *Adducentur Regi virgines post eam;... adducentur in templum Regis.* (Ps. XLIV, 15). Sine consilio, sine exemplo: quam ob rem Virginem his verbis alloquitur S. Bernardus [5]: *O virgo! quis te docuit Deo placere virginitate, et in terris angelicam ducere vitam?* Et, addit S. Sophronius [6], absque dubio Deus eo fine hanc purissimam Virginem, sibi in Matrem elegit, ut omnibus tanquam castitatis exemplar exhiberetur: *Christus Matrem Virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis.* » *(De Virtut. M. § 6).*

§ 2. *De Matrimonio B. V. Mariæ cum S. Joseph* [7].

1070. — I. *Conveniens fuit omnino B. Virginem cum S. Joseph matrimonium contrahere.*

» Conveniens fuit, *inquit S. Th., (3. q. 29. a. 1),* Christum de desponsata virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos.

» Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione. Primo quidem, ne ab infidelibus tanquam illegitime natus abjiceretur... Secundo, ut consueto modo ejus genealogia per

[1] Disc. III, P. 2. — [2] P. 3, q. 28, a. 4. — [3] Cf. Sedlm. n. 879. — [4] *Super Miss.,* q. 143. — [5] *De laud. V. M.,* Hom. 3. — [6] *De Assumpt.* — [7] Cf. Contens., c. II, spec. 3; Sedlm., n. 893 et seq.; De Rhodes, q. III, sect. 6.

virum describeretur... Tertio, ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam *ut partus ejus diabolo celaretur*. Quarto, ut a Joseph nutriretur; unde et pater ejus dictus est, quasi nutritius.

» Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primo quidem, quia per hoc redditur immunis a pœna, ne scilicet lapidaretur a Judæis tanquam adultera... Secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur... Tertio, ut ei a Joseph ministerium exhiberetur.

» Ex parte etiam nostra fuit conveniens. Primo quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex virgine natum... Secundo, quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis... Tertio, ut tolleretur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam... Quarto, quia per hoc significatur universa Ecclesia, quæ *cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo*, ut Augustinus dicit. Potest etiam et quinta ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata et virgo, quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur contra hæreticos alteri horum detrahentes. »

1071. — II. *B. Virginem inter et S. Joseph verum adfuit matrimonium* [1].

Ratio dubitandi an verum adfuerit matrimonium, desumitur ex absoluto virginitatis voto, quod B. Virgo emiserat. Enimvero, absolutum virginitatis votum vero matrimonio videtur esse obstaculo. Qua de causa non pauci docent, nullum inter B. Virginem et S. Joseph adfuisse matrimonium, et B. Joseph non verum sed putativum tantum Virginis maritum fuisse. Alii vero autumant, castitatis votum a B. Virgine post contractum matrimonium fuisse tantummodo emissum.

Cum communi tamen Doctorum sententia dicendum est, *B. Virginem, licet absolutum virginis votum jam emisisset, verum tamen cum B. Joseph matrimonium contraxisse.*

Prob. 1. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. I): *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. — Joseph autem vir ejus, cum esset justus. — Joseph, noli timere accipere Mariam con-*

[1] Cf. Sedl., n. 909.

jugem tuam. — (Luc. II): *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.* His, similibusque Scripturæ textibus, Joseph absolute, *vir* Mariæ vocatur, et Maria absolute *uxor, conjux* Joseph dicitur. Exinde verum inter ipsos adfuisse matrimonium clare manifestatur.

2. Verum inter Mariam et Josephum intercessisse matrimonium, agnoscunt S. Patres et Ecclesiæ Doctores, ut S. Ambrosius [1], S. Augustinus [2], S. Alphonsus.

3. Si verum inter ipsos matrimonium non intervenisset, tunc rationes a S. Thoma et Patribus ex parte Virginis, ad matrimonii convenientiam statuendam, allegatæ, otiosæ prorsus forent, scilicet: *ne lapidaretur a Judæis tanquam adultera; ne notam infamiæ incurreret ob inordinatæ conceptionis suspicionem.* Si enim solum cohabitationis pactum adfuisset, hoc Judæos non latuisset; ac proinde B. Virgo nec infamiam, nec pœnam tanquam adultera, vitare potuisset.

4. Perfectum virginitatis votum sive ante sive post contractum matrimonium emissum, de se verum matrimonium non impedit. In Matrimonio duo, teste S. Thoma *(P. 3. q. 29, a. 2)*, distingui debent, nimirum: *Essentia*, et *id quod consequitur ad essentiam*, seu finis matrimonii. Essentia seu forma matrimonii in quadam indivisibili animorum conjunctione consistit, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. — Id quod ad essentiam consequitur, seu finis, est prolis generatio et educatio. Cum voto castitatis utique stare non potest prolis generatio; perbene autem indivisibilis animorum conjunctio et fides inviolabilis; nec proinde virginitatis votum matrimonium quoad suam essentiam impedit.

Apposite *S. Alph.:* «Et quidem, ut sapienter monet Pichler, quanquam per matrimonium una pars comparti jus ad actus conjugales concedat, ipsum tamen matrimonium consistit in unione voluntatum, et in perpetuo animorum vinculo, non vero in usu matrimonii, qui est aliquid ad matrimonium consequens: *Matrimonium consistit in consensu mutuo, dato jure ad actus conjugales; unde copula carnalis est tantum aliquid consequens et usus dati juris...* Hanc ob causam B. V. Maria, licet perpetuo Virgo permanserit, nihilominus tamen vera fuit

[1] *De Instit. Virg.*, c. 6. — [2] *Cont. Julian.*, l. 5.

B. Josephi conjux, prout ipse Dominus B. Josepho manifestavit: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* (Matth. I, 20). Quem in textum scripsit S. Augustinus [1]: *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus». (Cont. hær., Sess. XXIV, n. 20).*

Adde huc etiam quod, *ut notat S. Th.* [2], B. Virgini Mariæ ex divina revelatione innotuit, S. Josephum etiam in proposito fuisse perpetuam servandi virginitatem, ac proinde semetipsam etiam in matrimonio illibatam servare posse virginitatem.

CAPUT II.

DE PERSONA DIVINÆ MATRIS PROUT EST SINGULARIS PERSONA.

Ut divinæ Matris persona innotescat, agendum est: I. de donis gratiæ ei concessis; II. de ejus virtutibus; et III. de ejus glorificatione in cœlis.

ARTICULUS I.

DE DONIS GRATIÆ DEIPARÆ VIRGINI CONCESSIS [3].

Dona gratiæ gratum facientis in V. Maria triplici sub respectu considerari possunt, videlicet: 1. vel in statu gratiæ nascentis: 2. vel in statu gratiæ crescentis; 3. vel in statu gratiæ consummatæ.

§ 1. *De Virginis gratia nascente, seu de prima V. Mariæ sanctificatione.*

1072. — Virginem Mariam in utero Matris suæ fuisse sanctificatam, cujusvis temporis fideles crediderunt: si enim tale privilegium Jeremiæ et Joanni Baptistæ a Deo fuisse concessum legimus, illud B. Virgini denegare nefas est.

[1] *De Nupt. et Concup.*, l. I, c. 11. — [2] *4. Sent.*, D. 30, q. 2, a. 1, q. 2, ad 2. — [3] Cf. Los Rios, *Hier. Mar.*, l. V, c. 22 et 23.

Ast inter antiquiores scholasticos viguit disputatio de instanti, quo prima illa Virginis sanctificatio contigerit, utrum scilicet B. Virgo in ipsissimo suæ conceptionis instanti fuerit sanctificata, ita ut pura omnino et immaculata, et a peccato originali totaliter immunis præservata, concepta fuerit; an in primo instanti conceptionis suæ peccatum originale contraxerit, a quo in secundo instanti, vel postea, per gratiæ sanctificantis infusionem fuerit liberata.

1073. — **Prop.** *B. V. Maria in primo instanti conceptionis suæ ab omni originalis culpæ labe præservata est immunis* [1].

De fide, ex Bulla *Ineffabilis Deus*, die 8 dec. 1854: « Declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. »

Prob. I. **Ex Script. S.** — 1. Legimus (Gen. III, 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* — Hisce verbis, quibus promittitur Redemptoris adventus, prædicitur mulierem esse nascituram, inter quam et serpentem antiquum, id est, diabolum, Deus ipse perpetuas et absolutas positurus est inimicitias; præterea hæc mulier serpentis caput conteret.

Atqui, testantur Patres et theologi communiter, hanc mulierem eam esse, de qua dicitur (Is. VI, 14): *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quam Virginem esse B. Mariam, Salvatoris Matrem, constat ex Matth. I, 18-23.

Jamvero, si B. V. Maria in peccato originali fuisset concepta, inter eam et diabolum perpetuæ et absolutæ inimicitiæ

[1] Cf. *Bullam Ineffabilis*; S. Alph. Diss. *de Imm. Concept.* (*Mor.*, l. VII, n. 244); *Cont. hær.*, sess. V, n. 19; *Glor. Mar.*, Disc. I.

positæ non fuissent; nec ipsa caput serpentis contrivisset, sed a serpente fuisset potius contrita.

Apposite *Pius IX. in Bulla Ineffabilis:* « Equidem Patres Ecclesiæque scriptores,... docuere, divino hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam ejus Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura deleus quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic Sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum eo conjuncta una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit. »

2. Legimus (Cant. IV, 7): *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* — « Hic textus, *ait S. Alph.*, litteraliter intelligitur de B. Virgine, et ex eo S. Ildephonsus et d. Thomas probant immunitatem Deiparæ ab omni culpa actuali. Si ergo ex hoc textu probatur B. Mariam nullam incurrisse actualem culpam, ex eodem etiam probatur nullam incurrisse culpam originalem; alias non esset tota pulchra. Hinc dixit Idiota (*Contempl. B. V.*, c. 3): *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati sive mortalis sive venialis sive originalis non est in te.* » (*Mor.*, l. VII. n. 252).

3. (Luc. I, 28): *Ave, gratia plena.* — His verbis omnimodam in B. Virgine inesse gratiæ plenitudinem affirmatur, quæ plenitudo cum peccato originali stare nequit.

Apposite *Pius IX, in Bulla Ineffabilis:* « Cum ipsi Patres Ecclesiæque scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et imo cum Filio perpetuæ benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* »

II. **Ex Bullis S. Pontificum.** « Sixtus IV, *ait S. Alph.*, in sua Bulla: *Cum præcelsa,* loquens de Concept. Mariæ, dicit: *De ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione.* Cur mira, nisi immaculata fuisset? » *(Mor., l. VII, n. 253. — Cf. n. 244, 1).*

« Paulus V, in sua bulla 97, emanata anno 1616, sub pœna suspensionis et aliis contentis in bulla S. Pii V, mandavit ne *audeant cujusque conditionis,* etc., *personæ, in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus aliisque actis publicis asserere B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* » (S. Alph. Mor. VII, n. 244, 3).

« Gregorius XV, in sua bulla 29, edita an. 1622, prohibitionem extendit et mandavit omnibus sub eisdem pœnis, ut supra, *ut neque etiam in sermonibus et scripturis audeant asserere quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmative aliquo modo agere seu tractare.* » (Mor. VII, n. 244, 4).

Et Pius V damnavit prop. 73 Baii: « Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. » *(Denz. n. 953).*

III. **Ex Concil. Trid.,** quod *Sess. V, can. 5,* statuit: « Declarat tamen hæc ipsa sancta synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam V. Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti P. IV, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat. »

Et Sess. VI, can. 22, ait: « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, A. S. »

« Ex quo canone, *ait S. Alph.*, certe deducitur Deipara a culpa originali immunis fuisse; nam, ut bene arguunt P. Coninch. et Spinellus, si certum est juxta Concilium et de fide divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse, certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa ma-

culam originalem non contraxit. Ratio patet, quia sicut impossibile est ut qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit, expers sit omnis peccati actualis; ita qui nullum peccatum actuale commisit, necessario impossibile est quod maculam originalem contraxerit.» *(Mor., l. VII, n. 256.)*

IV. **Ex Traditione.** Licet apud S. Patres vox *conceptio immaculata* vix occurrat, talem tamen ac tantam S. Patres B. Virgini adscribunt puritatem, quæ cujusvis peccati, etiam originalis, labem aperte excludat.

Ait *Pius IX, in Bulla Ineffabilis:* «Atque hæc quidem doctrina adeo majorum mentes animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam sæpissime compellarunt immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiæ formam, pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quæ supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta est domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quæ, solo Deo excepto, existit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim et omni exercitu Angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior, cui prædicandæ cœlestes et terrenæ linguæ minime sufficiunt.»

V. **Ex Liturgia.** Ecclesia a sæculo quinto festum Conceptionis B. Virginis celebravit; quod quidem festum, sicut declaravit Alexander VII in bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ad ipsam Virginis præservationem a labe originali in primo conceptionis instanti celebrandam, institutum est. *(S. Alph. Mor. VII, n. 244, 5, et 253).* «Non autem, *ait S. Th.*, celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto.» *(3, q. 27, a. 1).*

Quocirca scribit *S. Alph.:* «Certum est: 1. de fide esse quod Ecclesia non possit errare in materia morum. Certum est: 2. cultum Sanctorum (prout est celebratio festi præservationis Deiparæ) pertinere ad materiam morum; ad mores enim utique pertinet præstare B. V. Mariæ cultum debitum et indebitum denegare. Si ergo Ecclesia præcepit celebrari festum præservationis Dei Matris, et in hoc non potest errare, vera et certa debet esse præservationis sententia.»

VI. **Ex Consensu fidelium.** Ait *Alexander VII*, in bulla *Sollicitudo:* « Vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio,... a macula peccati originalis præservatam immunem. »

De quo consensu scribit *S. Alph.:* « His et aliis accedit sensus communis fidelium; immaculatam enim Concept. testatur Ægidius a Præsentatione *(De præserv. V.. q. VI, a. 1)*, omnes tueri religiosos ordines... Alexander VII in sua bulla, ut supra, declarat hanc sententiam celebriores academias et catholicos fere omnes complecti. Quo argumento Petavius (t. V, q. 2, l. 14, c. 2) maxime enititur ad illam probandam, et bene convincit... Ex quo enim, nisi ex communi fidelium sensu, hauritur certitudo quod Deipara, saltem ante Nativitatem, fuerit sanctificata? Ex quo certi sumus, quod eadem B. V. et anima et corpore fuerit in cœlo assumpta? Si ergo de his nemo dubitat, quomodo dubitari potest de Conceptione immaculata, quam fideles omnes tenent et defendunt? » *(Mor. VII, n. 258)*.

VII. **Ex Ratione.** 1. « Illos, *ait S. Th.*, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei... Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit... Non autem fuisset idonea mater si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud (Prov. XVII, 6): *Gloria filiorum, patres eorum:* unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset; tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit... Et ideo simpliciter fatendum est quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale. » *(3, q. 27, a. 4)*.

« Porro, *addit S. Alph.*, si ob unicum peccatum veniale, quo anima non privatur gratia, Maria idonea Dei mater non exstitisset, quanto minus idonea fuisset si peccatum originale, quo reddita fuisset et Dei inimica et mancipium diaboli, contraxisset. » *(Disc. I, P. I)*.

2. Pietas filialis exigit ut filii omnem ignominiam a parentibus, quoad ejus fieri potest, removeant. Atqui Matri

Virgini magnæ fuisset ignominiæ, si per minimum etiam instans peccato originali obnoxia et Dei inimica exstitisset. Pietas igitur filialis Verbi incarnati erga Matrem exigit, ut eam ab omni labe præservaret. *(S. A. Disc. I, P. 2).*

3. Maria a Deo constituta est Reparatrix mundi, mediatrix pacis Deum inter et homines, et generis humani coredemptrix. Atqui hæc officia expostulant ut Maria ab omni peccati labe immunis semper exstiterit. *(S. A. Disc. I, P. 1).*

4, Angeli, Adamus et Eva, in gratia et Dei amicitia creati sunt. Sed, *teste S. Bernardo:* « Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum. » *(Epist. 174).* Ergo et B. Virgini, ut in gratia crearetur, concessum est.

5. Maria Regina Angelorum constituta est. Non decet autem Angelos Reginam habere, quæ aliquando illius, quem vicerant, fuisset in dominatu.

1074. — **Quæritur I.** *Utrum B. V. Maria debitum peccati originalis contraxerit* [1].

NB. Aliud est peccatum originale, et aliud debitum peccati originalis. *Peccatum originale* est macula habitualis singulis inhærens *debitum* vero est necessitas peccatum originale contrahendi, nis proles in instanti conceptionis speciali Dei privilegio ab eo præservetur.

Debitum duplex distinguitur, scilicet: *proximum* et *remotum. Debitum proximum* est moralis quædam obligatio, qua omnes Adæ posteri, quorum voluntates ex divino decreto in voluntate protoparentis fuerunt inclusæ, et in Adamo peccaverunt, necessitatem habent ipsum peccatum, dum concipiuntur, contrahendi, nisi ab hac necessitate in instanti conceptionis divinitus eximantur. Qui illud debitum habent, in Adamo vere peccaverunt, et in conspectu Dei vere sunt peccatores.

Debitum remotum in hoc situm est quod, licet aliquis vi specialis exceptionis non fuerit in Adamo inclusus, nec in eo peccaverit, debuisset tamen, sicut cæteri homines, in Adamo includi atque in eo peccare. Quibus notatis,

Resp. *B. Virgo debitum remotum peccati originalis, non autem debitum proximum habuit* [2].

[1] Cf. Gibbon, *De Inc.,* tr. III, disp. 23, dub. 3, § 5 et 6 (p. 397); Wenzl, *Theol. schol.,* t. II, p, 779. — [2] Sedlm., n. 567 et seq.; De Rhodes, p, 240.

Prima pars conclusionis ab omnibus, paucissimis exceptis, admittitur. Etenim: Virginem Mariam fuisse a Christo Domino redemptam, necessario admitti debet; legimus enim in Bulla *Ineffabilis:* Mariam *intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris humani generis, fuisse immunem præservatam.* Atqui si B. V. Maria ne debitum quidem remotum habuisset, Redemptione non indiguisset: ut enim quisquam per alterum redimatur, necessarium est illum, qui dicitur redemptus, alicui malo fuisse obnoxium, in quod incidit, vel saltem incidisset nisi alter sibi fuisset auxiliatus. Ut ergo V. Maria intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris nostri, præservata dici possit, ipsam debitum habuisse remotum, necessario fatendum est.

Secunda pars conclusionis, in qua disseritur de debiti proximi exemptione, magis controvertitur. Bellarminus [1] cum aliis non paucis docet, B. Virginem debitum habuisse proximum: idque probare nititur tum ex textu: *In quo omnes peccaverunt* (Rom., V, 12): et (II Cor., V, 14): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* tum ex eo quod voluntates omnium, etiam Virginis Mariæ, fuerint in voluntate Adami inclusæ: ex quo sequitur B. Virginem in Adamo peccasse.

« Non obstantibus his rationibus, *ait S. Alph.,* multi doctores firmiter tuentur Mariam a necessitate contrahendi non tantum ipsum peccatum, sed etiam peccati debitum, exemptam fuisse. » *(Cont. hær., sess. V, n. 26).*

« Hæc opinio, *addit S. Doctor,* est saltem probabilis. Si enim probabile est voluntates omnium hominum in voluntate Adami, tanquam in capite totius generis humani, inclusas fuisse, prout docent Gonet, Habertus, aliique theologi, immixi his verbis S. Pauli: *In quo omnes peccaverunt:* probabile est etiam V. Mariam debitum peccati non contraxisse; pie siquidem credere possumus Deum, qui eam in ordine gratiæ ab aliis hominibus valde sejunxit, voluntatem ipsius in voluntate Adami non inclusisse. Hæc opinio est tantum probabilis; ast ego eam, utpote Dominæ meæ gloriosiorem, amplector. » *(Disc. I, concl.)*

Nec desunt rationes convenientiæ, quæ idem suadent:

a) Tanta est Mariæ sanctitas, ut in pura creatura major excogitari non possit. Atqui si Maria debitum proximum contraxisset, major sanctitas posset excogitari.

b) Si Maria in Adamo peccasset, in conspectu Dei quatuor mille annos peccatrix permansisset; quod autem de ea, quæ a Deo tota pulchra et amica vocatur, dici non potest.

c) Maria, si in Adamo peccasset, non foret creatura pura per excellentiam; quippe non fuisset victrix peccati ex omni parte, et ab Angelis puritate fuisset superata.

[1] *De Amiss. Grat.,* l. IV, c. 16; cf. S. Alph., sess. V, n. 25.

1075. — **Scholium.** *Ex dictis colligitur quonam modo Maria a Christo redempta sit.* — « Neminem latet, *ait S. Alph.*, Filium Dei magis ad redimendam Mariam, quam ad redimendos omnes alios homines, in mundum venisse... Atqui, teste Suaresio [1]: *Duplex est redimendi modus: unus, redimendo lapsum: alter, præveniendo jamjam lapsuram, ne cadat.* Et sine dubio, addit S. Antoninus [2], secundus hic redimendi modus est nobilior;... eo enim modo præcavetur etiam damnum seu macula, quæ lapsum semper concomitatur. Quæ cum ita sint, credere debemus, ait S. Bonaventura [3], Mariam nobilissimo hocce modo, prout Matrem Dei decebat, fuisse redemptam. *Credendum est enim quod novo sanctificationis genere, in ejus conceptionis primordio, Spiritus Sanctus eam a peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit...* Quod eleganter expressit cardinalis de Cusa [4]: *Præliberatorem Virgo sancta habuit, cæteri Postliberatorem.* » (Disc. I, P. 2).

1076. — **Quæritur II.** *Quænam fuit in Virgine Maria primæ gratiæ perfectio* [5].

Respondeo: Gratia in primo instanti B. Virgini collata, plures intensive gradus habuit, sicut valde probabile est, quam gratia ulli unquam homini vel Angelo data; imo valde probabile est, eam fuisse intensiorem gratia omnibus Angelis et hominibus simul collective sumptis concessa.

Hanc conclusionem fuse evolvit et egregie probat S. Alphonsus, in *Gloriis Marianis*, Disc. II, Parte I:

Prob. I. **Ex Auctoritate theologorum;** fere omnes, qui de B. V. Maria scripserunt, ut Suarez, de Rhodes, Vega, Spinelli, Contenson, Sedlmayer, etc., hanc doctrinam admittunt et probant. Eamdem tenent S. Bonaventura, *in Speculo, c. 2;* S. Thomas a Villa Nova, *sermo III, de Nativ. B. M.;* S. Bernardus Senensis.

[1] *De Inc.*, P. II, d. 3, s. 5. — [2] P. I, t. 8, c. 2. — [3] *De B. V.*, serm. 2. — [4] *Excit.*, l. 8, sicut ¡lil. — [5] Cf. Sedlm., n. 650 et seq.; De Rhodes, p. 242; Guerra, t. II, p. 130 et seq.

II. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. 86): *Fundamenta ejus in mortibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quæ verba a Patribus ita de B. Virgine exponuntur, quasi dicat David: Ubi consummantur et desinunt alii, ibi Virgo incipit. — Davidi consentit Isaias c. II: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles;* gratia enim, ut interpretatur *S. Gregorius* [1], quæ aliis vertex fuit et apex, Mariæ radix fuit atque fundamentum.

III. **Ex Ratione.** *a) Ex dignitate Matris Dei.* — Dignitas Matris Dei, ad quam a primo conceptionis instanti electa est Maria, major est dignitate Angelorum et hominum simul sumptorum, etiam cum ad suæ perfectionis apicem pervenerint. Sed, *ut testatur S. Thomas* [2]: « Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur. » Ergo etiam prima gratia Mariæ major fuit gratia Angelorum et hominum simul sumptorum.

b) Ex titulo Mediatricis. — Sancti Patres, et ipsa Ecclesia, Deiparam prædicant Mediatricem Deum inter et homines, et horum apud Deum advocatam; quod officium a primo conceptionis instanti B. Virgo jam suscepit. Necesse est autem ut mediator magis sit gratus ei, apud quem est mediator, magisque ab eo diligatur, quam illi, pro quibus mediatoris officio fungitur. Cum igitur V. Maria hominum sit atque Angelorum mediatrix, necesse est ut Deo sit magis grata; et per consequens, ut in ea major gratia, quam in omni angelica et humana creatura, reperiatur.

1077. — Quæritur III. *Quænam dona supernaturalia Virginis gratiam nascentem concomitata sunt.*

Resp. Eximia sunt dona, quæ primæ Virginis gratiæ adjecta sunt; inter ea eminent:

1. *Perfectus usus rationis* [3]. — « Maria, *ait S. Alph.*, quo instanti in sinu matris gratiam accepit sanctificantem, in eodem et perfectum etiam usum rationis, et summum fidei lumen

[1] In I Reg., 1. — [2] P. 3, q. 27, a. 5. — [3] Cf. Sedlm., n. 624; Novati, T. I, c. III, q. 17; Suarez, In III P., q. 27, disp. IV, s. 7.

proportionatum gratiæ qua erat ornata, accepit. » *(Disc. II, P. 2).* — Angelis enim, primisque nostris parentibus ex speciali privilegio concessum est, tum ne in infantili statu unquam existerent, tum ut Deum semper et absque omni ætatis impedimento cognoscerent; ergo nec Virgini Matri tale privilegium denegandum est.

2. *Virtutes heroicæ, dona Spiritus Sancti, et gratiæ gratis datæ.* — « V. Mariæ, *ait Contenson* [1], primum collatus fuit virtutum omnium infusarum ornatus in gradu heroico; essentiæ enim correspondent proprietates consentaneæ: ergo immensam Mariæ gratiam comitata est innumerabilis honestas virtutum, quibus prompte, expedite et perfectissime posset operari in ordine supernaturali, modo Matri Dei convenienti. Data est etiam ei donorum Spiritus Sancti beatissima copia, qua veluti dote Divinus Paracletus Mariam sibi subarrhavit et oppigneravit, utque eam in omnibus animæ motibus et corporis gressibus semper dirigeret, quæ nunquam erat in ullam peccati venialis, vel imperfectionis labem, ruitura. »

Gratiæ etiam gratis datæ Mariæ in primo illo instanti partim concessæ, et partim præparatæ fuerunt; imo B. Virgo plenius, quam ulla alia pura creatura, hæc dona habuit.

3. *Justitia originalis.* — Maria cum prima gratiæ infusione justitiam originalem quoad præcipuos ejus effectus accepit [2]. Dono originalis justitiæ homo Deo perfecte subjiciebatur, et inferiores hominis potentiæ superioribus perfecte subditæ erant: quod in primis parentibus per gratiam et virtutes cum externa Dei protectione contingebat. Utraque subjectio in Maria fuit perfectissima.

« A culpa originali utpote exempta, *ait S. Alph.*, (Maria) eo ipso ab omni terreno vinculo, ab omni motu inordinato, ab omni mentis evagatione, ab omni sensuum rebellione, quæ eam, quominus in amore divino semper magis cresceret, impedire potuissent, immunis existebat; omnes etiam ejus sensus cum ratione, ad Deum ut tenderent, concordabant. Et ita pul-

[1] L. X, diss. VI, c. 1, spec. 2. — [2] Cf. Sedlm., n. 607; Guerra, *De Gratiis et Virt. Mariæ,* T. II, pag. 59.

cherrima Virginis anima, ab omni obstaculo expedita, nec unquam lassa, ad Deum indesinenter assurgebat, ipsum indesinenter amabat, et in ejus amore semper crescebat.» *(Disc. II, P. 2).*

4. *Exstinctio fomitis* [1]. — Fomes est: *Appetitus sensitivi propensio ad motus rectæ rationi repugnantes* (Polm.). — Fomes vel in actu primo, vel in actu secundo considerari potest. — Omnes unanimiter docent, fomitem in actu secundo in Virgine Maria nunquam exstitisse: nam quodlibet peccatum, quantumvis parvum, quælibet imperfectio etiam minima, quilibet actus inordinatus etiam primo primus, omnimodam Matris Dei sanctitatem atque puritatem dedecent.

Sin autem de fomite in actu primo quæstio moveatur, tunc dissentiunt auctores. Alii, freti auctoritate D. Thomæ, docent, fomitem in prima Virginis sanctificatione fuisse tantum ligatum, et in Conceptione Verbi fuisse prorsus exstinctum. — Alii vero communius admittunt in prima Virginis sanctificatione exstinctum jam fuisse fomitem, quamvis in divini Verbi Conceptione perfectius adhuc fuerit exstirpatus. Et cum hæc secunda sententia B. Virgini videatur gloriosior, ipsam amplectimur; nec, eam cur suadeamus, deest ratio: Virgo enim Maria in prima sua sanctificatione justitiam originalem in gradu perfectissimo accepit; jamvero in primis parentibus, antequam peccarent, fomes non adfuit. Admittere igitur possumus, nec in Virgine Maria post primam suam sanctificationem fomitem adfuisse.

5. *Impeccabilitas.* — Virginem Mariam nec mortale nec veniale unquam commisisse peccatum, dogma fidei est, ex Trident., Sess. VI, can. 23; et iisdem probatur Scripturæ testimoniis, quibus ejusdem a peccato originali immunitas.

In asserenda Virginis impeccabilitate, Tridentino præiverant S. Patres. Scribit *S. August.*: « De S. Virgine Maria, propter honorem Christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus quod ei plus gratiæ

[1] Cf. Gibbon, *De Inc.*, Tr. III, Disp. 24, dub. 1, p. 404; Guerra, T. II, p. 173-186.

collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit cum quem constat nullum habuisse peccatum.» *(De Nat. et gr., c. 36).* — Ratio est, quia si B. Virgo vel unum commisisset peccatum veniale, idonea Dei Mater non fuisset, ut supra *(n. 1073, VII)* ex S. Th. comprobatum est.

B. Virginem peccare non potuisse, communis est Doctorum sententia. — Præter eximiam gratiam sanctificantem, qua B. Virgo ornata erat, plura ad hanc impeccabilitatem ei conciliandam concurrebant: continua scilicet Dei invigilantis providentia, custodia singularis Angelorum custodum; gratiarum efficacium ininterrupta series; exstinctio fomitis; virtutes heroicæ et dona Spiritus Sancti; perpetua contemplatio, qua V. Maria absque interruptione in Deo quiescebat; et immensus amor, quo erga Deum cor ejus indesinenter flagrabat.

6. *Scientia eximia divinitus infusa* [1]. — B. Virgo una cum gratia sanctificante, cognitionem mysteriorum fidei divinitus infusam accepit. Ait *S. Bernardus:* « Quæ et plene de omnibus a principio fuerat instructa mysteriis. » (*Hom. IV, super* missus est). — Et *Dionys. Carth.:* « Ab initio B. V. habuit splendidissimam et exuperantissimam sapientiam sibi infusam. » *(In Cant. V).* Qua de causa, quidquid divinitus fuerat revelatum, ut mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, etc., id omne ab initio cognovit.

Ad scientias naturales quod attinet, affirmant nonnulli B. Virginem omnium scientiarum naturalium cognitionem divinitus infusam in sua prima sanctificatione accepisse; alii vero docent B. Virginem solas accepisse scientiarum naturalium cognitiones, ad omnimodam et perfectissimam Sacrarum Scripturarum intelligentiam necessarias.

§ 2. *De Virginis Gratia crescente.*

1078. — Gratia habitualis dupliciter crescere potest: vel ex opere operato, per Sacramentorum scilicet susceptionem;

[1] Cf. Suarez, In P. III, q. 38, disp. 19; Novati, T. II, c. 1; Guerra, *De Gratiis et Virt. Deip.*, T. II, p. 64 et seq.

vel ex opere operantis, per bona scilicet opera, quibus gratiæ augmentum aliquis sibi meretur.

Duplici hocce modo gratia B. Virginis augmentum suscepit.

I. *B. Virginis gratia crevit ex opere operato.* — B. V. Maria plura suscepit novæ Legis Sacramenta, ut Baptismum et Eucharistiam; imo S. Eucharistiam sæpissime et perfectissime recepit. Ex hac Sacramentorum susceptione, propter ejus perfectissimam dispositionem, Virginis gratia ex opere operato immensum accepit augmentum.

Præterea, quibusdam in circumstantiis, ut die Pentecostes, die mortis et resurrectionis Christi, vel quando Christum manibus contrectavit, lactavit, etc., tunc ex speciali privilegio, Maria, non quidem sine dispositione aliqua meritoria, sed tamen supra omne meritum, maximam gratiæ effusionem accepit. Inter istas circumstantias primum locum obtinet divini Verbi Incarnatio; in qua, ut communiter docent Doctores, et Maria plus meruit, quam omnes aliæ creaturæ mereri possent [1], et, præter gratiæ augmentum ex merito, Christus virgineum ingrediens uterum, tantam Matri gratiæ copiam atque plenitudinem contulit, ut hæc gratiæ effusio recte *secunda Virginis sanctificatio* vocetur. *(S. Alph., Disc. IV, P. 1).*

1079. — II. *B. Virginis gratia crevit ex opere operantis.* — Perfectio meriti ex opere operantis multiplici dependet a causa: desumitur enim tum ex substantiali actuum perfectione, tum ex eorum numero et continuatione, tum ex motivo, ex quo actus ponuntur, tum denique ex modo, quo fit meriti augmentum. Jamvero quocumque in meritum Mariæ respexeris, perfectissimum reperies.

1. *Substantialis actuum perfectio* [2]. — Toto vitæ decursu Maria altissimæ semper contemplationi fuit dedita, nec flagrantissimis caritatis actibus unquam supersedit.

Præterea, per undecim annos, quos in templo Jerosolymitano transegit, in orationibus, vigiliis, jejuniis, piis lectionibus assidue versabatur, magnamque diei partem in operibus

[1] S. Alph., Disc. IV, P. 1. — [2] Cf. S. Alph., Disc. II, III, IV, VII; Et: *De virtutibus B. Virg.*

et laboribus ad templum et Dei cultum spectantibus, quin mens ejus a Dei contemplatione averteretur, consumebat.

Postea Filium Dei concepit, in utero gestavit, peperit, educavit, in Ægyptum portavit; Christum ubique secuta est, eum audivit prædicantem, eum vidit morientem et resurgentem; et cum eo in procuranda hominum salute adlaboravit.

Post Christi ascensionem, per affectum tota in cœlis cum Filio vivebat, ad cœlum indesinenter suspirabat, et altiori adhuc contemplationi et ferventiori caritati erat addicta. Loca insuper, ubi Christus natus, educatus, et passus est, frequenter invisebat; atque Apostolos in propaganda et firmanda nascente Ecclesia enixe adjuvabat.

Qui actus quoad substantiam adeo sunt præstantes, ut altiores et perfectiores excogitari nequeant.

2. *Actuum numerus atque continuatio.* — B. V. Maria non tantum supradictis actibus meruit, sed etiam cunctis actibus vitæ suæ, etiam vitæ sensitivæ, ita ut nullus actus, qui Virginis meritum non adauxerit, in ejus vita possit reperiri.

Præterea, sine ulla interruptione B. Virgo actus meritorios posuit, quibus ne somnus quidem fuit obstaculo [1]. — In primo suæ conceptionis momento jam cœpit operari [2], nec ab operibus ad ultimum vitæ halitum unquam cessavit. A fomite peccati immunis, illis caruit impedimentis, quæ alios homines tam sæpe ab opere revocant. Exinde, quot et quanta fuerint Virginis opera meritoria, intelligere licet.

Actus caritatis speciatim fuerunt innumerabiles, et adeo continui, ut tota Virginis vita unicus et continuus amoris actus dici debeat.

« Quia benedicta anima Virginis, *ait S. Alph.*, fere semper in Dei contemplatione versabatur, ejus actus amoris innumerabiles fuerunt, ut docet Suarez [3]: *Actus perfectæ caritatis, quos B. Virgo habuit in hac vita, innumerabiles fuerunt, quia fere totam vitam in contemplatione transegit, in qua hunc amoris actum frequentissime repetebat.* Mihi vero magis arridet Bernardini a Bustis [4] sententia, Mariam scilicet non repetitos actus amoris elicuisse, quemadmodum alii Sancti faciunt, sed

[1] Cf. S. Alph., *De virt. B. V.*, § 2. — [2] S. Alph., Disc. II, P. 2. [3] *De Inc.*, P. II, d. 18, s. 4. — [4] *Mariale*, P. II, s. 5.

speciale habuisse privilegium Deum sine interruptione, actu unico et continuo, semper actualiter amandi: *Tamen ipsa gloriosissima Virgo, de privilegio singulari, continue et semper Deum amabat actualiter.* » (De Virt. B. V. § 2).

3. *Motivum, ex quo actus ponuntur.* — In actibus humanis, sed præsertim in operibus supernaturalibus, non tam operis substantia consideranda est, quam motivum, ex quo, et fervor, quocum ponitur opus. Hac etiam ex parte immensitas meriti B. Virginis in manifesto ponitur. Actus suos omnes, etiam minimos, V. Maria ex caritate intensissima, et flagrantissimo Deo placendi desiderio, posuit. Quam ob causam, etiamsi quoad substantiam opera Mariæ fuissent exigua, maximi tamen et quasi infiniti fuissent pretii.

4. *Modus, quo Virginis meritum augetur.* — Quolibet actu B. Virgo meritum suum duplicavit et gratiam [1]. — Duo sunt principia a theologis communiter admissa, scilicet: *a)* Actum bonum meritorie gratiam sibi omnino æqualem in numero graduum producere; v. gr., actum intensum ut quatuor, producere gratiam ut quatuor. — *b)* Mariam secundum totam activitatem et virtutem gratiæ atque habitus semper operatam esse; secus enim quædam in ea adfuisset imperfectio. — Ex his duobus principiis rigorose sequitur B. V. Mariam, ut quæ semper secundum totam activitatem gratiæ præcedentis sit operata, quolibet actu meritum suum atque gratiam duplicasse.

« Perhibent plures magni nominis theologi, *ait S. Alph.*, animam, quæ virtutis habitum possidet, quoties actuali gratiæ, quam a Deo accipit, fideliter correspondet, toties talem actum producere, qui magnitudine habitum coæquet; ex quo sequitur, ipsam quolibet actu novum accipere meritum, quod summam meritorum jam antea acquisitorum, quæ exinde duplicatur, coæquat.

» Hoc meritorum augmentum, addunt iidem Doctores, Angelis, in via dum versarentur, concessum fuit. Sin autem Angelis fuit concessum, quomodo Matri Dei, dum in terris degeret, denegatum fuisset?.. Igitur, quam in sua conceptione accepit sublimem gratiam, illam quolibet momento Maria duplicavit. Enimvero, sua completa et undequaque perfecta cooperatione gratiæ in quolibet actu, quolibet momento suum meritum duplicavit, ita ut, si in primo instanti mille

[1] Cf. De Rhodes, p. 247.

gratiarum gradus habuit, in secundo habuerit duo millia, quatuor millia in tertio, octo millia in quarto; sedecim millia in quinto; in sexto momento jam triginta duo millia gratiarum gradus possederit. » *(Disc. II, P. 2)*.

§ 3. *De Virginis gratia consummata.*

1079. — Quæ de Virginis gratia consummata dicenda occurrunt, ex supra dictis tanquam corollaria deducuntur. Qui enim et magnitudinem marianæ gratiæ in suo ortu, et ejus ineffabile augmentum per totius vitæ cursum diligenter fuerit scrutatus, is modulo quodam, quanta fuerit B. Virginis gratia consummata, suspicari poterit. Quatuor igitur conclusiones hic breviter indicare sat erit.

I. *Gratiæ cumulus, quem in fine vitæ habuit Deipara, tantus est, ut nulli intellectui creato, humano vel angelico, sit comprehensibilis, sed soli Deo sit mensurabilis.*

Legimus in Bulla *Ineffabilis*, B. Virginem tantam innocentiæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferre, *qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam, præter Deum, nemo assequi cogitando potest.*

Idem ratione suadetur: Meritum B. Virginis quolibet actu fuit duplicatum. Ex hoc autem crescendi modo sequitur, meritum parvo etiam actuum numero ita augeri, ut illud nec lingua exprimere, nec intellectus creatus intelligere valeat. Quid autem, si per annos septuaginta duos, quibus vixit Maria, quolibet momento gratiam duplicatam esse cogitemus?

II. *Si gratia Virginis consummata cum gratia hominum vel Angelorum, etiam collective sumptorum, comparetur, ab hac infinite distat.*

Si enim, ut supra notatum est *(n. 1076)*, Virginis gratia nascens omnium Beatorum gratiam superat, hoc a fortiori de ejusdem gratia consummata affirmandum est.

III. *Gratia Virginis consummata est tota illa gratiæ intensio, quam Deus de potentia ordinaria puræ creaturæ concedere potest.*

Gratia, qua B. Virgo fuit adornata, in ordine ad divinam maternitatem eidem concessa fuit; ac proinde gratia ipsam divinam maternitatem excellentia quodam modo æquare debet. Sed divina maternitas est dignitas infinita, qua majorem Deus nulli puræ creaturæ concedere potest. *(Cf. n. 1056).* — « Tanta Virgini data est gratia, *ait S. Bernardinus*, quantum uni puræ creaturæ dari esset possibile. » *(Conc. 61).*

IV. *Gratia Mariæ est quodammodo infinita.*

Gratia B. Virginis, utpote quid creatum et consequenter finitum, infinita sensu stricto vocari nequit; sed dicitur infinita *sensu lato*, seu *indefinita;* et hoc quidem, tum quia B. Virgo gratiam dignitati Matris Dei suo modo infinitæ proportionatam possidet; tum quia maximam possidet gratiam, quam Deus de potentia ordinaria alicui puræ creaturæ elargiri possit; tum demum quia tanta est Virginis gratia, quam nullus intellectus creatus assequi cogitando valeat.

ARTICULUS II.

DE DEIPARÆ VIRTUTIBUS [1].

1080. — « Quamvis in evangelica narratione, *ait S. Alph.*, non multa de Deiparæ virtutibus scripta inveniamus, attamen, per hoc quod Maria prædicatur plena gratia, eam omnes virtutes, et quidem in gradu heroico habuisse, sufficienter edocemur. » *(De Virt. B. M.)*

Quanta fuerit in Deipara Virgine virtutum perfectio, ex triplici præsertim fonte deducere licet: 1. *Ex divinæ Maternitatis dignitate.* — Virtutes Virginis Mariæ congrua fuerunt dispositio ut digna Dei Mater fieret: ejus igitur virtutum excellentia dignitatem divinæ maternitatis quodam modo adæquat. Porro divina Maternitas dignitas est infinita, ad quam proinde dispositio aliquo modo infinita etiam requiritur. — 2. *Ex gratiæ sanctificantis magnitudine.* — Virtutes infusæ e gratia tanquam ex radice fluunt, eique semper proportionantur. Jam-

[1] Cf. S. Alph., *De Virt. V. M.*; De Rhodes, q. IV, sect. 8, § 1.

vero Virginis gratia sanctificans fuit intensissima; ergo et virtutes ex ea dimanantes in gradu summo exstiterint, necesse est. — 3. *Ex summo amore*, quo Deus Virginem Mariam diligebat.

1081. — B. V. Mariam ab initio conceptionis suæ, et virtutes omnes in gradu heroico accepisse, et in eis sine intermissione crevisse, et eas quolibet momento intensione duplicasse, communis est Doctorum sententia: quod ex eis, quæ de gratia Virginis crescente supra prolata sunt, manifeste sequitur. De perfectione virtutum B. Virginis in fine vitæ suæ idem ac de gratia ejus consummata dicendum est. Nullus igitur intellectus creatus virtutum Mariæ magnitudinem intelligendo assequi valet, sed solus Deus earumdem celsitudinem et sublimitatem cognoscere potest.

NB. De virtutibus Deiparæ in specie verba proferre, per compendii limites non licet; de his cf. S. Alphonsum, *De virtutibus B. V.*; Spinelli, *Maria thronus Dei*; Guerra, *De gratiis et virtutibus V. Mariæ*. Unum tamen inquirere juvat, scilicet.

1082. — Utrum B. V. Maria Martyr possit appellari [1].

Resp. I. *B. V. Maria vere et formaliter Martyr appellari debet.* — Ad rationem martyrii non requiritur ut alicui mors violenta *actu* inferatur, sed satis est si propter Christum aut aliquam virtutem christianam tanto cruciatu aliquis afficiatur, ut, perpensis naturæ viribus, mortem subire debuisset. Sic, v. g., plures qui in tormentis morte non occubuerunt, ab Ecclesia tanquam veri martyres coluntur.

Jamvero, in passione Christi *tantus fuit dolor Virginis*, ait S. Bernardinus, *quod si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subito interirent. (T. I, sermo 61).* — Et *S. Anselmus*, ait: « B. Virgo in passione Christi vere interiisset præ magnitudine doloris, nisi ab eo præservata fuisset. » *(De excell. Virg., c. 5).* — Et *S. Alphonsus:* « Non ferro carnificis, sed acerbo dolore cordis cruciata fuit B. Virgo. Sin ejus corpus carnificis gladio non occubuit, cor ejus propter Christi passionem tanto transfixum fuit dolore, qui sufficiens

[1] Cf. S. Alph. *De dolor. M.*

existeret ut illi non semel tantum, sed millies mortem inferret. Quod nobis argumento est Mariam vere fuisse martyrem, ipsiusque martyrium omnium aliorum martyrum dolores superasse. » *(De dolor. M., disc. IX).*

Resp. II. *B. V. Maria est Regina Martyrum.* — Hoc titulo Maria ab Ecclesia salutatur. — Mariam esse Reginam Martyrum probat S. Alphonsus. *(loc. cit.):* 1. *ex dolorum diuturnitate;* B. Virginis martyrium aliorum martyrum cruciatus diuturnitate superat; hi siquidem cruciatus per tempus brevissimum sustinuerunt; dolores vero Virginis per totum vitæ cursum duraverunt. — 2. *Ex dolorum magnitudine;* B. Virginis dolores magnitudine dolores aliorum martyrum superant, secundum illud prophetæ (Thren., II, 13): *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exæquabo te et consolabor te, Virgo, Filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua.* Imo, dolores Virginis omnia Martyrum tormenta, etiam collective sumpta, superant, sicut testatur S. Ildephonsus: *Parum est Mariam in passione Filii tam acerbos pertulisse dolores, ut omnium Martyrum collective tormenta superet.* (Sinisc. Mart. M. conc. 36).

Quo magnitudinis tormenta B. Virginis processerint, ex quatuor præsertim manifestum est: 1. Alii martyres in corpore, B. Virgo in anima tormenta sustinuit, secundum illud: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Porro, quanto anima corpore est nobilior, tanto dolores animæ corporis doloribus antecellunt.

2. Martyres propriam vitam Deo in holocaustum donarunt: B. Virgo vitam obtulit dilecti Filii sui, quem infinite plus quam seipsam amabat; et ideo de Filii tormentis magis doluit, quam si eadem ipsa sustinuisset.

3. Martyres, dum cruciarentur in corpore, in anima inenarrabili amoris dulcedine perfundebantur; et quo major erat eorum caritas, eo mitior eis videbatur tormentorum acerbitas. B. Virgo omni consolatione destituebatur, ita ut ad instar Christi purum dolorem sustinuerit; et quo major erat ejus dilectio erga Christum, eo vehementior exstitit dolor, quem, Christo patiente, in corde persensit.

4. Qua mensura Virginis amorem erga Christum, eadem ipsius dolorem metiri oportet; « unde, sicut non fuit amor sicut amor ejus, ita nec fuit dolor similis dolori ejus; » *ait Rich. a S. Vict. (In Cant., c. 26);* — et *S. Bonaventura:* « Nullus dolor amarior, quia nulla proles carior. » *(Off. de Comp. B. M.)* — Ex quibus manifestum est quomodo B. Virgo,

stans juxta crucem Jesu, nos his verbis Jeremiæ compellare possit (Thren., I, 12): *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.*

ARTICULUS III.

DE VIRGINIS MARIÆ GLORIFICATIONE.

Duo sunt in hoc articulo investiganda, nimirum: 1. gloriosa Virginis assumptio; 2. ejus glorificatio in cœlis.

§ 1. *De gloriosa Virginis assumptione* [1].

1083. — Emortua Virgine, beata ejus anima in cœlos statim assumpta est, atque tanquam regina ad dexteram Filii astitit. De hac autem Virginis animæ transmigratione non loquimur; sed agimus de ejus corporis assumptione in cœlum; qua factum est ut B. V. Maria vere et perfecte jam resurrexerit, atque in cœlis quoad animam et corpus consummata fruatur beatitudine.

1084. — **Prop.** *B. V. Maria vere resurrexit et quoad animam et corpus assumpta est in cœlum.*

Hæc propositio non est de fide definita, cum nulla de ea exstet solemnis definitio; est tamen de fide definibilis, ut constat ex postulato quod Patres Concilii Vaticani suppliciter Pio IX obtulerunt, ut Virginis assumptionem tanquam dogma fidei proclamare dignaretur [2]; imo potest dici de fide ex ordinario Ecclesiæ magisterio *(cf. n. 31)*.

Prob. I. **Ex Script. S.** « Licet Scriptura corpoream B. Virginis assumptionem expresse non asserat, *ait Gotti* [3], ex variis tamen ejusdem textibus colligi aliqui existimarunt. Primo

[1] Cf. S. Alph. Disc. 7 et 8; Vaccari, *De gloriosa Virg. assumptione*; Gotti, *De Vera Relig.*, Tract. V, c. 41. — [2] Cf. Coll. Lacencis, T. VII, p. 868; Vaccari, c. V, art. 3, p. 231. — [3] *Loc. cit.*, § 2; Cf. S. Th. III, q. 27, a. 1; Vaccari, c. VII, a. 1, p. 247.

ex illo Psalmi (CXXXI): *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ;* id est, surge, Domine, a mortuis, cape requiem gloriæ non solum Tu, sed et Mater tua, Arca Novi Testamenti, quæ novem mensibus in se clausum Te gestavit. Hunc sensum probant Juvenalis, Damascenus, Nicephorus, et ex recentioribus Hugo Cardinalis, Canisius, Bellarminus, Salmeron et alii.» His adstipulatur S. Alphonsus [1].

II. **Ex Traditione.** Ecclesiastici scriptores sæculi II et III de Virginis corporea assumptione siluerunt, vel saltem nullum eorum testimonium ad nostra usque tempora pervenit [2]. Ast apud scriptores et Patres sæculi IV et sequentium de ista veritate testimonia perspicua occurrunt. Legimus in postulato a Patribus Vaticanis Pio IX oblato: « Gregorii Turonensis, Andreæ Hierosolymitani, Gregorii Magni Pontificis, Ildephonsi Toletani Episcopi, Joannis Damasceni, Bernardi abbatis assertiones præclare ostendunt Beatissimam Virginem placida morte terris creptam in cœlis statim assumptam fuisse. »

III. **Ex concordi theologorum Doctrina** [3]. Apostolicam traditionem de Virginis assumptione corroborat concors theologorum et scholasticorum doctrina. Sæculo XIII reperimus Albertum Magnum, Alensem, S. Bonaventuram, et præsertim D. Thomam, qui pluribus in locis corpoream Virginis assumptionem tradit. « Tertia maledictio, *ait S. Doctor*, fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est in cœlum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in cœlum. » *(Op. S).* — Hos sacræ theologiæ magistros secuti sunt fere omnes, qui de Virginis laudibus scripserunt.

IV. **Ex Liturgia** [4]. Ab antiquioribus jam temporibus sancivit Ecclesia, ut festum corporeæ Virginis assumptionis in cœlum solemniter celebraretur, sicut ex publicis monumentis et concordi utriusque Ecclesiæ traditione constat. Sed « legem

[1] Disc. VIII, P. I. — [2] Vaccari, c. III, a. 1. — [3] Cf. Vaccari, c. V, p. 183. — [4] Vaccari, p. 57, 85, 233.

credendi lex statuit supplicandi [1]. » — Et *Benedictus XIV* [2], ait: « Denique, quod caput est, si Ecclesia non modo assumptam in Cœlum Virginem celebrat die 15 Augusti et aliis sequentibus, sed etiam homilias Sanctorum Damasceni et Bernardi legendas fidelibus tradit, quæ corpore simul et anima assumptam disertissimis verbis affirmant, de ejus auctoritate ac suffragio neutiquam dubitandum esse videtur. »

V. **Ex Rationibus congruentiæ:** 1. Corruptio corporis post mortem est pœna peccati. Cum ergo B. Virgo ab omni peccati labe fuerit immunis, conveniens omnino fuit ut sanctissimum ejus corpus ab incineratione præservaretur.

2. Nusquam terrarum invenitur aliqua pars corporis Mariæ venerationi exposita. Sed non concedi potest, Deum, qui aliorum Sanctorum corpora jam in terris glorificat, permissurum esse ut corpus Virginis ingloriosum in aliquo ignoto loco jaceat.

3. Caro Christi est caro Mariæ; sed non decuit carnem Christi videre corruptionem in sepulcro, secundum illud Psalmi: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ergo nec caro Mariæ debuit in sepulcro corrumpi, sed in cœlum assumi, ut matris gloria corporalis in Christum redundaret.

4. *Ubi ego sum, illic et minister meus erit* (Joan., XII). Hæc est divina promissio ministris Christi facta. Sed B. Virgo modo specialissimo ministravit Christo, cui ex proprio sanguine corpus præbuit, et quem proprio lacte aluit. Consentaneum est igitur ut B. Virgo, specialissimo et perfectissimo modo, anima scilicet et corpore, in cœlis cum Filio suo regnet. — Igitur « tanta certitudine, *dicimus cum Gotti* [3], gloriosa B. Virginis assumptio in corpore tenenda est, ut sine temeritatis aut etiam erroris labe negari non possit. »

1085. — Quæritur. *Quonam tempore B. Virgo in cœlum assumpta fuerit* [4].

Resp. Communis traditio tenet B. Virginem, Filii sui in omnibus perfectam imitatricem, triduo in sepulcro remansisse. Sepulto enim

[1] *In append. ad Epist., Cœlest. I. ad Episc. Gall.;* Vaccari, p. 53. — [2] *De Canon. Sanct.* L. I, c. 42, n. 15. — [3] *De Ver. Relig.* T. IV. — [4] Cf. Sedlm., n. 1686.

ejus venerando corpore, Apostoli toto triduo ad Virginis sepulcrum remanserunt, quo tempore divinis carminibus fuerunt recreati. Tertia die, adveniente Apostolo Thoma, qui solus Virgini morienti non adstitit, in ejus gratiam Apostoli sepulcrum aperuerunt, nec quidquam amplius nisi sepulcralia linteamina rite composita, in eo invenerunt.

NB. *De comitatu Virginis in cœlum ascendentis, cf. S. Alphonsum, Disc. VIII.*

§ 2. *De Gloria B. Virginis in cœlis.*

1086. — Essentialis cujusque Sancti beatitudo considerari potest vel intensive vel extensive: *intensive,* quando consideratur quoad numerum graduum gloriæ essentialis, quam quis assecutus est; *extensive,* quando relative ad numerum objectorum, ad quæ scientia beatorum sese extendit, consideratur [1].

1087. — **Prop.** *Deiparæ Virginis beatitudo essentialis, sive intensive sive extensive consideretur, major est quam beatitudo omnium Sanctorum et Angelorum simul sumptorum* [2]. — Communis.

Prob. I. Pars, *quoad beatitudinem intensive sumptam.*

I. **Ex Traditione.** Virginis immensam gloriam Patres Ecclesiæque Doctores laudibus extollunt. Ait *S. Ildephonsus:* « Sicut incomprehensibile est quod gessit, ita et incomprehensibile præmium et gloria ultra omnes Sanctos, quam promeruit. » *(De Assumpt., s. 2).* — Et *S. Ephrem:* « Nulla comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior. » *(De laud. M.).* — Et *B. Albertus Magnus:* « Visio Virginis Matris super omnes creaturas improportionabiliter contemplatur majestatem Dei. » *(Sup. Miss., q. 61, § 5).*

II. **Ex Ratione.** 1. Gloria in cœlis gratiæ, quam quis in mortis articulo habuit, perfecte correspondet. Atqui compertum est, gratiam Virginis consummatam esse prorsus incomprehensibilem, et infinite majorem gratia omnium Sanctorum atque Angelorum. Ergo etiam gloria Virginis in cœlis major est, quam gloria aliorum omnium. « Quantum enim

[1] Cf. De Rhodes, q. V, p. 260. — [2] Cf. S. Alph., Disc. VIII, P. 2.

gratiæ in terris adepta est præ cæteris, *ait S. Bernardus*, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis. » *(De Assumpt. s. 1).*

2. Gloria cœlestis merito commensuratur, secundum illud: *Reddet unicuique secundum opera ejus.* (Rom. II, 6). Meritum autem B. Virginis omnium aliorum meritum infinite superat. « Sicut habuit meritum omnium et amplius, *ait S. Thomas*, ita congruum fuit ut super omnes ponatur. » *(Serm. de Assumpt.).*

Prob. II. Pars, *quoad beatitudinem extensive sumptam.* Si beatitudo consideretur sive quoad mysteriorum fidei et rerum supernaturalium cognitionem, sive quoad cognitionem possibilium, sive quoad rerum naturalium et physicarum notitiam, liquido apparet B. Virginem multo plura, præ omnibus aliis Sanctis, cognoscere: quippe harum rerum cognitio intentioni visionis beatificæ proportionatur.

Si vero beatitudo quoad cognitionem individuorum in ordine morali consideretur, dicendum est etiam, B. Virginem multo plura præ omnibus aliis Beatis cognoscere. Docent enim theologi, cognitionem individuorum non tam intentioni visionis intuitivæ, quam statui, in quo Sancti, dum in terris degerent, constituti fuerant, correspondere. Sed B. V. Maria est Mater Dei et hominum; est generis humani Coredemptrix; est totius mundi Regina. Quidquid igitur per totam æternitatem est futurum, ad ejus statum pertinet.

Igitur: Beata Regina et homines omnes, præsertim electos, et eorum omnes cogitationes atque secreta cordium, et omnes mundi eventus prosperos atque adversos, clare videt ac intuetur. Quæ tamen omnia, utpote pura creatura, B. Virgo non tam perfecte cognoscit quam ipse Christus, Homo-Deus.

1088. — **Corollaria.** Ex dictis sequitur: 1. B. Virginem Mariam in cœlis præ aliis Sanctis, etiam collective sumptis, Deum infinite clarius videre, et ardentius diligere, ejusque gaudium beatificum omnium aliorum Sanctorum gaudium infinite superare.

2. B. Virginem in cœlis specialem constituere hierarchiam [1]. Ipsa quidem infra Filium suum, sed incomparabiliter supra omnem

[1] Cf. S. Alph., Disc. VIII, P. 2.

aliam creaturam, collocatur. Canit enim Ecclesia [1]: « Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. » — Apposite *Gerson* [2]: « Constituit Virgo sola hierarchiam secundam, sub Deo Hierarcha primo. » Et *S. Antoninus* [3]: « Virgo est Domina Angelorum; ergo improportionabiliter est supra omnem hierarchiam exaltata. » Qua de causa dicitur (Ps. XLIV, 10): *Astitit Regina a dextris tuis,* id est « Collocatur Maria a dextris Dei, » ut ait *S. Athanasius* [4].

1089. — **NB.** Quæ in propositione de Virginis beatitudine essentiali enuntiata sunt, eadem, proportione servata, dicenda sunt et de tribus dotibus, scilicet, de visione, de comprehensione, ac de delectatione, quibus Beatorum animæ ornantur; et de dotibus, quibus Beatorum corpora donantur [5]. — Præterea, B. Virgo tres possidet aureolas, videlicet: Virginum, Doctorum et Martyrum, quæ sunt ornamenta gloriosa quibusdam Sanctis a Deo propter actus heroicos concessa. B. Virgo autem est Virgo omnium purissima; est Regina Martyrum; et dum degeret in terris, Doctrix Apostolorum exstitit.

CAPUT III.

DE MUTUIS RELATIONIBUS INTER B. VIRGINEM ET HOMINES.

1090. — Ex eo quod B. V. Maria est Mater Dei, quæ nobis Redemptorem protulit, mutuæ quædam Ipsam inter et homines enascuntur relationes: ex una enim parte, B. Virgo erga nos quibusdam fungitur officiis, quæ Deus ei commisit; ex altera autem parte, B. Virgini, utpote quam Deus ipse tantis cumulaverit honoribus, quædam debemus obsequia. Agemus igitur: I. de B. Virginis officiis erga homines; II. de obsequiis nostris erga Deiparam.

ARTICULUS I.

DE B. VIRGINIS OFFICIIS ERGA HOMINES.

Multa sane et ea quidem egregia, præeuntibus Ecclesiæ Doctoribus, de marianis titulis et officiis dicenda forent. Ve-

[1] *In festo Assumpt.* — [2] *Super Magn.*, Tr. 4. — [3] P. IV, T. 15, c. 20, § 15. — [4] *S. de S. Deip.* — [5] Cf. S. Bonavent., *Spec. B. M.*, Lect. 6.

rumtamen de duobus tantum agemus, scilicet de officio Matris hominum, et de officio Mediatricis.

§ 1. *De Maria Matre hominum.*

1091. — Inter omnes titulos, quibus christiani Mariam condecorant atque invocant, nullus est qui frequentior in ore omnium versetur, quam titulus Matris nostræ. « Non fortuito, *ait S. Alph.*, nec sine causa Maria a servis suis Mater vocatur: imo videtur alio nomine vocari non posse; nec unquam fideles satiantur ipsam vocare Matrem. Et hoc quidem optimo jure: est enim Maria Mater nostra; non utique carnalis, sed spiritualis, animæ scilicet nostræ atque salutis. » *(Glor. Mar., P. I, c. II, § 2).*

1092. — **Prop.** *B. V. Maria est vere et realiter Mater christianorum* [1].

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. XIX, 26): *Ecce filius tuus... Ecce Mater tua.* His verbis Christus moriens Mariam dedit discipulo in veram Matrem; discipulumque Mariæ ut verum filium. Sed nomine discipuli omnes intelliguntur fideles. « Intelligimus in Joanne, *ait S. Bernardinus Sen.*, quorum per dilectionem B. Virgo facta est Mater. » *(T. I, serm. 51, a. 1).* — Et SS. D. N. Leo PP. XIII, in Encycl. *Octobri mense adveniente*, ait: « Talem de cruce prædicavit, quum universitatem humani generis, in Joanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit: talem denique se dedit ipsa, quæ eam immensi laboris hæreditatem, a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim cœpit impendere. »

(Luc. II, 7): *Peperit Filium suum primogenitum.* In quæ verba scribit *S. Alph.*: « *Si primogenitus*, addit quidam auctor, *ergo alii filii secuti sunt secundogeniti.* Sed quia de fide illud est, quod filios *carnales nullos habuit B. Virgo, præter Christum, ergo spirituales habeat, necesse est.* Quod idem ipse Dominus B. Gertrudi revelare dignatus est. Cum enim quadam diem supradictum evangelicum textum legeret, tur-

[1] Cf. S. Alph., *Glor. M.*, c. I, § 2 et 3.

bata est, non valens intelligere quomodo Christus, utpote Matris Unigenitus, vocari possit Primogenitus. Ei vero Deus revelavit Jesum esse Matris Unigenitum secundum carnem; homines vero esse secundogenitos secundum spiritum. » *(Glor. M., c. 1, § 2).*

II. **Ex Traditione.** Omnes S. Patres, ipsa Ecclesia in precibus liturgicis, Concilia, omnes verbi divini prædicatores et ecclesiastici scriptores, omnes demum fideles a primis jam Ecclesiæ temporibus, Mariam Matris nomine compellant.

III. **Ex Ratione.** 1. Maria, quippe quæ nobis Jesum, vitam animarum nostrarum protulerit, Mater nostra spiritualis rite vocatur, et reapse existit. « Peccatum, *ait S. Alph.*, dum animas nostras gratia spoliavit, eas etiam vita privavit. Cum igitur miserrime mortui essemus, Christus Redemptor, misericordiæ et caritatis excessu incitatus, venit, ut moriendo in ara crucis, vitam perditam nobis redderet, sicut ipse testatur (Joan. X, 10): *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant...* Reconciliando igitur nos Deo, sub lege gratiæ animarum Pater effectus est, sicut jam prædixerat Isaias (IX. 6): *Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Porro, si Christus est Pater animarum nostrarum, Maria utique est Mater; eo ipso enim quod nobis Jesum donavit, veram vitam nobis dedit; et dum Filii vitam pro salute nostra in monte Calvaria obtulit, nos in vitam gratiæ genuit. » *(Glor. M., c. I, § 2).*

« Hæc, *addit S. Doctor*, illius intelligentiam nobis suppeditant, quod in Cantico (VII, 2) de B. Virgine dicitur: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* In quæ verba scribit S. Ambrosius [1]: *Unum granum frumenti fuit in utero Virginis, Christus Dominus; et tamen acervus tritici dicitur, quia granum hoc virtute omnes electos continet: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quocirca scripsit Gulielmus abbas [2]: *In uno illo fructu, in uno Salvatore Jesu, plurimos Maria peperit ad salutem; pariendo vitam, multos peperit ad vitam.* (Loc. cit.).

2. B. V. Maria est vere Mater christianorum, quia omnia officia veræ Matris erga eos exercet. Matris est filios ge-

[1] *Ap. Novar. Umbra,* V., c. 63. — [2] Delrio, *in Cant.* IV, 13.

nerare, eos amare, alere, educare, ab hostibus defendere, atque curare ut paternam hæreditatem accipiant. Jamvero, hæc omnia B. Virgo erga christianos perfectissime exsequitur: nos enim omnes Maria spiritualiter genuit, vel saltem ad nostram spiritualem regenerationem efficaciter concurrit, ut modo vidimus; amat nos amore tenerrimo; copiosa gratiarum abundantia nos alit; contra incursus diaboli et carnis mundique suggestiones nos protegit; et, ut in fine vitæ cœlestem accipiamus hæreditatem, indesinenter allaborat.

1093. Quæritur I. *Quandonam Maria christianorum Mater constituta est?*

Resp. Duplici præsertim in circumstantia Maria Mater hominum constituta est. Et primo quidem, quando in utero virginali Filium Dei concipere meruit. « Per hunc consensum, ait *S. Bern. Senens.*, omnium electorum salutem viscerosissime expetiit et procuravit; et omnium salvationi per hunc consensum se dedicavit, ita ut ex tunc omnes in suis visceribus bajularet tanquam verissima mater filios suos. » *(Pro fest. B. M. serm. 8, a. 2, c. 2).*

Secundo, quando, tempore passionis, Deo Patri vitam dilectissimi Filii sui pro salute nostra obtulit. Tunc enim parturiendo nos, vi incomprensibilis doloris, in vitam gratiæ, Maria constituta est Mater nostra. *(S. Alph., Gl. M., c. I, § 2).*

1094. — Quæritur II. *Quibusnam titulis Maria est Mater christianorum?*

Resp. Mulier triplici titulo alicujus mater dici potest, videlicet: *titulo generationis,* quia filium concepit et genuit; *titulo adoptionis,* quia alienum ex amore in jus hæreditatis assumpsit; *titulo donationis et officii,* quia aliquem alienum a vero suo patre in filium accepit, cum omnibus juribus matris in filium.

Porro, triplici illo titulo Maria constituta est mater christianorum. 1. Ipsa christianos vi immensi doloris simul et amoris in vitam gratiæ genuit. « Mater membrorum ejus, *inquit S. August.*, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. » *(De S. Virginit., c. 7).*

2. Ipsa ex amore nos adoptavit in filios: « Quia tota est amor erga nos, quos recepit in filios. » *(Paciuch., In P. LXXXVI, excit. 22)* Et *S. Bonavent.:* « Nonne plus sine comparatione nos diligis, ac bonum nostrum procuras, quam mater carnalis? » *(Stim. div. am. P. III, c. 19).*

3. Christus moriens, nos Matri suæ in persona discipuli modo specialissimo donavit: *Ecce mater tua, ecce filius tuus.*

1095. — Scholium. *De amore B. Virginis erga homines.* Cum matris primum officium et potissimum privilegium sit dilectio erga prolem suam, ex dictis compertum est, quantus sit Virginis amor erga homines.

Tantus est ille B. Virginis amor, ut amorem omnium matrum erga natos superet; tantus existit, ut, tempore passionis, B. Virgo propriam vitam una cum vita Filii lubenter sacrificasset. Quam ob causam ipsa de se dicit: *Ego Mater pulchræ dilectionis.* « Se dilectionis esse Matrem gloriatur, *ait Paciuchel.*, quia tota est amor erga nos, quos recepit in filios. » *(In Ps. LXXXVI, excit. 22).*

Quantus ille fuerit amor, causæ ex quibus ortus est, nobis commonstrant. Quatuor a S. Alphonso causæ præcipuæ enumerantur. *(Gl. Mar., c. 1, § 3).*

1. *Primum motivum* amoris Mariæ erga homines, est ejus immensa caritas erga Deum. Legimus (I Joan. IV, 21): *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Qui igitur Deum perfectius diligit, perfectius etiam fratres suos diligit. « Si igitur, *inquit S. Alph.*, nullus inter cœlites invenitur, qui Deum perfectius quam Maria diligat, nullus etiam invenitur nec inveniri potest, qui nos post Deum magis, quam Maria, diligat. »

2. *Secundum motivum* in eo situm est, quod Christus moriens nos B. Virgini dedit in filios. « Præterea, *ait S. Doctor*, Mater nostra nos in immensum diligit, quia Christus jamjam moriturus nos ipsi tanquam filios in persona Joannis commendavit, dicens: *Ecce filius tuus.* Hæc ultima sunt verba, quibus Christus Mariam allocutus est. Nimis autem magni æstimantur ultima dilectæ personæ verba, quam ut aliquando oblivione deleri possint. »

3. *Tertium motivum* est pretium, quo nos in filios acquisivit. « Mater, *ait S. Alph.*, cum semper magis diligit filium, cujus ad incolumitatem majorem perferre dolorem, majoremque laborem sustinere debuit. Atvero, nos sumus illi filii, quibus ut vitam gratiæ procuraret, Maria crudelissima quæque debuit sustinere supplicia: debuit enim pro nobis vitam dilectam sui Jesu offerre, eumque vi tormentorum moriem-

tem conspicere. Virtute magni hujus Mariæ sacrificii in vitam gratiæ nati sumus: nos igitur tanquam filios, quos pretio summi cruciatus emit, summo amore prosequitur.... Quam ob causam, teste S. Bonaventura, de Maria dicere possumus: *Sic Maria dilexit nos, ut Filium suum unigenitum daret.*»

4. *Quartum motivum* in eo positum est, quod Maria nos mercedem mortis Christi esse non ignorat. «Optime novit Maria, *inquit S. Alph.*, Filium suum non ad alium finem, quam ad nostram redemptionem, in mundum venisse, ut ipse testatur. (Luc. XIX, 10): *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Optime novit, eum, ut nos salvaret, vitam dedisse suam. *Factus obediens usque ad mortem.* Si igitur Maria remisse tantum nos diligeret, ostenderet se non magni æstimare sanguinem, quem Filius in pretium nostræ salutis effudit.» *(Loc. cit.).*

§ 2. *De Maria Mediatrice.*

1096. — Mediator dicitur tum ille, qui captivum redimit, pretium solutionis solvendo; tum ille, qui apud aliquem pro captivo intercedit, ut pretium pro ejus liberatione jam solutum de facto applicetur.

In hoc secundo paragrapho investigandum est, quonam modo B. Virgo sit utroque titulo Mediatrix nostra; seu quomodo B. Virgo, tum per suum concursum ad ipsum Redemptionis opus, tum per suum concursum ad actualem Redemptionis fructus applicationem, ad nostram salutem cooperata sit.

I. DE CONCURSU B. M. VIRGINIS IN OPERE REDEMPTIONIS, SEU DE MARIA CORREDEMPTRICE [1].

1097. — Multum nimis vir unus et mulier una, Adamus et Eva, peccato suo nobis nocuerunt. Cum igitur uterque

[1] Cf. Los Rios, *Hier. Mar.*, l. I, c. 22 ad 26.

sexus ad ruinam generis humani cooperatus sit, conveniens fuit ut ad ejusdem reparationem vir unus et mulier una adlaborarent. « Congruum magis, *ait S. Bern.*, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni, neuter defuisset. » *(In sign. magn.).*

Quocirca Deus, qui multis mirisque modis nos reparare potuisset, illum præ cæteris modum selegit, in quo Maria, secunda Eva, cum secundo Adamo, Christo incarnato, ad id restaurandum concurreret, quod prima Eva cum Adamo primo destruxerat. « Qui potuit omnia de nihilo facere, *ait S. Anselm.*, noluit ea violata sine Maria reficere. » *(Orat. 51).*

Quam ob causam Maria nuncupatur *Adjutrix Redemptionis*, (B. Alb. Magn.); *Reparatrix humani generis*, (S. August.); *Redemptrix captivorum*, (S. Epiph.); *Reparatrix perditi orbis*, (S. Anselm.); *Restauratio calamitatum nostrarum*, (S. Germanus); *Mater omnium credentium*, (S. Ambros.) *Cf. S. Alph. Disc. VI.* — De quo concursu B. Virginis ad opus nostræ Redemptionis paucis agendum est.

1098. — **NB.** Ut hac in re omnis præcaveatur error, et ut Redemptoris gloria aut ejus passionis efficacia ex iis, quæ Matri Virgini a Sanctis adscribuntur, nullatenus imminui videantur, tria præmittenda sunt principia.

I. B. V. Maria neque fuit neque esse potuit causa principalis nostræ Redemptionis per modum efficientiæ: hujusmodi Redemptione solus Christus nos redimere potuit, quippe qui solus perfectus Mediator Deum inter et homines constitutus est, et in quo solo est salus, vita, et resurrectio nostra.

II. B. V. Maria neque nos de condigno redemit, neque nobis quidquam de condigno meruit: solus Christus, utpote homo-Deus et caput omnium hominum, homines de condigno redimere, aut eisdem de condigno mereri potuit.

III. Quidquid Maria nobis meruit, hoc meruit dependenter a meritis Christi, et ex divina ordinatione, qua Deus Mariam Filio in opere Redemptionis consociatam voluit. Quibus notatis, sit:

1099. — **Prop.** *B. V. Maria cum Filio suo ad opus Redemptionis generis humani vere et realiter cooperata est.* — Communis.

Prob. Opus Redemptionis duo complectitur, videlicet: donationem Redemptoris, et perpetrationem operis salutiferi. Atqui B. V. Maria et ad donationem Salvatoris, et ad operis salutiferi perpetrationem cooperata est.

Prob. min. I. *B. V. Maria ad Salvatoris donationem cooperata est.* — Prima et principalis causa donationis Salvatoris est Deus Pater, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* (Joan. III, 16), et qui, *ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, factum ex muliere* (Gal. IV, 4).

Sed et illa mulier, ex qua Patris Unigenitus humanam naturam assumpsit, una cum Deo Patre ad donationem Redemptoris concurrit; quæ mulier est B. V. Maria.

Multipliciter, juxta S. Alphonsum, V. Maria ad Salvatoris donationem cooperata est:

1. Quia de congruo Verbi Incarnationem meruit. *(Cf. n. 1051, et Glor. M., c. V. § 2).*

2. Quia Deus ob Virginis preces et suum erga ipsam amorem, Redemptoris adventum acceleravit. *(Disc. II, P. 1; Disc. III, P. 2).*

3. Quia V. Maria suo consensu in verba Angeli, dicendo *Fiat*, Deum ad opus Incarnationis peragendum movit; voluit enim Deus Virginis consensum exspectare, antequam in ejus utero Verbum naturam humanam indueret. *(Disc. IV, P. 1. — Disc. VI, init.)* — « Exspectat Angelus responsum, *ait S. Bernardus,* exspectamus et nos, o Domina! verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ; statim liberabimur si consentis. Ipse quoque Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. » *(De laud. V. M., Hom. 4).*

4. Denique præsertim, quia Salvatorem concepit, genuit, lactavit, educavit, atque eum tanquam victimam pro salute nostra in ara crucis immolandum præparavit.

Prob. min. II. *B. V. Maria ad operis salutiferi perpetrationem cooperata est.*

Christus Redemptor est quidem principalis et propria causa salutis nostræ: solus de condigno nostram liberationem meruit atque pro nobis satisfecit. Nihilominus, Deus ad gloriam Filii et ad Matris honorem voluit, ut et Virgo una cum Redemptore ad perpetrationem operis salutiferi concurreret.

Ad Redemptionis perpetrationem multifarie cooperata est Maria. *(Cf. S. Alph., Disc. VI. — Glor. Mar., c. I, § 3).*

1. Quia in Christi passionem consensum præstitit. — « Quemadmodum Deus, *ait S. Alph.*, noluit Verbum fieri Mariæ filium, antequam hæc expresse consentiret, ita noluit Jesum suam pro salute humani generis tradere vitam, nisi prius consensus Matris accessisset; eo consilio, ut una cum vita Filii sacrificaretur et cor Matris. Titulus Matris, teste S. Thoma, speciale jus in filios confert; exinde sequitur conveniens fuisse Jesum, qui omnino innocens erat, et pro propriis delictis nullum supplicium meruerat, morti crucis tanquam victimam pro peccatis mundi non deputari, nisi Mater consensum prius dedisset, eumque sua sponte morti obtulisset. » *(Disc. VI, P. 1).*

2. Quia B. Virgo Christi passionem voluit, et Filium suum sponte morti obtulit. — Optime noverat Maria, a Deo Redemptorem ideo missum fuisse, ut divinæ justitiæ passione sua satisfaceret, atque morte sua humanum genus redimeret. B. autem Virgo Deum diligebat in immensum, cujus justitiam expleri voluit: immensum diligebat et homines, quorum liberationem optabat. Exinde est cur et Redemptoris passionem voluerit, et Filium suum morti obtulerit.

Maria in Filii passionem consensit eumque morti obtulit: *a)* quando Angelo Incarnationem nuntianti respondit: *fiat;* — *b)* quando filium suum præsentavit in templo: *(S. Alph., Disc. VI).* — *c)* Hanc oblationem sæpius in vita renovavit, sed speciatim tempore passionis, quando Christo, ut morti se traderet, consensum dedit; et quando juxta crucem Jesu morientis stabat. *(Glor. Mar., c. I, § 3).* « Omnino tunc, *ait Arnold. Carnut.*, erat una Christi et Mariæ voluntas, unum-

que holocaustum ambo pariter offerebant Deo; cum Christo communem in salute mundi effectum obtinuit. » *(De laud. B. M.).*

3. Quia B. Virgo proprium meritum propriamque satisfactionem meritis et satisfactionibus Christi conjunxit.

« Neminem latet, *ait S. Doctor,* Mariam a S. Patribus et a theologis titulo mediatricis frequentissime condecorari: et hoc equidem quia potenti sua intercessione et merito de congruo omnibus salutem obtinuit, dum mundo perdito magnum Redemptionis beneficium procuravit. Dicitur *merito de congruo:* solus quippe Christus est mediator via justitiæ et merito de condigno, sicut schola loquitur; ipse sua merita Deo Patri obtulit, qui ea pro salute nostra acceptavit. Maria vero est mediatrix ex gratia, via simplicis intercessionis, et merito de congruo: ipsa sua merita Deo pro salute omnium hominum obtulit, et Deus ea ex benevolentia conjunctim cum meritis Christi acceptavit.... *Omnium salutem,* ait Richardus a S. Vict., (In Cant. c. 26), *desideravit, quæsivit, obtinuit; imo salus omnium per ipsam facta est.* » (Disc. II, P. 1).

Maria igitur, precando et Christo compatiendo, nobis de congruo meruit quidquid Christus moriendo nobis meruit de condigno, ita ut et Christi sanguine et Mariæ precibus atque lacrymis vere redempti simus.

4. Præterea, *ut notat S. Alph. (Disc. VI), cum Dion. Carth.*, Maria meruit ut merita passionis Christi nobis applicarentur. « Virgo dici potest mundi Salvatrix, *ait Dion. Carth.*, propter meritum suæ compassionis, quia, patienti Filio acerbissime condolendo, excellenter promeruit, ut per preces ejus, meritum passionis Christi communicetur hominibus. » *(De laud. B. M., l. II, a. 23).*

Ex quibus omnibus perspicuum est, Virginem Mariam vere et realiter, licet dependenter a meritis Christi, generis humani Corredemptricem vocari posse et reapse existere.

II. DE CONCURSU B. V. MARIÆ AD APPLICATIONEM FRUCTUS INCARNATIONIS, SEU DE MARIA THESAURARIA GRATIARUM.

1100. — Actualis applicatio fructus dominicæ passionis nihil est aliud quam gratiarum collatio, quibus homines virtute passionis Christi, et a peccatis liberari, et in bono perseve-

rare, et demum salutem consequi valeant. Investigare igitur quonam modo B. Virgo ad applicationem fructus Incarnationis concurrat, idem est quam inquirere, quasnam in gratiarum collatione partes agat.

1101. — Prop. I. *B. V. Maria a Deo constituta est universalis thesauraria gratiarum et earumdem dispensatrix universalis; adeo ut nemini aliqua gratia, quæ ab ejus oratione aliquo modo non pendeat, concedatur.*

Propositio communem Sanctorum et theologorum sententiam exhibet.

NB. Maria dicitur a Deo constituta esse *universalis thesauraria gratiarum, et earumdem dispensatrix universalis:* id est, Deus, propter Matris honorem, legem statuit, vi cujus nemini ullam elargiretur gratiam, nisi Mariæ intercessio interveniret; eis vero, pro quibus Maria intercederet, gratiam semper concederet. Qua de causa B. Virgo jure merito dicitur *thesauraria gratiarum*, quippe cui omnia bona supernaturalia aliquo modo commissa sint; et *dispensatrix universalis*, quippe cum, deficiente ejus mediatione, nulla gratia hominibus conferatur.

Additur in propositione: *quæ ex ejus oratione aliquo modo non pendeat.* — Gratiæ, quæ nobis per sacramenta rite suscepta conferuntur, a Virginis orationibus directe et proxime non pendent; ab eis tamen pendent *indirecte* et *remote*, eo scilicet sensu quod B. Virgo sua intercessione nobis aptas dispositiones ad Sacramenta rite suscipienda obtineat.

Hæc propositio a S. Alphonso tanquam una ex præcipuis in Marialogia habetur, et tanquam præcipuum fundamentum totius illius devotionis, quam omnes vere christiani erga tam præpotentem Matrem nutriunt. Quam ob causam S. Doctor ad eam probandam atque contra impugnatores tuendam in scriptis suis totus incubuit. *(Cf. Glor. Mar., P. I, c. V; P. II, Disc. II, P. 1. — Resp. ad anonymum.).*

Prob. prop. I. **Ex Auctoritate Ecclesiæ.** 1. Mariam esse gratiarum thesaurariam atque dispensatricem, « S. Ecclesia nobis manifestare intendit, *ait S. Alph.*, quando divinam Matrem honorat applicando ipsi verba Ecclesiastici, XXIV, 25: *In me gratia omnis viæ et veritatis.* Dicitur *viæ*, quia viatoribus omnes gratiæ per Mariam dispensantur; *veritatis*, quia per Mariam lux veritatis diffunditur. — *In me omnis spes vitæ*

et virtutis: vitæ, quia in terris vitam gratiæ et in cœlis vitam gloriæ per Mariam nos esse adepturos speramus; et *virtutis*, quia per Mariam virtutes acquiruntur, speciatim virtutes theologicæ, quæ sunt Sanctorum virtutes præcipuæ. — *Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* (Eccli. XXIV, 24). Maria sua intercessione dona divini amoris, sancti timoris, cœlestis lucis, et sanctæ fiduciæ, servis suis impetrat. Ex quibus deducit S. Bernardus *(Ep. 174)*, Mariam ex doctrina Ecclesiæ universalem nostræ salutis esse mediatricem: *Magnifica gratiæ Inventricem, Mediatricem salutis, Restauratricem sæculorum. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, et me eadem docuit decantare.* » (Disc. II. P. 1).

2. Maria ab Ecclesia salutatur: *Salus infirmorum, refugium peccatorum, auxilium christianorum, vita, spes nostra.* Quibus ex titulis liquido apparet, gratias per Mariam nobis dispensari. — Item, vocatur *felix cœli porta;* quia « nullus potest cœlum intrare, *ait S. Bonaventura*, nisi per Mariam transeat, tanquam per portam. » *(In Luc. I).*

II. **Ex Auctoritate Sanctorum.** *S. Germanus:* « Nemo salvatur nisi per te, o Deipara; nemo liberatur a periculis, nisi per te, o Virgo puerpera; nemo cœlesti aliquo munere donatur nisi per te, o Deo charissima. » *(In Serm. de Dormit. B. M.).* — *S. Bonaventura:* « Per manus hujus Dominæ habemus quidquid boni possidemus, testante B. Bernardo, qui ait *(In Vigil. Nat. Dom.): Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.* » *(Spec. B. M., lect. III).* — *S. Bernardus:* « Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. » *(S. de Aquæducto).* — *S. Bernardinus Sen.:* « Tu dispensatrix omnium gratiarum. » *(Pro fest. B. M., S. XIII, c. 2, c. 3).* — Et: « Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. » *(Pro fest. B. M., S. V, c. 8).* — *S. Antonius:* « Per eam exivit de cœlis quidquid gratiæ venit in mundum. » *(Sum. P. IV, Tit. XV, c. 20, § 12).* — *S. Petr. Damianus:* « In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini. » *(De Nat. B. V., s. 1).*

III. **Ex Ratione.** Esse gratiarum thesaurariam earumque dispensatricem universalem est singulare privilegium, quod

ex mera Dei liberalitate B. Virgini concessum est: quocirca ratione probari nullatenus potest. Potest tamen ratio hujus privilegii quasdam assignare congruentias.

1. *Prima* ex titulo Matris Dei desumitur. Conveniens est Matrem in bona filii jus quoddam habere. Porro, gratiæ, quæ hominibus conceduntur, bona sunt Filii Virginis. « A tempore quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, *ait S. Bernardinus Sen.*, quamdam, ut sic dicam, jurisdictionem obtinuit in omni Spiritus Sancti processione temporali; ita quod nulla creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam, nisi secundum ipsius piæ Matris dispensationem. » *(Pro fest. B. V., s. V, c. 8).*

2. *Secunda* desumitur ex titulo Corredemptricis. Maria cum Filio suo ad nostram salutem cooperata est, et quidquid Christus de condigno, id omne de congruo meruit. Cum igitur ad spiritualem fidelium nativitatem sit cooperata, consentaneum etiam erat a Deo illud ei conferri privilegium, ut sua intercessione ad vitam gratiæ in hoc sæculo, et vitam gloriæ in futuro, fidelibus elargiendam cooperaretur.

3. *Tertia* desumitur ex caritate Virginis in Deum, et ex amore Dei in Virginem. « Quis unquam, *ait S. Alph.*, inficiari possit, omnino rationabiliter atque convenienter affirmari Deum, ad glorificandam hanc sublimem creaturam, quæ ipsum in vita sua plus quam omnes aliæ creaturæ honoravit atque dilexit, et quam ipse in Matrem Filii sui ac Redemptoris nostri elegit, voluisse, ut omnes gratiæ, quæ hominibus conceduntur, per manus Virginis transirent atque dispensarentur? » *(Glor. M., c. V, § 1).*

1102. — Objicitur. Si B. Virgo est thesauraria et dispensatrix omnium gratiarum, hoc Dei præjudicat independentiæ, quippe qui suas gratias sine Mariæ interventione elargiri non possit; præterea dignitatem aliorum Sanctorum atque potestatem minuit, quippe qui, nobis ut obtineant gratiam, ad intercessionem B. Mariæ confugere deberent. *(Ita Muratori, apud S. Alph., c. V).*

Resp. 1. *Quoad Deum.* — Aliud est esse mediatorem ex justitia, via meriti; et aliud esse mediatorem ex gratia, via deprecationis. Aliud etiam est: Deum *non posse*, et aliud Deum *non velle* suas gratias sine Mariæ intercessione concedere. Nullus unquam dixit Deum non posse, prout vult, sine interventione Mariæ gratiam elargiri: Ipse enim est fons totius boni, et absolutus omnium gratiarum Dominus; Maria vero

est pura creatura, quæ, quidquid habet, a Dei liberalitate accepit. Licet autem Deus possit, attamen non vult independenter a precibus B. Virginis, suas gratias in nos effundere; et hoc quidem, ut supra notatum est, quia illam, quæ ipsum tantopere honoravit atque dilexit, præ aliis modo speciali vult honorare.

Præterea, Christus solus est Mediator Justitiæ, secundum illud Apostoli (I Timoth. II, 5): *Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ipse solus per merita sua gratiam et salutem nobis de condigno obtinuit. Porro, V. Mariam dicimus *Mediatricem ex gratia,* utpote quæ, quidquid nobis obtinet, id omne per merita Christi, et virtute suarum orationum, nobis impetret. Christus igitur est fons primarius, de cujus plenitudine nos omnes accipimus; Maria vero est aquæductus, per quem gratiæ ex fonte ad nos effluunt; Christus est caput influens, Maria vero collum transfundens, secundum illud *S. Hieronymi:* « In Christo fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente; in Maria vero sicut in collo transfundente. » *(Ap. Contens., l. X, D. VI, c. 1).*

2. *Quoad alios Sanctos.* — Docet S. Alphonsus, cum S. Bernardo, S. Anselmo, S. Bonaventura, Suarez aliisque Sanctis atque doctoribus, Sanctos in cœlis, dum nobis a Deo gratiam obtinere volunt, Virginem Mariam adire, ut ipsa pro nobis orationes suas interponat. — Nec in hoc aliorum Sanctorum gloria minuitur. Maria enim est a Deo constituta Regina Sanctorum omnium; ac proinde horum non minuitur gloria, cum ad Mariam, Reginam suam et Dominam, tanquam intercessores accedant, ut per ipsam nobis eas gratias, quas ab eis efflagitamus, impetrent.

1103. — Corollarium. Ex dictis sequitur, B. Virginis intercessionem esse hominibus ad salutem rigorose necessariam; necessariam utique non necessitate absoluta; talis enim necessitas in solam Redemptoris mediationem cadit; *sed necessitate morali,* quia Deus ad honorem B. Virginis Deiparæ statuit, ut ii soli, pro quibus B. Virgo intercederet, gratiam acciperent. Quocirca *S. Anselmus,* Virginem alloquens, dicit: « Omnis a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat. » *(Orat.; Migne T. 158, col. 956).* — Et *S. Bernardus:* « Totis medullis cordium Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam... Quidquid Deo offerre paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. » *(De Aquæductu).*

1104. — Prop. II. *B. Virginis intercessio est adeo efficax, ut ipsa sit Mediatrix quodammodo omnipotens.*

NB. 1. Dicitur in prop. *quodammodo* omnipotens, ad indicandum scilicet discrimen quod inter Dei atque Virginis omnipotentiam intercedit: Deus est omnipotens per naturam, Virgo per gratiam; « ab omnipotente Filio, *ait Richardus a S. Laur.*, omnipotens Mater est effecta; » *(De Laud. B. M., l. IV)*; eo nimirum sensu, quod a Filio suo, quidquid vult, oratione sua obtinere potest, secundum tritum illum versiculum: *Quod Deus imperio, tu prece, Virgo, potes.*

2. Doctrina in hac propositione tradita, nostram fiduciam in cœlestem Matrem nostram mire excitat et nutrit: si enim Maria est prece omnipotens, omnia quæ vult, ea nobis impetrare potest, atque omnia quæ sunt ad salutem conducentia, ea secure ab ipsa efflagitare ac obtinere possumus. « Tantummodo velis salutem nostram, *ad Virginem orat S. Anselmus*, et vere nequaquam salvi esse non poterimus. » *(De Excell. V., c. XII)*; — et *B. Albertus Magnus:* « Roganda est ut velit; *inquit;* quia, si vult, necesse est fieri. » *(De Laud. B. M., l. II, c. 1)*. Qua de causa S. Alphonsus ad hanc doctrinam probandam atque illustrandam totus incumbit. *(Gl. Mar., c. VI)*.

Prob. I. **Ex Dignitate Matris Dei.** « Tanta, *ait S. Alph.*, est Matrum auctoritas in filios, ut, licet hi monarchæ forent et in omnes personas sui regni absolutum dominium haberent, eorum matres non possint ipsis subditæ esse. Verum utique est, Christum nunc in cœlis ad dexteram Patris sedentem, etiam quatenus est homo propter unionem hypostaticam cum persona Verbi, prout explicat S. Thomas, habere in omnes et etiam in Matrem suam supremum dominium. Nihilominus adfuit tempus, quo Salvator noster in terris degens, seipsum adeo humiliare voluit, ut Mariæ auctoritati subjiceretur, prout testatur S. Lucas: *Et erat subditus illis.* Imo S. Ambrosius docet Christum, postquam Mariam sibi in Matrem elegerit, vere fuisse, tanquam ejus filium, ad obedientiam ei præstandam adstrictum... Qua de causa dicimus preces Mariæ, licet in cœlis ipsa Filio amplius non possit imperare, preces tamen semper esse Matris, atque adeo ad obtinendum quidquid expostulat, potentissimas. *Grande privilegium Mariæ*, ait S. Bonaventura, *quod apud Filium sit potentissima.* (Spec. B. M. Lect. 6). Et cur? Præcise propter rationem, quam assignavimus, quia scilicet preces Mariæ sunt Matris preces. » *(Glor. M., c. VI, § 1)*.

II. **Ex Auctoritate Sanctorum.** Allatam rationem dicta Sanctorum mirifice illustrant. *S. Augustinus* ait: « Neque

enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse, plus Sanctis omnibus, liberatis impendere suffragium. » *(Serm. 208, Edit. Ben. app.)* — *S. Germanus:* « Tu autem, materna in Deum auctoritate pollens, etiam iis qui enormiter peccant, gratiam concilias: non potes non exaudiri, cum Deus tibi, ut veræ et intemeratæ Matri, in omnibus mores gerat. » *(In Dormit. Deip., S. 2).* — *S. Anselmus:* « Te, Domina, Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit. » *(De Excell. V. c. XII).* — *S. Petrus Dam.:* « Accedis ante illud humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans: Domina, non ancilla, nam Filius nihil negans, te honorat. » *(In Nat. B. V., S. 1).* — *S. Antoninus:* « Oratio Deiparæ habet rationem imperii, unde impossibile est eam non exaudiri. » *(P. IV, T. XV. c. 17, § 4).* — *S. Bernardinus Sen.:* « Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus. » *(Pro fest. V. M., S. V, c. 6).* — *S. Bonaventura:* « O certe Dei nostri mira benignitas, qui suis reis te Dominam tribuit Advocatam, ut a Filio tuo, quod volueris, valeas impetrare! » *(Stim. div. am. P. III, c. 19).*

1105. — Prop. III. *Proprium mediationis B. Virginis est materna misericordia atque clementia.*

In superioribus propositionibus probatum est, Mariam thesaurariam esse omnium gratiarum, et quadam esse omnipotentia donatam. « Grande privilegium Mariæ, *ait S. Bonav.*, quod apud Deum potentissima est. » *(Spec. B. V., lect. 6).* — Sed, *addit idem Sanctus*, « quid tanta Mariæ potentia prodesset nobis, si ipsa nihil curaret de nobis? »

Ad nostram igitur fiduciam in B. Virginem omnibus modis augendam et stabiliendam, S. Alphonsus Mariam tanquam plenam materna misericordia atque clementia nobis ostendit. « Certe, *exclamat S. Doctor cum S. Bonaventura* (Stim. div. am. P. III. c. 19), cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno: nam pro miseris Mater Dei facta es, et tibi miserendi est officium commissum; undique sollicita es de miseris, misericordia vallaris, solum misereri videris appetere. » *(Glor. Mar., c. IX).*

Et primo quidem, S. Alph. Mariam nobis demonstrat tanquam a Deo Reginam misericordiæ hoc fine constitutam, ut apud Judicem peccatorum defensionem suscipiat. *(Glor. Mar., c. I, § 1).* — Ipsam nobis exhibet tanquam nostram Matrem, quæ Filios suos summa caritate atque profundissima prosequitur teneritudine. *(loc. cit., c. 1, § 2 et 3).* — Fuso denique calamo nobis proponit, quomodo de facto B. Virgo officium mediatricis, cum materna sollicitudine atque misericordia erga nos omnes, sed speciatim erga peccatores, impleat, *(loc. cit., c. VI, § 2 et 3; c. VII, VIII, et IX);* et exponit quomodo B. Virgo sua misericordi intercessione peccatoribus conversionem obtineat; *(c. VII, § 3);* tentatis victoriam procuret; *(c. IV, § 2);* justus perseverantiam, et agonizantibus beatam mortem impetret *(c. II, § 2 et 3);* suos devotos in purgatorio sublevet, eosque tandem in cœlos deducat. *(c. VIII, § 2 et 3).*

Tanta est Mariæ compassio propter nostras miserias, *ait S. Alph., (c. VI, § 2),* tantus est amor, quo nos diligit, ut indesinenter pro nobis oret, atque semper denuo orare incipiat, neque orando satiari valeat, nos ut a malis imminentibus præservet, atque gratias, quibus ad salutem indigemus, obtineat. « Non est satietas defensionis ejus, » *ait S. Germanus, (De Jona).* Et ideo: « Adstat Beatissima Virgo vultui conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Videt enim nostra discrimina, nostrique clemens Domina materno affectu misereturi. *(B. Amedæus, De Laud. V., hom. 8).*

1106. — Prop. IV. *Tanta est Virginis Mariæ clementia atque potentia, ut spes desperatorum vere vocari possit.*

Licet hæc propositio tanquam pars præcedentis poni potuisset, seorsim tamen ob materiæ gravitatem atque utilitatem tractatur: multum siquidem inservit ad nostram propriam fiduciam in Virginem Mariam augendam, atque ad zelum nostrum inflammandum, ut cordibus peccatorum, ad quos salvandos missi sumus a Patrefamilias, devotionem erga Virginem Mariam inseramus, eamque in eis augeamus.

Deus, qui omnia in mensura, et numero et pondere disposuit, pro quolibet homine viatore certam statuit mensuram gratiarum specialium, ultra quam, si homo eis abutatur, non jam alias, præterquam gratias communes, elargitur, quibuscum, licet sint ad salutem sufficien-

tissimæ, homo non salvabitur *(n. 1189)*. Determinavit præterea Deus pro quolibet homine certum numerum peccatorum, quæ condonare decrevit; quo numero expleto, secundum leges ordinarias, jam non datur remissio. Qui gratiarum seriem exhauserunt, numerumque peccatorum expleverunt, vocantur derelicti, obdurati, excæcati; et excidunt e regimine misericordiæ, ut in regimen justitiæ reincidant.

Jamvero in præsenti illos vocamus desperatos qui, vel ob enormitatem unius peccati, vel ob peccatorum multitudinem, et gratiarum abusum, a Deo secundum ordinarias divinæ providentiæ leges derelinquuntur, et de regimine misericordiæ in regimen justitiæ transeunt, et pro quibus proinde, perpensa sola Dei justitia, non datur amplius spes salutis.

Dicendum est igitur cum S. Alphonso, hujuscemodi peccatores, qui alioquin infallibiliter perirent, dummodo ad Virginem Mariam confugiant, salutem adhuc consequi posse. Deus enim, antequam decretum æternæ damnationis irrevocabiliter ferat, perpendit an B. Virgo pro ipsis sit intercessura. Si intercedit B. Virgo, tam potens est ejus oratio, ut peccator, pro quo intercedit, vel in regimine misericordiæ maneat, vel de regimine justitiæ iterum in regimen misericordiæ transferatur, et demum salvari valeat, dummodo ad finem usque erga B. Virginem vere devotus exstiterit.

« Maria, *ait S. Alph.*, ad dignitatem Matris Dei adhuc est evecta, ut miserrimi illi peccatores, qui propter sua peccata secundum leges divinæ justitiæ salvari non possent, per ejus dulcem misericordiam atque potentem intercessionem salutem obtinerent, sicut testatur S. Joannes Chrysostomus: *Ideo Mater Dei prælecta es ab æterno, ut, quos justitia Filii salvare non potest, tu per tuam salvares pietatem.* » *(Glor. Mar., c. VI, § 3)*.

Et cap. VIII, § 1, scribit *S. Doctor:* « B. Henricus Suso declarabat se animam suam manibus Virginis credidisse, atque si divinus judex eum condemnare vellet, petiturum ut sententia per manus Virginis transiret: *Si Judex servum suum damnare voluerit, per manus tuas piissimas hoc faciat.* (Hor. sap. æt., l. I, c. 16). Sperabat enim fore ut, simul ac damnationis sententia in piissimis Virginis manibus foret, ejus executio certissime a Maria impediretur. Idem, o Regina sanctis-

sima, pro me ipso dico atque spero. Unde et semper cum S. Bonaventura repetere volo: *In te, Domina, speravi, non confundar in æternum.* (Psalt. B. V., Ps. XXX). »

Doctrina hujus propositionis Sanctorum et theologorum dictis etiam confirmatur. Ait *S. Anselmus:* « Si ipsa propter peccatores facta est Domini Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit desperare veniam? » *(De Excell. V., c. I). — S. Bonaventura:* « Si contra te, propter tuas nequitias, Dominum videris indignatum, ad spem peccatorum confugias; sibi pro miseris satisfacere ex officio est commissum. » *(Stim. div. am. P. III, c. 12). — S. Petrus Dam.:* « Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. » *(In Nativ. B. M., S. I). — Thomas a Kempis:* « Quot fuissent æternaliter damnati, vel in desperatione mansissent obstinati, nisi benignissima Virgo Maria pro eis interpellasset ad Filium! » *(Serm. 23 ad Nov.)* — Propterea *Bernardinus a Bustis* peccatores sic adhortatur: « O peccator! non diffidas, etiamsi commisisti omnia peccata; sed secure ad istam gloriosissimam Dominam recurras; invenies eam in manibus plenam misericordia et largitate. *(Mariale, P. II, S. 5).*

ARTICULUS II.

DE OBSEQUIIS NOSTRIS ERGA DEIPARAM.

Multa in hoc ultimo articulo de cultu mariano inquiri possent, ut, v. gr., de liceitate illius cultus; de excellentia cultus, qui B. Virgini debetur: est enim cultus non simplicis duliæ, sed hyperduliæ; de istius cultus antiquitate et universalitate in Ecclesia, etc.... Quibus tamen omissis, duo tantum, quæ ad praxim magis pertinent, necessitatem scilicet, et efficaciam devotionis erga Virginem Mariam, paucis explicare et probare sat erit.

§ 1. *De Necessitate Devotionis erga V. Mariam.*

1107. — **Prop.** *Devotio erga B. Virginem est hominibus adeo necessaria, ut sine ea moraliter impossibile sit aliquem salvari.*

NB. In hac asserenda propositione, theologus caute procedere debet, aut ne nimis durus videatur, aut ne viam salutis, plus quam par est, coarctet. Non enim est intelligenda propositio de iis, qui invincibiliter et prorsus inculpabiliter B. Virginem ignorant, quales sunt pagani, quibus Evangelium nunquam prædicatum est, et qui legem naturalem observant, atque peccata vitant; vel etiam multi Christiani qui, licet legem christianam perfecte observent, de Virgine tamen Maria nihil unquam fortasse audierunt. Hi enim interpretative etiam Virginis cultores existunt; invocarent enim Mariam, si eam cognoscerent; ac proinde a patrocinio B. Virginis nullatenus excluduntur.

Sed valet propositio de adultis, qui, quamquam Virginem Mariam cognoscunt, eam tamen invocare recusant. Horum salus, etsi absolute sit possibilis, moraliter tamen est impossibilis.

Prob. I. **Ex Ratione.** Maria, ut supra dictum est *(n. 1101)*, a Deo constituta est universalis gratiarum thesauraria atque dispensatrix. Inde rigorose sequitur illos, qui tantæ Matris suffragium implorare recusant, et superna dona non recipere, et a salutis tramite exulare. *Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* Prov. VIII, 36; quæ verba ab Ecclesia B. Virgini applicantur. « Gens, quæ non servierit illi, *ait Richardus a S. Laur.*, peribit: gentes destitutæ tantæ Matris auxilio, destituuntur auxilio Filii, et totius curiæ cœlestis. » *(De Laud. B. M., l. II, p. 1).*

II. **Ex Auctoritate.** « O Beatissima, *exclamat S. Anselmus,* omnis a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat. » *(Orat. 51).* — *S. Antoninus:* « Impossibile est quod illi, a quibus Maria oculos misericordiæ suæ avertit, salventur. » *(P. IV, T. XV, c. 14, § 7).* — « Sedulo notentur, *ait S. Alph.*, hæc Sanctorum dicta; et timore corripiantur qui devotionem erga divinam Matrem parvi faciunt, aut ex negligentia totaliter deserunt. Affirmant enim, illos qui Mariæ protectione non gaudeant, nullatenus posse salvari. Idem alii nos docent, ut B. Albertus M.: *Gens quæ non servierit tibi, peribit. (Bibl. Mar., c. 60).* — S. Bonaventura: *Qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis. (Psalt B. M., Ps. CXVI)*... Et in Ps. XCIX affirmat idem Sanctus eos, a quibus Maria oculos misericordiæ suæ averterit, non solum non fore salvos, sed etiam spem salutis ab eis exulare: *A quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.* » *(Glor. Mar., c. VIII, § 1).* Quo-

circa exclamat S. Bonaventura *(Psalt., Ps. XLVIII). Audite, gentes: qui ingredi cupitis regnum Dei, Virginem Mariam honorate, et invenietis vitam et salutem perpetuam.*

§ 2. *De Efficacia Devotionis erga B. V. Mariam.*

1108. — **Prop.** *Vera devotio erga B. V. Mariam est adeo efficax, ut moraliter impossibile sit sincerum Mariæ cultorem damnari* [1].

NB. Triplicem devotionem erga V. Mariam distinguere licet. *Prima* est eorum, qui in peccato mortali viventes, nullum sese emendandi desiderium habent: imo qui Mariam colunt, quo securius peccent cum intentione et spe conversionis postea obtinendæ. Hæc devotio est falsa, noxia, omnino reprobanda: de qua nullatenus intelligenda est propositio. « Si quis, *ait S. Alph.*, peccare vellet fidens se salutem per Mariam esse obtenturum, hic culpa sua Mariæ protectione indignus ad eamque inhabilis evaderet. » *(Gl. M., T. VIII, p. 144).* — In praxi tamen caute agendum est cum illis, qui talem profitentur devotionem, eam ne prorsus abjiciant. Eò adducendi sunt ut, quod in sua devotione vitiosum fuerit, corrigant: et si non valeant emendari, a sua devotione non sunt avertendi. Licet enim hæc ad salutem ordinarie non inserviat, fieri tamen potest, ut clementissima Virgo ipsis a Filio cordis mutationem et salutem obtineat, uti aliquando contigisse auctores referunt. Præterea, usquequo in hac devotione formalis extendatur præsumptio, nunquam scire datur: ac proin in uno alterove, qui talem devotionem nutriunt, aliquid boni forsan latitare potest.

Secunda est eorum qui, cum in peccato mortali existant, Mariam colunt atque fideliter invocant, cum sincero ac efficaci emendationis desiderio.

[1] Cf. S. Alph., *Glor. M.*, c. I, § 4; c. II, § 1; c. III, § 2; c. VI, § 2 et 3; c. IX; sed præsertim, c. VIII, § 1; Vera sponsa, c. XXI, (T. XI, p. 126).

Tertia est eorum qui, cum sint jam justificati, Mariam fideliter ac perseveranter honorant. Hæc ultima devotio plurimos admittit gradus, a simplici scilicet ac fideli invocatione, usque ad perfectissimam Deiparæ virtutum imitationem.

Propositio intelligenda est non de justis solum, qui Mariam honorant: sed de peccatoribus etiam, qui Virginem cum sincero ac efficaci emendationis desiderio fideliter invocant. « Diximus, *ait S. Alph.*, moraliter impossibile esse veros Mariæ servos damnari: hoc autem ea conditione intelligi debet, ut absque peccato vivant, vel saltem emendationis desiderium habeant: quia tunc B. Virgo ipsos juvabit. » *(Varia obseq. Introd., T. VIII, p. 144).* Et *Glor. M., c. VIII, init., addit S. Doctor:* « Debet igitur hæc sententia de illis intelligi, qui cum emendationis desiderio fidelitatem jungunt in devotione et oratione erga divinam Matrem. Hos, inquam, perire moraliter impossibile est. » Hujusmodi enim peccatoribus B. Virgo liberationem a peccatis certo obtinebit: et in sua devotione si ad mortem usque fideliter perseveraverint, a B. Virgine gratiam finalis perseverantiæ certe obtinebunt.

1109. — Prob. prop. I. **Ex Auctoritate,** apud S. Alph., *Gl. M.*, c. VIII. *S. Anselmus:* « Omnis ad te conversus et a te respectus impossibile est ut pereat. » *(Orat. 51).* — *S. Antoninus:* « Necessarium (est) quod hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur et glorificentur. » *(P. IV, T. XV, c. 14, § 7).* — *S. Bonaventura:* « Qui perstat in obsequio tuo, procul fiet a perditione. » *(Psalt. B. V., Ps. CXVIII).* — Et: « Pax multa diligentibus te, Domina; anima eorum non videbit mortem in æternum. » *(Ps. LXVII).* — *Richardus a S. Vict.:* « Si accedam ad judicium, et Matrem misericordiæ in causa habuero mecum, quis Judicem denegabit propitium? » *(In Cant., c. 39).* — *Petrus Blesensis:* « Fieri non potest ut pereat, qui Mariæ sedulus et humilis cultor fuerit. » *(Par. an. fid., P. I, c. 18).*

II. **Ex Ratione.** Tanta est Mariæ clementia atque misericordia, ut nullum ad se confugientem, quantumvis sit peccator, a se repellere queat. « Tu peccatorem, *ait S. Bernardus*, quantumlibet fœtidum, non horres: si ad te suspiraverit, tu

illum a desperationis barathro pia manu retrahis. » *(Depr. ad B. V.).* — Et *Petrus Bles.:* « Nullum tam exsecrabilem peccatorem orbis habet, quem ipsa abominetur et a se repellat. » *(Par. an. fid., P. III, c. 5).* — Tanta est etiam ejus potentia, ut quidquid a Filio expostulat, certo obtineat. Illos igitur, qui Virginis opem implorant sicuti oportet, et quantum oportet, perire est moraliter impossibile. Quo fit ut ipsa Ecclesia Mariæ illud Proverbiorum *(c. VIII)* applicet; *Qui mane vigilant ad me, invenient me... Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Et *S. Bernardus* omnes adhortatur dicens: « Beatis illius pedibus provolvamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. » *(In Sign. magn.).*

1110. — Corollarium. Ex dictis sequitur, sinceram devotionem erga B. Virginem esse maximum prædestinationis signum. Gaudeant igitur qui talem devotionem erga Deiparam, Matrem nostram, possident! Nullus tamen ejusmodi devotione munitus absolute affirmare potest se salvatum iri. Hanc enim devotionem, sicut et ipsam gratiam, in vasis fictilibus portamus, et ob innatam naturæ vertibilitatem, quilibet semper in periculo est eam devotionem deserendi. Cuilibet igitur semper, et timendum est ne cœlestem suam Matrem deserat, et orandum, ut ab ipsa in suo servitio fidelitatem atque perseverantiam obtineat: nam illis solis corona gloriæ a Deo per Mariæ preces dabitur, qui in ejus servitio ad mortem usque fideliter perseveraverint.

EXPLICIT TRACTATUS DE B. V. MARIA.

TRACTATUS SEXTUS.

DE GRATIA.

Conspectus generalis.

- **CAP. PRÆVIUM.** Notiones generaliores de Gratia.
  - **A. 1.** Definitio et divisio.
  - **A. 2.** Errores.
  - **A. 3.** Canones Concilii Tridentini.

Pars I. De Gratia actuali.

- CAP. I. Gratiæ actualis natura et divisio.
  - **A. 1.** Gratia excitans et adjuvans.
  - **A. 2.** Gratia communis et specialis.
  - **A. 3.** Gratia sufficiens et efficax.
- CAP. II. Gratiæ necessitas.
  - **A. 1.** Ad verum cognoscendum.
  - **A. 2.** Ad bonum faciendum.
  - **A. 3.** Ad resistendum tentationibus, et ad non peccandum.
  - **A. 4.** Ad perseverandum.
- CAP. III. Gratiarum distributio.
  - **A. 1.** Gratiæ gratuitas.
  - **A. 2.** Gratiæ universalitas.
  - **A. 3.** Gratiarum inæqualitas.
- CAP. IV. De modo operandi gratiæ.
  - **A. 1.** Regula ad dijudicanda systemata.
  - **A. 2.** Systema Jansenii.
  - **A. 3.** Systemata catholica.
    - § 1. Thomistarum.
    - § 2. Augustinianorum.
    - § 3. Molinistarum.
    - § 4. Congruistarum.
    - § 5. S. Alphonsi.

Pars II. De Gratia habituali.

- CAP. I. De ipsa gratia sanctificante.
  - **A. 1.** Natura gratiæ santificantis.
  - **A. 2.** Ipsius effectus formales.
- CAP. II. De Justificatione.
  - **A. 1.** Natura justificationis.
  - **A. 2.** Dispositiones ad justificationem.
  - **A. 3.** Proprietates justificationis.

Pars III. De Merito.

- CAP. I. Notio Meriti.
- CAP. II. Meriti existentia et bonorum operum necessitas.
- CAP. III. Objectum meriti.

INTRODUCTIO [1].

1111. — Deus hominem in prima sua creatione non donis tantum cumulavit naturalibus, sed altioribus etiam auxit beneficiis, quibus, his in terris particeps effectus divinæ naturæ, Dei essentiam in cœlis intuitive contemplari mereretur. Invidia autem diaboli non diu stetit homo in primæva sua dignitate: Adamus enim per suam inobedientiam pro se et pro tota sua sobole ea supernaturalia amisit beneficia, et nos omnes in miserrimum damnationis statum dejecit.

Christus autem Salvator, misericordia motus, hanc in terram venit, ut hominem lapsum erigeret, eique spem tribueret ad illum denuo perveniendi finem, ad quem primitus conditus erat. Illa humani generis restauratio cum complexu mediorum ad finem supernaturalem ex meritis Christi consequendum, constituit ordinem gratiæ, de qua gratia nunc agendum est.

1112. — Momentum tractatus. — Summi momenti est doctrina de Gratia. Sine illa enim nullus de maxima omnium quæstionum, de œconomia scilicet salutis vel damnationis æternæ, recte sentire potest. Illa præterea est doctrina, qua nobis Dei attributa, misericordia scilicet et justitia, necnon et Christi Redemptionis beneficium, et hominis dignitas et finis, aperte manifestantur; ipsa est quæ, dum nobis nostram sine Deo omnimodam imbecillitatem in negotio salutis demonstrat, docet nos a Deo humiliter semper dependere, ejus auxilium indesinenter et fiducialiter implorare, et salutem nostram cum timore et tremore operari.

Non igitur mirandum est Patres in synodo Carthag. et Milevitano declarasse, ipsa fidei fundamenta ab eo everti, qui orthodoxam de Gratia doctrinam labefactaverit; S. Augusti-

[1] **Auctores consulendi:** *S. Alphonsus*, Hist. hær. Confutationes; Contra hæreticos; Magnum precationis adjumentum. — *S. Thomas*, 1. 2, q. 109-114. — *Isambert*, In 1. 2, D. Th. — *Gamachæus*, De Gratia. — *Tournely*, De Gratia. — *Montanius* (sub nomine Tournely), Prælectiones de Gratia. — *Grandin*, De Gratia. — *Gibbon*, Speculum theol., t. III (edit. fol.) — *Gotti*, Theol. schol. dogm., De Gratia. — *Grandi*, Cursus theol. — *Gonet*, Clypeus. — *Gabriel a S. Vinc.*, De Gratia.

num tanta cum contentione adversus Pelagianos dimicasse, et Concilium Trid. mira sollicitudine hæc dogmata contra hæreticos sæculi XVI vindicasse; postremo ipsum Apostolum in Epist. ad Rom. totum fuisse in explicanda et vindicanda doctrina de Gratia.

1113. — Divisio Tractatus. — Duplex distinguitur gratia, actualis scilicet et habitualis; et utriusque sunt effectus quidam in homine. Traditis igitur in capite prævio notionibus quibusdam generalioribus de gratia, tractatus in tres partes dividetur.

In Parte I. sermo erit de gratia actuali;
In Parte II. de gratia habituali;
In Parte III. de effectibus gratiæ.

CAPUT PRÆVIUM.

NOTIONES GENERALIORES DE GRATIA.

Tria in prævio hoc capite præstantur: I. traditur Gratiæ definitio atque divisio; II. Præcipui indicantur errores contra dogma de Gratia: III. referuntur canones Concilii Tridentini de Gratia et justificatione.

ARTICULUS I.

DEFINITIO ET DIVISIO GRATIÆ [1].

1114. — Definitio. — Hoc nomen *gratia* ab auctoribus cum Sacris tum profanis in multiplicem accipitur sensum. Aliquando sumitur pro *amore* seu *benevolentia*, qua aliquis alterum prosequitur; sic (Luc. I, 30), Angelus ad Virginem ait: *Invenisti gratiam apud Deum;* — aliquando usurpatur pro

[1] Cf. Tourn. (Mont.), Disp. præv., art. 2.

decore et pulchritudine, (Prov. XXXI, 30): *Fallax gratia, et vana est pulchritudo;* — aliquando significat *gratitudinem,* sicut cum dicimus: *gratias tibi ago:* — aliquando etiam sumitur pro *omni dono,* quod Deus, tam in ordine naturali, quam in ordine supernaturali, creaturis elargitus est.

Gratia autem *stricte* sumpta, de qua sola in hocce tractatu sermo erit, donum significat supernaturale, quod ad æternam salutem aliquo modo ordinatur et conducit. Definitur: *Donum supernaturale creaturæ intellectuali gratis a Deo concessum in ordine ad vitam æternam.*

Quæ definitio generalis est, atque omni veræ Dei gratiæ convenit.

Explicatur definitio. — Gratia dicitur: *a) Donum,* videlicet aliquid positivum, animam hominis, cui tribuitur, afficiens.

b) Supernaturale, id est donum, quod hominem viatorem in Deum auctorem gloriæ, in cœlis facie ad faciem videndum, ordinat atque dirigit. Per hoc gratia a donis naturæ secernitur.

Dupliciter autem donum aliquod dicitur supernaturale, scilicet: vel *quoad entitatem,* vel *quoad modum tantum.*

Gratia entitative supernaturalis est donum cujus intrinseca entitas est supernaturalis; scilicet est donum: 1. quod totius naturæ ordinem, vires et exigentiam superat; 2. quod ad Deum, ut auctorem gloriæ, ex natura sua tendit et ordinatur; 3. quod naturam creatam elevat, eam in ordinem divinum constituit, eamque formaliter aut dispositive divinæ naturæ consortem reddit.

Gratia supernaturalis quoad modum tantum[1] est donum cujus intrinseca quidem entitas est naturalis, conceditur tamen modo supernaturali, id est, modo excedente vires et exigentiam cujuscumque naturæ creatæ; v. gr. illuminatio extraordinaria in ordine pure naturali; vel delectatio a Deo voluntati immissa ad bonum honestum naturalis ordinis.

[1] Cf. Philip. a SS. Trinit., *De Gratia,* Disp. II, dub. 2, (T. 2, p. 461).

c) Creaturæ intellectuali, Angelo scilicet vel homini, qui soli subjecta gratiæ esse possunt.

d) Gratis, quæ particula indicat gratiam esse omnino gratuitam, ipsamque nec naturæ deberi, nec a persona per sola naturalia mereri posse, secundum illud Apostoli (Rom. XI, 6): *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

e) A Deo concessum, quæ verba auctorem gratiæ referunt, qui est solus Deus.

f) In ordine ad vitam æternam, gratia enim ad hoc solum conceditur, videlicet ut homo vitam æternam adipiscatur.

1115. — Divisio Gratiæ. — Multifarie gratia dividitur:

1. Ratione sui, gratia dividitur in *gratiam increatam*, et *creatam*. — *Gratia increata* est « æternus ac supernaturalis Dei erga homines amor, quo eos diligit in ordine ad vitam æternam. » — *Gratia creata* « ea omnia generatim sunt beneficia, quæ ex æterno illo ac supernaturali amore, ut effectus ex causa, proveniunt. » *(Montan., Disp. præv., art. 3).*

2. Ratione diversi status, dividitur *in gratiam Dei*, et *gratiam Christi*. — *Gratia Dei* ea est, quæ Angelis et homini innocenti a Deo collata est. — *Gratia Christi* ea est, quæ homini lapso vi et intuitu meritorum Christi confertur. — Hanc divisionem respuunt, quotquot docent futurum fuisse ut Christus incarnaretur, etiamsi homo non peccasset; hi ratione diversi status gratiam dividunt in gratiam Christi Capitis, et Christi Redemptoris.

3. Ratione modi, dividitur *in gratiam internam*, et *externam*. — *Gratia interna* est ea, quæ hominem intrinsecus afficit, sive per modum habitus, sicut gratia sanctificans; sive per modum actus transeuntis, sicut gratiæ actuales illuminationis et inspirationis. — *Gratia externa* sunt ea omnia, quæ Deus, qui homines per sensus plerumque gubernat, extrinsecus præstat ad producendum in animabus actus internos, occasione quorum ipse tunc agit per gratiam internam ; hujusmodi, v. gr., sunt prædicatio verbi divini; Incarnatio Verbi; sanctorum hominum exempla, necnon et ea, quæ di-

vina protectio et directio nobis modo indebito in ordine ad salutem exterius conferunt.

4. Ratione effectus, dividitur *in gratiam sanantem*, et *elevantem*. — Homo per Adami prævaricationem non solum gratuitis fuit privatus, sed etiam in naturalibus vulneratus *(cf. 826)*. Si gratia a Deo intuitu meritorum Christi nobis concessa, consideratur quatenus contra vulnera naturæ ordinata est, ad refrænandam videlicet inordinatam concupiscentiam, ad fugandas naturales intellectus tenebras, ad innatam voluntatis malitiam reprimendam, vocatur gratia *sanans* seu *medicinalis*. Si vero consideratur ut ordinans hominem ad Deum auctorem gloriæ possidendum, vocatur gratia *elevans*.

In fidelibus gratia sanans est etiam semper elevans; Deus enim de providentia ordinaria non sanat, nisi ut elevet. Posset tamen concedi gratia sanans quin elevet; aut elevans quin sanet; sicuti, v. gr., in Adamo innocente gratia fuit elevans, non sanans.

5. Ratione finis, gratia dividitur in *gratiam gratum facientem*, et *gratiam gratis datam*. — Gratiæ a Deo duplici fine conferri possunt: vel ad sanctificationem ipsius hominis, qui gratiam recipit; vel ad sanctificationem aliorum. Si gratia ad ipsius recipientis sanctificationem ordinatur, vocatur *gratia gratum faciens*, et definitur: « *Donum supernaturale gratis a Deo concessum, ad propriam uniuscujusque salutem, primario et per se ordinatum* » (Montan.) — Si ad aliorum sanctificationem ordinatur, vocatur *gratia gratis data*, et definitur: « *Donum supernaturale gratis a Deo concessum non ad propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primario destinatum.* » (Montan.).

Novem species gratiarum gratis datarum enumerat Apostolus (I Cor. XII, 8-10): *Alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum;* de quibus cf. S. Th., 1. 2, q. 111, a. 4 et 5.

6. Gratia gratum faciens subdivitur in *gratiam habitualem*, quæ etiam *sanctificans* vocatur, et *gratiam actualem*. Si per gratiam gratum facientem homo Deo gratus et acceptus redditur *formaliter*, vocatur *gratia habitualis;* si vero *dispositive* tantum, vocatur gratia actualis. — Gratia habitualis infunditur animæ ad instar qualitatis fixæ et permanentis; actualis communicatur per modum actus et motionis transeuntis ad operandum in ordine ad sanctificationem.

NB. Nomen *gratia gratum faciens* ordinarie soli gratiæ sanctificanti tribuitur, utpote quæ sola nos Deo formaliter gratos reddit; et in eo sensu gratiam gratum facientem in decursu hujusce tractatus intelligimus.

7. Gratia aliquando dicitur etiam *gratia simpliciter*, et *gratia pro gratia*. « *Gratia simpliciter, ait Montanius*[1], ea dicitur, quæ conceditur a Deo ex meritis Christi, absque ullo ex parte hominum præcedente merito, etiam ex gratia. — *Gratia* vero *pro gratia* ea est, quæ datur propter meritum præcedens, quod ex ipsa gratia oritur. Talis est gloria seu vita æterna, quæ simul est merces et gratia: merces, quia meritis rependitur: gratia, quia merita hæc ex gratia profluunt. »

ARTICULUS II.

ERRORES CIRCA DOCTRINAM DE GRATIA.

1116. — Cum in hujusce tractatus decursu, plura de hæreticis pro materiæ opportunitate sint dicenda, hic præcipuos errores paucis tantum indicare juvat.

Doctrina catholica de divina gratia medium inter duos scopulos iter tenet; ita ut pari sollicitudine vitet et scopulum superbæ independentiæ voluntatis humanæ a Deo, et scopulum destructionis liberi arbitrii.

Quæ media via omnino est necessaria, ut inter homines moralitas servetur. Si enim gratiæ necessitas negetur, voluntas utpote per se jam nimis independens, et in præsumptionem proclivis, nihil boni fa-

[1] Disput. prævia, a. 3, ult. divisio; cf. Gotti, q. II, dub. 2, § 1.

ciet; sin autem negetur libertas sub motione gratiæ, homo fatalismo quodam obcæcatus et abductus, alia via bonum derelinquet. Exinde conspicere licet cur, inspirante inimico salutis, perversi homines tanto cum ardore dogma catholicum utroque modo pervertere conati sint.

Sanam doctrinam priori modo, exaggerando scilicet nativas liberi arbitrii vires, perverterunt Pelagiani et Semipelagiani. Ipsam posteriori modo, plus æquo scilicet extollendo voluntatis humanæ imbecillitatem e peccato originali exortam, perverterunt Protestantes et Jansenistæ.

Qui omnes errores, excepto forsan Protestantismo, clanculum et quasi seipsos negantes irrepserunt; suntque ex omnibus erroribus perniciosissimi, quippe qui columnam salutis humanæ, bona scilicet opera, maxime subvertant.

1117. — Pelagianismus [1]. — Pelagii errores ad tria capita reduci possunt; primum spectat ad peccatum originale; secundum, ad vires liberi arbitrii; tertium, ad naturam et necessitatem gratiæ.

Quoad primum, docuit Pelagius non existere peccatum originale, et Adamum suo peccato sibi soli, non autem posteris, nocuisse.

Hic est primus et palmaris error, ex quo tanquam ex fonte, alia ejus venenata dogmata scaturiunt.

Quoad secundum, docuit Pelagius liberum arbitrium esse in posteris Adæ æque sanum et perfectum ad bonum operandum, quam fuit in ipso Adamo innocente; consequenter, liberum arbitrium sibi sufficere, et gratia nullo modo indigere.

Quoad tertium, scilicet quoad gratiæ naturam et necessitatem, multæ fuerunt Pelagianismi variationes, quæ omnes ad quatuor periodos referri possunt. *a)* Pelagianismus fuit primum velut *Ethnicismus,* nullam gratiæ mentionem faciens. — *b)* Fuit velut *Semi-ethnicismus*, naturam ipsam et liberum arbitrium pro gratia agnoscens. Tunc temporis a Pelagianis invecta est celebris distinctio inter *posse, velle*, et *agere. Posse,* idest, naturalis potentia, est, aiebant, a Deo; *velle* autem et *agere* sunt ab homine. — *c)* Fuit velut *Judaïsmus,* admittens pro gratia ipsam legem et doctrinam; et paulo post, Christi exemplum et imitationem; non autem auxilium internum excitans et adjuvans. — *d)* Fuit demum velut *Semi-Christianismus,* internum admittens quoddam auxilium, gratiam scilicet intellectus, non autem voluntatis. In eo autem admittendo auxilio, Pelagiani in triplicem inciderunt errorem. Docuerunt nimirum hanc gratiam illustrationis dari, non ad inchoandum opus, sed ad perficiendum; eam non esse gratuitam, sed pro merito naturali retribui; eam denique non esse necessariam, sed tantummodo utilem, ad facilius scilicet operandum.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* c. V, art. 2.

1118. — Semipelagianismus. — Ex Pelagianismo ortum duxit Semipelagianismus: et in eodem fundamento, nimia scilicet virium naturalium æstimatione, nititur. Gratiæ necessitatem agnoscunt Semipelagiani; sed in hoc errant, quod videlicet gratiam *ad salutare initium fidei* necessariam non esse doceant. Quod salutare initium fidei, eorum sensu, complectitur: *a)* pium credulitatis affectum, qui absque interiori gratia per Evangelii prædicationem et auditionem excitari potest; *b)* desiderium salutis æternæ, ortum ex illo pietatis affectu: *c)* implorationem divinæ benignitatis hoc desiderium consequentem.

1119. — Protestantismus[1]. — Dum hæresis pelagiana per superbam independentiam bonis operibus adversaretur, et voluntatem gratia ad bonum supernaturale operandum necessaria spoliaret, Protestantismus alia via bonorum operum œconomiam subvertit. — Errores continet cum contra gratiam justificantem, tum contra gratiam actualem.

1. *Quantum ad justificationem, qua homo e statu peccati ad statum justitiæ transfertur: a)* Reformatores sæculi XVI nullam in ea agnoscunt veram peccatorum deletionem, sed docent remissionem peccatorum in mera extrinseca eorum condonatione consistere, tali modo ut Deus peccata jam non aspiciat, nec odio habeat, neque ullis pœnis persequi velit. — *b)* Ne que ullam in justificatione agnoscunt infusionem gratiæ habitualis aut virtutum supernaturalium, sed dicunt justificationem impii consistere in solo favore Dei extrinseco, vel sola imputatione justitiæ Christi, qua peccata hominum quasi quodam pallio contegantur. — *c)* Ad remissionem peccatorum et justitiæ acquisitionem nullam aliam dispositionem necessariam dicunt, quam solam fidem, seu fiduciam peccata sibi esse remissa: exinde axioma: *Sola fides justificat.* — *d)* Hanc demum acceptam justitiam in omnibus æqualem esse, nec per bona opera augeri posse dicunt; et, addunt Calvinistæ, nec per mala opera amitti posse.

2. *Quantum ad gratiam actualem*, docent: *a)* Liberum hominis arbitrium ita fuisse per originale peccatum amissum et exstinctum, ut in statu naturæ lapsæ nihil amplius significet nisi libertatem a coactione, non autem libertatem a necessitate; imo addit Lutherus, ipsum esse titulum sine re et figmentum a Satana invectum in Ecclesia. — *b)* Neminem proinde gratiæ unquam resistere posse; sed omnes sive ad bonum, sive ad malum necessitari: ad bonum quidem, si adsit gratia; ad malum vero, si gratia desit. — *c)* Nullam proinde dari gratiam sufficientem, quæ non sit simul efficax. — *d)* Cum autem, non obstante hac omnimoda gratiæ efficacia, homines non pauci per-

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. XI.

multa præcepta non impleant, hæresis sibi constans affirmat, multa dari præcepta, quæ homini sunt impossibilia. Exinde nata est doctrina protestantica de justificatione per solam fidem absque operibus. — *e)* Ex hac omnimoda hominis necessitate sive ad bonum sive ad malum deducit Calvinus: ex hominibus alios ad beatitudinem, alios vero ad æternum supplicium, absoluto Dei decreto esse destinatos.

Doctrina protestantica, sicut ex his paucis manifestum est, tota in hunc finem vergit, ut homo fatalista effectus, opera bona negligat; et falsam mortiferamque pacem, ope doctrinæ de fide per se solam justificante ac salvante, sibi præbeat; et securus ad mortem usque in iniquitate dormiat, ac denique damnetur.

1120. — Jansenismus. — Hæc hæresis tria complectitur capita: Baianismum, Jansenismum proprie dictum, et Quesnellismum.

I. Baianismus [1]. Baius errores docuit tum circa statum naturæ innocentis, tum circa statum naturæ lapsæ et reparatæ.

1. *Circa statum naturæ innocentis* docuit: Deum, habita ratione suæ justitiæ et bonitatis, hominem absque ordinatione ad intuitivam sui visionem creare non potuisse. Ratio est, quia, ut inquit, intuitiva Dei visio est finis intrinsecus et essentialis cujuslibet creaturæ rationalis, quo hæc absque prævio peccato frustrari nequeat. — Exinde deduxit: *a)* gratiam sanctificantem et dona eidem adnexa, quæ Adamo innocenti concessa erant, naturæ innocenti debita fuisse et naturalia, non autem fuisse dona gratuita et supernaturalia; *b)* merita ex gratia producta, etiam fuisse naturalia; et consequenter æternam beatitudinem mercedem fuisse naturalem non vero supernaturalem.

2. *Circa statum naturæ lapsæ* docuit: hominem suo peccato orbatum esse omnibus gratiæ donis, quæ essent veluti appendices naturæ, et quibus malum vitare bonumque operari potuisset; ac proinde hominem cujuslibet boni esse incapacem, capacem vero solius iniquitatis. Exinde deduxit: *a)* liberum arbitrium sine gratia non valere nisi ad peccandum, omniaque infidelis et peccatoris opera totidem esse peccata, quippe quia sine gratia homo semper agat per vitiosam cupiditatem, qua ad malum necessitetur; *b)* ad merendum vel demerendum non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione.

3. *Circa statum naturæ reparatæ* docuit: opus bonum ex natura sua meritorium esse vitæ æternæ, independenter tum ab ordinatione divina, tum a meritis Christi, tum a conditione personæ operantis. Exinde deduxit: *a)* justitiam, qua justificetur homo, in obedientia

[1] Cf. S. Afph., *Hist. hær.*, Confut. XII; *Magn. prec. adj.*, P. II; Tournely (Mont.), *De Gr.*, pars hist. disp. VI.

mandatorum, non autem in gratia aliqua animæ infusa, formaliter consistere; *b)* veram justificationem et caritatem etiam perfectam cum remissione peccatorum non esse semper conjunctam.

Ex dictis patet Baium, quantum ad statum naturæ innocentis, Pelagii errores renovasse; quantum vero ad statum naturæ lapsæ, in Lutheranismum et Calvinismum deflexisse.

Tota Baii doctrina ex uno et eodem promanat principio, quod ut fundamentum posuit, scilicet: inter caritatem, virtutem theologicam, et vitiosam cupiditatem, nullum mediare amorem rectum. Cum igitur Deus, propter suam bonitatem et justitiam, hominem cum sola prava cupiditate creare non potuerit, nullusque detur amor rectus nisi caritas, inde sequitur Deum hominem cum caritate, tanquam appendice naturæ, necessario creare debuisse; atque caritatem, merita et beatitudinem æternam esse dona naturalia. — Item, cum per peccatum ablata sit gratia et caritas, et non detur alius amor rectus, homo lapsus ad operandum moveri non potest nisi a prava concupiscentia: unde quodlibet opus peccatoris erit necessario peccatum [1].

1121. — II. Jansenismus proprie dictus [2]. — Jansenius eamdem atque Baius, mutatis solum verbis, tradidit doctrinam. Statuit: voluntatem a delectatione ad operandum semper impelli; non dari alium amorem præter delectationem sanctam et delectationem pravam; illamque earum, quæ sit relative victrix, quæ scilicet, relative ad oppositam, majorem gradum virium obtineat, voluntatem semper vincere et necessitare. Ex quo principio de delectatione relative victrici quinque fluunt propositiones ab Innocentio X damnatæ, in quibus Jansenii errores compendiose continentur, videlicet:

Prop. I. Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.

Prop. II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Prop. III. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Prop. IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Prop. V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

[1] Cf. S. Alph., Confut. XII, n. 5. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. XII, a. 3, et Confut. XIII; *Magn. prec. adj.*, P. II; Tourn. (Mont.), *loc. cit.*, disp. VIII.

Quomodo istæ quinque propositiones ex principio de delectatione relative victrici fluant, vide apud Tournely, (Montanium, *De Gratia, Pars hist., disp. VIII, a. 3, § 1, concl. 1).*

1122. — III. Quesnellismus [1]. — Quesnellus eadem doctrinæ puncta docuit atque Baius et Jansenius; longius tamen adhuc progressus est. Docuit: *a)* gratiam habitualem hominem intrinsece non sanctificare; *b)* gratiam actualem esse efficacem efficacia ineluctabili, ad omne opus etiam naturaliter bonum necessariam, atque omnibus peccatoribus denegatam; *c)* non dari medium inter caritatem supernaturalem, qua Deus propter se diligitur, et vitiosam cupiditatem; *d)* gratiam actualem nihil aliud esse quam omnipotentem Dei voluntatem.

ARTICULUS III.

CANONES CONCILII TRIDENTINI (SESS. VI).

1123. — 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.

2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.

5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. XII, a. 4.

7. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

9. Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari aut disponi; anathema sit.

10. Si quis dixerit, homines, sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

11. Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

12. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

14. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

15. Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

17. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

19. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit,

20. Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

21. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

22. Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.

24. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

25. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

26. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.

27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

28. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum; anathema sit.

29. Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide, amissam justitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout

sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino et ejus Apostolis edocta, huc usque professa est, servavit et docuit; anathema sit.

30. Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit.

31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri, derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

PARS I.

DE GRATIA ACTUALI.

1124. — Gratia actualis definitur: *Influxus supernaturalis, quem Deus homini gratis elargitur, per modum actus vel motionis transeuntis, ad operandum in ordine ad vitam æternam.*

De gratia modo definita quærendum est: primo quotuplex distinguatur, et quænam sit ejus essentia; deinde investigandum est quanta sit ejus necessitas; et cum omnibus gratia sit necessaria, videndum est an omnibus detur; denique scrutandum est quomodo in homine suos producat effectus. In I. igitur capite de gratiæ divisione atque essentia disseretur; in II. de ejus necessitate; in III. de ejus distributione; in IV. de ejus efficacia, seu de modo, quo gratia suos effectus producit.

—

CAPUT I.

DE GRATIÆ ACTUALIS DIVISIONE ATQUE NATURA.

Gratiæ actualis multiplex refertur divisio; de trina tantum agemus, scilicet: I. de gratia excitante et adjuvante; II. de gratia communi et speciali; III. de gratia sufficiente et efficaci.

ARTICULUS I.

DE GRATIA EXCITANTE ET ADJUVANTE.

1125. — In ordine naturali Deus duplici modo ad actiones creaturæ concurrit: concursu prævio eam ad agendum movet, et concursu simultaneo eam agentem adjuvat, ei coo-

peratur, atque una cum ea in effectum influit *(cf. n. 837 et seq.)*.

Qui duplex concurrendi modus ad actiones creaturarum in ordine supernaturali etiam existit. Exinde prima enascitur gratiæ actualis divisio in *excitantem* et *adjuvantem*. Hujus divisionis meminit Tridentinum his verbis, *Sess. VI, cap. 6:* « Disponuntur ad justitiam, dum *excitati* divina gratia, et *adjuti*, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. » *Et cap. 5:* « Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus *excitantem* atque *adjuvantem* gratiam ad convertendum se... disponantur. »

S. Augustinus de utraque gratia loquitur: « Deus, *ait*, præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incœpit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur. » *(De Gratia et libero arb., c. 17)*. — Et: « Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante et adjuvante non possumus. » *(De Peccat. merit., l. II, c. 18)*.

Dicemus proinde in § 1. de gratia excitante; et in § 2., de gratia adjuvante.

§ 1. *De Gratia excitante.*

1126. — Definitio. — Gratia excitans definitur: *Motio intellectus et voluntatis a Deo nobis impressa, ut bene velimus et bene agamus in ordine ad vitam æternam.* — Dicitur: *a) motio*, activa scilicet ex parte Dei, passiva ex parte hominis; quia, *ut ait S. Thomas:* « dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur: uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum; et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ; *actus enim moventis in moto est motus.* » *(1. 2., q. 110, a. 2)*.

Dicitur: *b) intellectus et voluntatis*, movetur enim intellectus; et sub illa Dei motione in intellectu exsurgit subitanea cogitatio, ab intellectu physice quidem, sed non libere

producta; quocirca vocatur cogitatio *subitanea, indeliberata*, qua intellectus circa bonum faciendum illustratur. — Movetur et voluntas; et sub illa Dei motione in voluntate exsurgit indeliberata quædam propensio seu inclinatio ad bonum prosequendum vel malum fugiendum.

c) a Deo nobis impressa: quæ verba auctorem gratiæ indicant, qui est solus Deus, qui speciali influxu seu actione gratiam in nobis producit.

d) ut bene velimus et bene agamus etc. quæ verba finem, ob quem gratia excitans a Deo confertur, exhibent.

1127. — Elementa gratiæ excitantis. — Gratia excitans, ut ex data definitione constat, duplicem complectitur motionem: *intellectus* scilicet et *voluntatis*. Ex parte intellectus, gratia excitans vocatur *gratia illustrationis vel illuminationis;* ex parte voluntatis, vocatur *gratia inspirationis*.

Gratiam excitantem non in sola intellectus illustratione sistere, sed voluntatis etiam inspirationem includere, ex Scripturis et Conciliis clare colligitur. Legimus (Ps. CXVIII, 34): *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo*. His verbis regius Vates gratiam illuminationis a Deo postulat. — Et *(ibid. 32): Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Quibus verbis gratia inspirationis commonstratur.

In Concil. Araus. II, can. 7, legimus: « Si quis... evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur errore. » — Et *in Carthagin., can. 4*, anathema dicitur in eos qui negant « per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus... cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus. »

His consonat S. August.: « Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat... ut autem innotesceat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est. » *(De pecc. merit. l. II, c. 17).*

Suffragatur ratio: Ignoti nulla cupido: ut igitur homo in aliquod supernaturale consentiat, hoc ei proponatur, necesse

est: quæ propositio fit per intellectus illuminationem. — Præterea, gratia conceditur ad medelam; ac proinde languidæ facultati applicari debet. Porro, infirmitas homini ex peccato inusta, in voluntate præsertim residet. Gratia igitur voluntati etiam applicetur oportet.

1128. — Gratiæ excitantis nomina. — Gratia excitans pluribus insignitur nominibus: vocatur *operans, excitans, vocans, præveniens, antecedens.*

Vocatur *operans*, quia Deus per eam operatur in nobis sine nobis libere agentibus indeliberatum actum intellectus et voluntatis, secundum illud (Philip. II, 13): *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere.*

Vocatur *excitans* et *vocans*, ex ordine videlicet ad effectum, ad quem datur: Deus gratia sua vocat et excitat, tum infideles, ut a somno infidelitatis exeant; tum peccatores fideles, ut a morte peccati exsurgant; tum justos tepidos, ut a desidia liberati opera bona faciant; tum sanctos, ut ex non operantibus operantes fiant, atque in sanctitate et merito proficiant. (Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium, et pulso.* — (Ephes. V, 14): *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

Vocatur *præveniens* et *antecedens*, quia animam nondum volentem prævenit, eamque ad bonum volendum et malum fugiendum excitat, (Ps. LVIII, 11): *Misericordia ejus præveniet me.*

1129. — Gratiæ excitantis munera. — Ex Scripturis et Patrum testimoniis constat, duo esse gratiæ actualis munera: *præbere vires, et movere ad actum.* (Philip. IV, 13): *Omnia possum in eo qui me confortat.* « Vocat te Deus, *ait S. August.*, et jubet, ut facias; sed ipse dat vires, ut quod jubet, impleri possit. » *(Serm. 32, n. 9).* — Et *S. Petr. Damianus:* « Ille (Spiritus S.) lumen mentibus ingerit, desiderium excitat, vires infundit. Illustrat siquidem ut videamus; provocat ut velimus; roborat ut bona, quæ volumus, implere valeamus. » *(Serm. 21).* — « Facultatem (ad salutares actus), *ait S. Thomas*, dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas homo efficitur potens et aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in

quantum in nobis interius operatur movendo et instigando ad bonum,... in quantum virtus ejus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. » *(Lect. II in c. 3 ad Ephes.).*

Igitur: 1. Si gratia excitans detur homini habitibus infusis destituto, ipsa *facultates transeunter in ordinem supernaturalem elevat,* addendo naturalibus facultatum viribus vires supernaturales, quibus facultates physice præparentur et physice potentes fiant ad operandum supernaturaliter. *Ratio est:* quia nullus actus excedere potest proportionem principii activi; ut igitur facultas naturalis actum supernaturalem producere possit, necesse est ut supra se elevetur, et vires superioris ordinis ei addantur.

2. Si gratia homini habitibus infusis jam instructo concedatur, facultates non elevat, quippe quæ per habitus infusos sunt jam physice potentes et aptæ ad operandum supernaturaliter; earum tamen *vires roborat et confortat.* Etenim ex una parte, « licet per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, et mundus et dæmones qui impugnant exterius. » *(S. Th., P. 3, q. 39, a. 5);* ex alia vero parte, per peccatum originale liberum arbitrium viribus est attenuatum et inclinatum, ut docet Trident. Sess. VI, cap. 1. — Inde evenit ut homo, etiam justificatus, in morali sit impotentia ad legem observandam, nisi per gratiam vires ei addantur. « Quomodo, *inquit S. August.*, gratia te a te liberat? dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires ad pugnandum adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando cœlestem delectationem, qua omnis delectatio superatur. » *(Serm 42, de verbis Isaia, c. 3).*

3. Voluntatem per acceptas vires præparatam et roboratam, gratia *ad consensum invitat et movet.* Ut enim homo supernaturaliter agat, necesse est, tum ut ei occurrat quid agere debeat, tum ut ejus voluntas ad operandum inclinetur; porro, hoc non est in hominis potestate, sed ei a solo Deo per gratiam confertur. « Quis potest credere, *ait S. August.*, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?... Voluntas ipsa, nisi ali-

quid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. » *(Ad Simplic., l. I, q. 2).*

1130. — Gratiæ excitantis natura. — Gratiæ natura est mysterium. Ipsa enim est res ordinis supernaturalis, vincens ex omni parte naturales intellectus vires. Ejus existentiam Deus nobis manifestavit; ejus vero naturam nobis abscondit. Non possumus igitur gratiæ excitantis naturam certo cognoscere: unde et de ea disputant auctores; et ea de re silet S. Alphonsus.

Quæ hac in re probabiliora videntur, his paucis referre sat erit:

1. Unanimiter docent theologi, gratiam actualem donum esse creatum, animæ speciali Dei actione communicatum, atque a divina actione distinctum, sicut constat ex prop. *19* Quesnelli damnata: « Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens voluntas. » *(Denz. n. 1234).*

2. Omnes unanimiter docent, in gratia excitante semper includi cum intellectus illuminationem per indeliberatam et subitaneam cogitationem, qua bonum faciendum intellectui proponitur; tum voluntatis motionem, qua voluntas ad bonum volendum et faciendum per subitaneam inspirationem inclinatur. — Sed controvertitur an hæc indeliberata mentis illustratio et motio voluntatis constituant formaliter gratiam, necne.

Duæ adsunt sententiæ. — *Thomistæ*, cum nonnullis aliis [1], docent gratiam formaliter consistere in entitate quadam physica animæ a Deo transeunter communicata, in quadam scilicet qualitate vel motione virtuosa a Deo animæ per modum transeuntis impressa, per quam facultas novis instruatur viribus, atque, si habitibus infusis careat, in ordinem supernaturalem transeunter elevetur, et in actu primo physice potens et apta constituatur ad actus supernaturales producendos. —

[1] Cf. Philip. a SS. Trinit., In q. 111, disp. II, dub. 5, p. 455; Wenzl, *De Gr.,* Contr. II, q. 1 et 2, p. 66; Tournely, (Mont.), *De Gr.,* P. II, q. 2, a. 2, § 2, concl. 3; Egger, *Enchirid.,* n. 341.

Actus vero indeliberatos intellectus et voluntatis dicunt esse effectus gratiæ excitantis.

Molinistæ vero, et *Congruistæ*, cum nonnullis aliis [1], docent essentiam gratiæ excitantis consistere formaliter in actibus indeliberatis intellectus et voluntatis; facultatem autem hominis habitibus infusis destituti elevari sive per specialem extrinsecam Spiritus Sancti assistentiam supplentem defectum habituum, ut volunt Suarez et Isambert; sive per qualitatem quamdam fluentem, productam a Deo in facultate eodem influxu, sed natura prius, quam actus indeliberatos, ut volunt alii.

Utraque sententia suam habet probabilitatem; probabilior tamen videtur sententia quæ docet, omnem gratiam excitantem, sive detur homini habitibus infusis ornato, sive detur homini eisdem destituto, formaliter consistere in entitate quadam physica, motione scilicet virtuosa, speciali Dei influxu in anima producta, quæ sit causa actuum indeliberatorum.

Hæc sententia S. Scripturis et Traditioni conformior videtur. Scripturæ enim et Traditio gratiam exhibent *tanquam confortantem facultates, inspirantem virtutem, dantem vires, præbentem vires efficacissimas voluntati; tanquam roborantem ut bona implere valeamus, tanquam auxilium divinitus nobis datum, etc.* (cf. n. 1129). Hæc autem omnia manifeste indicant, gratiam physice vires influere in hominem; gratiam facultates physice corroborare et confortare; ac proinde ipsam gratiam formaliter consistere in entitate quadam physica, et non in solis actibus indeliberatis, cum vix concipi possit quomodo actus indeliberati vires physice augere possint in facultate, ita ut hæc constituatur physice potens ad operandum supernaturaliter.

Præterea, in homine habitibus infusis destituto, ut facultas naturalis illos actus indeliberatos, qui sunt entitative supernaturales, connaturaliter elicere valeat, jam per donum quoddam supernaturale transeunter elevetur, necesse est. Sed id,

[1] Cf. Suarez, *De Auxil.*, l. III, c. 3; Mazzella, *De Grat.*, Disp. I, a. 4; Panger, *Theol. Schol., De Grat.*, Disp. I, q. 2; Gibbon, *De Gr.*, Disp. 34, dub. 2 et 3; Isamb., In q. 111, disp. II, a. 4 et 5.

quod facultatem elevat, est gratia excitans. Gratia igitur excitans, non in actibus illis indeliberatis, sed in entitate quadam prævia, quæ eorumdem sit causa, formaliter consistat, oportet.

1131. — Quæritur. *Undenam proveniant, cum gratia excitans conceditur, humanæ mentis illuminatio et inclinatio voluntatis.*

Resp. 1. Cum mentis illuminatio sit actus supernaturalis, ipsa aliunde venire non potest, quam ab ipso Deo eam immediate per **gratiam producente.**

Hanc mentis illuminationem Deus quandoque causat seclusa omni exteriori occasione; sed plerumque eam occasione alicujus exterioris circumstantiæ, puta, loci, temporis, lectionis spiritualis, et præsertim evangelicæ prædicationis, operatur. Homine enim exterius exhortante, piæ in mente naturaliter suscitantur cogitationes, quæ quidem internam gratiam non constituunt, sed quarum occasione Deus ipse intus loquitur et mentem illuminat. Si intus taceret Deus, in vanum sonarent prædicatoris verba. « Sonus verborum nostrorum, *ait S. August.*, aures percutit, magister intus est... Si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Magisteria forinsecus, adjutoria quædam sunt et admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet... Interior ergo Magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio et unctio illius non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. » *(Tract. III in Ep. I. Joan.).*

2. Ad voluntatis motionem quod attinet, docent nonnulli eam a Deo mediate tantum, mediante scilicet intellectus illustratione, produci: voluntatis enim est, ductum intellectus sequi; ratio igitur superius illustrata voluntatem in bonum sufficienter inclinat.

Attamen communis theologorum sententia tenet, piam voluntatis motionem in gratia excitante etiam immediate a Deo provenire. Prærequiritur quidem intellectus illustratio, ut voluntatis motio fiat modo connaturali: nam ignoti nulla cupido; sed hæc intellectus illustratio non sufficit ut moveatur voluntas, cum sæpe contingat vel objectum bonum visum non delectare, vel objectum malum non displicere. Requiritur ergo ut Deus immediate eam voluntatis inclinationem producat.

Quæ opinio Scripturis et Patrum dictis conformior existit. Sic, v. gr., orat Regius Psaltes (Ps. CXVIII, 36): *Inclina cor meum Deus in testimonia tua.* — Et (III Reg. VIII, 57), legimus: *Inclinet* (Dominus) *corda nostra ad se.* Hæc autem immediatam voluntatis motionem denotant [1].

Suffragatur ipsa ratio. — In homine habitibus infusis destituto, voluntas per gratiam elevari debet, ut actum supernaturalem producere

[1] Cf. Gibbon, Disp. 34, dub. 2, n. 9-13.

possit; et in homine habitibus infusis ornato, voluntas etiam corroborari et confortari debet. Voluntas autem per propositionem objecti ex parte intellectus nec elevatur nec corroboratur. Ut igitur voluntas elevetur, corroboretur, et ad bonum moveatur, immediatus in eam divinus requiritur influxus.

§ 2. *De Gratia adjuvante.*

1132. — Definitio. — Gratia adjuvans definitur: *Concursus supernaturalis, quo Deus nobiscum agentibus concurrit ad faciendum bonum, ad quod per gratiam operantem invitavit.* « Ut velimus, *ait S. Augustinus*, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur. » *(De Grat. et lib. arb. c. 17).*

In ordine naturali, quotiescumque agens quidquam operatur, Deus concursu simultaneo cum eo concurrit, et cum eo in effectum influit. Item, in ordine supernaturali, quoties voluntas gratiæ excitanti consentit et opus salutare, ad quod invitatur a gratia, præstat, Deus concursu supernaturalis ordinis cum voluntate concurrit, et simul cum ea tum consensum tum opus salutare operatur. Et ille concursus dicitur gratia adjuvans.

1133. — Gratiæ adjuvantis nomina. — Gratia adjuvans vocatur etiam cooperans, concomitans, subsequens. — Vocatur *adjuvans*, quia ad bonum operandum voluntatem adjuvat, secundum quod dicimus: *Adjuva nos, Deus, salutaris noster.* — *Cooperans*, quia Deus nobiscum operantibus ad bonum producendum cooperatur, secundum illud Apostoli (I Cor. XV, 10): *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* — *Concomitans*, quia hominem operantem comitatur, et simultanee cum eo effectum producit. — *Subsequens*, quia gratiam prævenientem supponit. — Vocatur etiam *subsequens*, in quantum denotat divinum auxilium, quo voluntas in bono proposito firmatur et adjuvatur, ut illud opere perficiat; de quo auxilio dicitur (Ps. XXII, 6): *Misericordia tua subsequetur me.* Et *S. Augst.:* « Nolentem prævenit ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. » *(Enchirid. c. 32).*

1134. — Gratiæ adjuvantis natura. — Adjuvantis gratiæ, non secus ac excitantis natura, est mysterium.

1. *Secundum Thomistas*, gratia adjuvans est nova quædam entitas creata, per modum qualitatis aut motionis virtuosæ a Deo animæ transeunter communicata, quæ voluntatem physice præmovendo ad opus applicat. Voluntas, aiunt, per gratiam excitantem constituitur potens in actu primo ad operandum; sed in actum secundum transire nequit, nisi nova a Deo superveniat motio, quæ voluntatem physice præmovendo, eam ab actu primo in actum secundum reducat, et ad operandum applicet. Novam hanc motionem prævium in voluntatem gratiam adjuvantem dicunt; quæ, eorum sensu, est ipsa gratia efficax stricte sumpta. *(Cf. n. 1198).*

Sicuti manifestum est, secundum Thomistas, gratia adjuvans entitative ab excitante differt; est quippe nova motio prævenions voluntatem, et non solum auxilium concomitans et cooperans; est motio adeo necessaria, ut absque ea homo nullum opus deliberatum, ne minimum quidem, ponere possit; est auxilium a libera hominis cooperatione nullatenus dependens, sicut nec ipsa gratia excitans prima.

2. *Secundum Molinistas et Congruistas*, gratia adjuvans est ipsa gratia excitans, quatenus cum voluntate consentiente novo influxu cooperatur ad effectum. « Eadem cogitatio sancta, *ait Vasquez*, et subitus voluntatis motus dicitur gratia operans et prævenions, et cooperans et concomitans: eadem inquam, diverso modo considerata. Nam quatenus consensum nostrum antecedit, est operans et prævenions; quatenus vero permanens in nobis efficit nobiscum consensum, est cooperans et concomitans. » *(In 1. 2., Disp. 185, c. 9).*

3. *Alii* gratiam adjuvantem dicunt esse concursum divinum ordinis supernaturalis, quo Deus cum creata voluntate ad quemlibet actum salutarem concurrit, sicut in ordine naturali ad omnes creaturarum actiones concursu naturali concurrit. Hæc sententia, *ait Tournely*, « in scholis plurimum pervulgata, nobis videtur præ cæteris amplectenda, utpote S. Augustini et S. Thomæ doctrinæ conformior. » *(Comp., disp.*

præv., a. 3, div. 7). — Cui sententiæ tanquam probabiliori subscribimus.

Gratiam igitur adjuvantem dicimus esse non novam motionem prævíam voluntatis ad actum, sed auxilium quoddam concomitans et cooperans, quod voluntati consentienti gratiæ excitanti cooperatur, tum ad consensum præstandum, tum ad opus exsequendum.

Ut ex dictis conspicuum est, gratia excitans prævenit voluntatem, et absque libera hominis cooperatione semper conceditur; adjuvans vero voluntatem non prævenit, sed cum libera hominis cooperatione et dependenter ab ea conceditur. — Item, gratia excitans, effectum, ob quem datur, non semper sortitur, quippe cui voluntas sæpe resistat; adjuvans vero semper est efficax, non quidem quia ipsa voluntatem infallibiliter ad consensum inclinet, sed quia non detur nisi consentiente voluntate et quodammodo dependenter ab ejus consensu.

ARTICULUS II.

DE GRATIA COMMUNI ET SPECIALI [1].

1135. — Secunda divisio gratiæ est in *auxilium commune* et in *auxilium speciale.*

« Advertendum est, *ait Curiel* [2], sicut in ordine naturæ ad operationem formarum naturalium est necessarius concursus generalis Dei proportionatus eisdem formis et eis debitus lege Dei ordinaria; ita etiam in ordine supernaturali ad operationes formarum supernaturalium, scilicet gratiæ et virtutum infusarum, necessarium esse concursum actualem Dei proportionatum eisdem formis, ut sint principia operandi, et eis debitum ex lege ordinaria gratiæ; et quamvis hic concursus possit appellari auxilium *speciale,* facta comparatione ad hominem secundum suam naturam, quia non est ei debitus; tamen alia ratione potest appellari auxilium *generale,* et con-

[1] Cf. Kœllin, In q. 109, a. 1 et 2; Isamb. q. 109, Disp. 8, a. 1. — [2] In 1. 2., q. 109, a. 9, § 4, p. 831.

cursus generalis, scilicet intra ordinem gratiæ; quia facta comparatione ad hominem, ut habet gratiam, est debitus ex connaturalitate ad ipsam gratiam; sed in ordine gratiæ præter hoc auxilium datur aliud specialius, quod sicut D. Thomas docet in fine corporis *(q. 109, a. 9)*, et in solutione secundi, consistit in tribus: *Primum* est directio extrinseca, qua Deus rationem vivendi alicujus dirigit et ordinat per media quibus adjuvetur ad observandum præcepta, et vitandum peccata mortalia. *Secundum* est protectio etiam extrinseca, qua Deus removet impedimenta sive moventia ad peccandum, sive retardantia a prosecutione boni. *Tertium* est copia internarum illustrationum et inspirationum valde efficacium: et hoc auxilium appellatur simpliciter speciale, quia non solum non est debitum homini secundum suam naturam, sed neque ut habet gratiam, imo datur ei ex nova misericordia. »

Quæ distinctio in gratiam communem et specialem ad S. Patrum et antiquiorum theologorum intelligentiam plurimum confert. Hi siquidem gratiam ratione status supernaturalis omnibus debitam, quæ nunc *gratia sufficiens* a theologis nuncupatur, non gratiam simpliciter, sed *gratiam communem*, aut *auxilium vel adjutorium commune* appellare consueverunt; reservato nomine *gratiæ* speciali auxilio, quod omnibus indistincte non conceditur, et specialiorem Dei benevolentiam involvit, et quod nunc nomine gratiæ efficacis vocatur.

ARTICULUS III.

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

1136. — Celebrior gratiæ actualis divisio, cujus occasione maximæ in scholis fervent controversiæ, est ea, qua gratia dividitur in gratiam *sufficientem* et *in efficacem*. Hujus divisionis antiquiores theologi mentionem non faciunt; ast teste *Henrico a Gorichem, (De prædest., prop. XV, edit. 1503, fol. 24)*, medio jam sæculo decimo quinto in scholis invaluit, et jamdiu universaliter est recepta.

Gratia *sufficiens* generice sumpta, sicut nomen indicat, ea dicitur, *quæ voluntati vires ad salutariter operandum neces-*

sarias præbet; efficax vero ea dicitur, *quæ conjungitur cum effectu, ad quem datur.*

In hac generali notione omnes concordant theologi; si vero pressius inquiratur, quid sit proprie gratia sufficiens, et quid efficax, pro diversitate systematum de modo efficaciæ gratiæ in diversas abeunt sententias.

In præsenti, ne nimia notionum varietate confusio generetur, eas tantum gratiæ sufficientis et efficacis referemus notiones, quæ in systemate S. Alphonsi et scholæ Sorbonicæ statuuntur. Quæ vero in aliis scholis traduntur notiones, in capite IV exponentur, ubi de modo operandi gratiæ sermo occurret.

1137. — Secundum *S. Alphonsum* GRATIA SUFFICIENS ea dicitur, quæ in actu primo, in se scilicet, omnia continet quæ necessaria sunt ad opus, ad quod datur, reapse ponendum; quæ nimirum homini veram et expeditam confert agendi potentiam, et eum ad operandum movet, quin tamen cum effectu vel actu secundo infallibilem habeat connexionem causalitatis. *(Cf. n. 1223 et seq.)*. Sic in se considerata, gratia vocatur *præcisive* sufficiens. Quo in sensu gratiam sufficientem intelligimus, quando in capite II et III de ea sermo occurrit.

Hocce munitus auxilio, homo, si vult, gratiæ consentire et opus reapse ponere potest, non exspectato alio auxilio præmovente. Si homo gratiæ consensum præbet, et bonum exsequitur, gratia conjungitur cum effectu seu actu secundo ob voluntatis consensum, et vocatur *efficiens, efficax ab eventu, efficax a consensu, efficax late.* — Si vero homo gratiæ consensum denegat, gratia remanet *pure* vel *mere* sufficiens.

Gratia igitur sufficiens quandoque effectum suum obtinet, quandoque non obtinet, prout homo ei consentit vel non; quocirca ipsa dicitur producere effectum suum *contingenter*, et habere cum effectu connexionem causalitatis *contingentem*, non autem *infallibilem.*

Gratia sufficiens alia est *proxime* et *immediate*, alia *remote* et *mediate* sufficiens. — *Proxime* sufficiens est auxilium, quo homo opus, ad quod confertur, immediate ponere potest. — *Remote* sufficiens est auxilium, quod non dat vires suffi-

cientes ad opus immediate ponendum, sed quocum homo immediate ponere potest aliquod opus minus arduum, quo mediante majus auxilium, quo ad opus præscriptum implendum indiget, a Deo obtinere potest. V. gr., Deus, irruente aliqua vehementi tentatione, gratiam orationis elargitur; cui si homo assensum præbet et orat, majorem gratiam, quæ ad vincendam tentationem necessaria est, obtinebit.

1138. — Gratia EFFICAX STRICTE DICTA, seu efficax *ab intrinseco*, est divinum auxilium quod, propter virtutem sibi intrinsecam, voluntatis consensum infallibiliter semper operatur, et cum actu secundo infallibilem semper habet connexionem, infallibilitate non solum prævisionis, sed causalitatis, ita ut effectu, propter quem datur, nunquam frustretur. *(Cf. n. 1215 et seq.)*.

1139. — **Errores.** — *Protestantes* pro statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem omnino rejiciunt, solamque efficacem agnoscunt, eamque talem, quæ *necessario* suum producat effectum.

Jansenistæ præter gratiam efficacem, gratiam quamdam sufficientem admittunt, sed talem quæ, considerata opposita concupiscentia majori, nullum effectum producere possit; non admittunt igitur gratiam vere et relative, licet tantum mere sufficientem.

Contra quos igitur probandum est, in præsenti statu naturæ dari gratiam vere et relative licet mere sufficientem; et, libertatem gratia efficaci non tolli.

Ad existentiam ipsius gratiæ efficacis quod attinet, ea probanda supersedemus, cum nec adversarii eam negent, et quotidiana experientia ex operibus salutaribus aperte constet multas gratias esse efficaces; præterea, *n. 1217* probabitur gratiam efficacem non qualemcumque, sed ex sese et ab intrinseco efficacem, admittendam esse.

1140. — **Prop. I.** *Admittenda est in præsenti statu naturæ lapsæ gratia vere et relative sed mere sufficiens.*

De fide, ex proscriptis Jansenii propositionibus prima et secunda, quæ ut *hæreticæ* sunt damnatæ. Affirmat prop. 2, quod *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resis-*

titur; ex cujus condemnatione constat dari interiorem gratiam cui homo quandoque resistit[1].

NB. Dicitur in prop. *gratia vere et relative sufficiens,* id est, quæ homini veram et sufficientem agendi potentiam confert, ita ut ex parte principii nihil ei desit ad operandum, et ad vincendas præsentes difficultates in quibus versatur. Potest autem hæc potentia esse immediata vel mediata.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Is. V, 4): *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* — (Act. VII, 51): *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Hisce verbis constat, Judæos virtutem habuisse faciendi uvas, bona scilicet opera, et non fecisse; ipsos Spiritus S. vocem audire et sequi potuisse, et non esse secutos. Habuerunt igitur gratiam vere et relative sufficientem, quæ tamen effectu caruit. Datur igitur in præsenti statu gratia vere et relative, sed mere sufficiens.

II. **Ex Traditione.** Legimus in Conc. Arausicano II, can. 25: « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » Sed multi huic gratiæ resistunt, sicut experientia constat.

III. **Ex Ratione.** 1. Deus impossibilia non jubet, ut testatur Tridentinum, Sess. VI, cap. 11; ad impossibile enim nemo tenetur. Ergo, quando lex urget, Deus ad eam observandam gratiam vere et relative sufficientem elargitur. Sed multi sunt, etiam ex justis, qui legi non semper obtemperant. Ergo gratia his concessa, fuit vere et relative, sed mere sufficiens.

2. Deus vult omnes homines salvos fieri. Ergo dat omnibus gratias vere et relative sufficientes ad salutem consequendam. Multi autem sunt qui ad salutem non perveniunt. Ergo in istis gratia vere sufficiens remansit mere sufficiens.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Confut. XIII, n. 4 (T. V, p. 478).

1141. — Prop. II. *Gratia efficax ita hominem ad bonum adducit, ut ejus libertatem non tollat.*

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 4: « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti,... neque posse dissentire, si velit,... A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eccli. XXXI, 10): *Qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Justus igitur per Dei gratiam sese abstinuit a malis, cum ea facere potuisset. Ergo sub motione gratiæ efficacis liber remansit.

II. **Ex Traditione.** « Liberum arbitrium, *ait S. August.*, ideo non tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur. » *(Ep. 157, ad Hil. n. 10).*

III. **Ex Ratione.** Si sub motione gratiæ efficacis humana libertas intacta non remaneret, vanæ forent exhortationes, quibus in Scripturis Deus homines ad bonum excitat; et vanæ minæ, quibus eos a malo deterret; insuper nec laus virtuti, nec vitio deberetur vituperatio, cum neque virtus non exerceri, neque vitium ullo pacto vitari posset.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

1142. — Circa gratiæ necessitatem duplex prodiit error. Pelagiani, nativas hominis lapsi vires nimis extollentes, gratiæ necessitatem plus æquo minuunt; Protestantes contra et Jansenistæ, easdem vires nimis deprimentes, falsam prorsus et hæreticam causam necessitatis gratiæ afferunt, et naturam gratiæ destruunt.

Contra quos examinandum est, quid possit homo absque gratia, et ad quid gratiâ, tum in ordine ad verum, tum in ordine ad bonum, indigeat. Et cum inter maxima hominis bona computentur tum abstinentia a peccatis, tum præsertim finalis perseverantia, de his specialis discussio instituetur.

Quatuor igitur in hoc secundo capite sunt enucleanda, videlicet: I. necessitas gratiæ ad verum cognoscendum; II. necessitas gratiæ ad bonum faciendum; III. necessitas gratiæ ad non peccandum; IV. necessitas gratiæ ad perseverandum.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM COGNOSCENDUM.

Duplex distinguitur verum, videlicet: *naturale* et *supernaturale;* quocirca duplex erit paragraphus; in primo de necessitate gratiæ ad verum naturale cognoscendum; in altero de ejus necessitate ad cognoscendum verum supernaturale, sermo erit.

§ 1. *De Gratiæ necessitate ad verum naturale cognoscendum* [1].

1143. — Prænotanda. — 1. Verum naturale illud vocatur, in cujus cognitionem intellectus noster ex perceptione rerum sensibilium pervenire potest.

2. Veritas naturalis est *speculativa* vel *practica: speculativa* sistit in sola objecti contemplatione; *practica* objectum considerat in ordine ad operationem. In hocce tractatu veritas practica intelligitur, quæ ordinatur ad operationem in ordine morali.

3. Veritas naturalis potest esse naturalis vel ex parte objecti, vel ex parte medii. *Ex parte objecti* est naturalis, si objectum est ordinis naturalis; *ex parte medii seu luminis* est naturalis, si naturali intellectus lumine cognosci potest. Multa enim dantur objecta, v. gr., stellarum numerus, futura contingentia, etc., quæ, licet sint ordinis naturalis, ex viribus solius naturæ certo cognosci nequeant. — In dicendis agetur de solis veritatibus utroque modo naturalibus.

[1] Cf. Isamb., q. 109, Disp. III, pag. 307; Gibbon, Tr. IV, disp. XXX; Gonet, *Clyp., De Grat.,* disp. I, a. 1; Gotti, *De Grat.,* q. 1, dub. 3.

4. Veritates tam speculativæ quam practicæ considerari possunt *divisive* vel *collective*. *Divisive* considerantur, cum una vel aliquæ seorsim ab aliis inspiciuntur; *collective*, cum totus earum complexus simul consideratur.

5. Potentia facultatis potest esse vel *physica* vel *moralis*. Potentia *physica* est sufficiens virtus activa in principio cognoscitivo ad objectum attingendum. Hæc dicit nudam proportionem inter facultatem et objectum; et ab impedimentis, quæ supervenire possunt, abstrahit. — Potentia *moralis* non solum dicit sufficientiam virtutis activæ, sed etiam carentiam omnium impedimentorum quæ obstare possunt, quominus facultas objectum attingat, vel saltem prompte ac expedite operetur. Sic, v. gr., homo sanus, qui compedibus detinetur, potentiam physicam, non autem moralem, ad ambulandum habet.

1144. — Prop. I. *Homo in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu Dei generali absque ullo auxilio gratuito, potest aliquas veritates ordinis naturalis tam speculativas quam practicas seu morales, certo cognoscere.*

Propositio duas continet partes; altera, de veritatibus speculativis, est *de fide*, ex Vatic., Const. *Dei Filius*, cap. II, can. 1; altera, de veritatibus practicis seu moralibus, est *communis doctorum sententia* (cf. n. 392).

Prob. I. Pars. — I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. XIII, 5): *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* — Et (Rom. I, 19, 20): *Quod notum est Dei, manifestum est in illis... invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.* Quibus compertum est omnino, veritates aliquas speculativas a nobis naturaliter cognosci posse.

II. **Ex Ratione.** Quælibet virtus aut forma a Deo rebus indita, suis viribus cum solo concursu generali in aliquos actus sibi proportionatos prorumpere potest. Sed lumen naturale intellectus nostri est virtus a Deo homini indita, cujus objectum connaturale est verum naturale. Potest ergo intellectus noster

aliquas veritates naturales solis suis viribus certo cognoscere. *(S. Th., q. 109, a. 1).*

Prob. II. Pars. [1] — I. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. IV, 6, 7): *Multi dicunt: quis ostendit nobis bona?* id est, quæ facienda sunt. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Ubi Propheta docet, non posse propter ignorantiam excusari homines, si non servant præcepta moralia, cum ab ipsa natura lumen in corde impressum habeant, ut *S. Cyrillus* exponit. *(In Joan. l. I, c. 9).*

(Rom. I, 21): *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* In hoc cap. I ad Rom. ostendit Apostolus gentiles cum Dei cognitionem, tum obligationem eum colendi ex creaturis accipere potuisse; quam ob causam eos inexcusabiles esse pronuntiat.

II. **Ex Traditione.** « Manu formatoris nostri, *inquit S. August.*, in ipsis cordibus veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, nec facias alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est. » *(In Ps. LVII).*

III. **Ex Ratione.** 1. Veritates practicæ naturales sunt viribus naturalibus intellectus proportionatæ. Ergo saltem aliquæ ex eis absque speciali auxilio gratiæ cognosci possunt.

2. Multæ veritates practicæ ex speculativis per se deducuntur; ut, v. gr., ex cognitione Dei deducitur ipsum esse colendum. Ergo has homo naturaliter cognoscere potest.

1145. — Prop. II. *Homo in statu naturæ lapsæ, non potest sine speciali auxilio gratiæ omnes veritates tam speculativas quam practicas ordinis naturalis collective certo cognoscere.*

Certa et communis.

NB. Non agitur de impotentia physica, sed morali. Docent enim communiter auctores, in homine lapso adesse potentiam physicam ad omnes veritates ordinis naturalis, etiam collective sumptas, certo cognoscendas. Satis autem est, ut illud gratiæ auxilium, quod necessarium dicitur, sit supernaturale *quoad modum;* cujusmodi sunt infusio specierum naturalium, externa Dei protectio removens impedimen-

[1] Cf. Bellarm. *De Gr. et lib. arb.*, l. V, c. 2.

ta, etc.: quippe cum collectio omnium istarum veritatum sit aliquid naturale, non requiritur gratia supernaturalis quoad substantiam.

Prob. Qui versatur in morali impotentia ad omnes veritates naturales collective sumptas attingendas, speciali indiget auxilio ut eas certo cognoscat. Atqui talis est conditio hominis lapsi. Enimvero:

a) Innumeræ sunt veritates ordinis naturalis; brevissima vero vita humana, et ad tantum laborem nullatenus sufficiens.

b) Intellectus operatio a sensibus, a quibus dependet, retardatur: sensus exercitio defatigantur, et deprimunt animam, secundum illud (Sap. IX, 15): *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

c) Sollicitudo temporalium, quæ ad vitam sunt necessaria, hominem a scientiæ inquisitione retrahit.

d) Rebellio passionum spiritum sæpe obnubilat.

e) His alia fere innumera accedunt impedimenta, quæ humanam fragilitatem undique quasi circumvallant. Inde illud Hippocratis effatum: « Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile.» *(Aphor. 2).*

§ 2. *De Necessitate gratiæ ad verum supernaturale cognoscendum* [1].

1146. — Prænotanda. — 1. Verum supernaturale illud dicitur, quod naturæ ordinem supergreditur, et lumine naturali cognosci nequit; ut, v. gr., Deum esse trinum in personis.

2. Verum supernaturale absque externa revelationis gratia cognosci non posse, manifestum est. Sed quæstio est, an, posita veritatum supernaturalium revelatione, intellectus humanus absque gratia entitative supernaturali eisdem salutarem assensum præbere possit.

3. In actu fidei objectum materiale, quod creditur, est veritas a Deo proposita; objectum vero formale, seu ratio ob

[1] Cf. Billuart, Diss. III, a. 2, § 2; Gonet, *Clyp.*, Disp. I, a. 2; Gotti, q. I, dub. 2; Gibbon, Tr. IV, disp. XXX, dub. 3.

quam intellectus assensum præbet, est veracitas Dei revelantis *(n. 1322)*. Cum autem verum supernaturale intellectui non sit evidens, et ideo ejus assensum non cogat, necesse est ut intellectus a voluntate ad assensum inclinetur. Unde actus fidei definitur: *Assensus intellectus imperatus a voluntate propter auctoritatem Dei revelantis.*

1147. — **Errores.** — *Pelagius,* quando dogmatizare cœpit, docuit hominem veritates supernaturales absque ullo interioris gratiæ adjutorio credere posse actu salutari; postea vero gratiam admisit ex parte intellectus; nullam vero ex parte voluntatis. *Semipelagiani* ad ipsum salutarem actum fidei gratiam tam illustrationis quam inspirationis necessariam dixerunt; ast docuerunt, initium fidei, id est, pium credulitatis affectum, seu desiderium credendi, esse a nobis sine gratia; Deumque iis dare fidem, qui sese ad illam per istum pium credulitatis affectum præparent.

1148. — **Prop. I.** *Ad salutarem actum fidei requiritur interior Spiritus Sancti gratia tam illustrationis quam inspirationis.*

De fide, ex Trid. Sess. VI, can. 3; et ex Arausic. II, cap. 7, in quo legimus: « Si quis dixerit per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu. »

NB. Dicitur *ad salutarem actum fidei*, posset enim aliquis ex motivo pure humano evangelicæ prædicationi et aliquibus veritatibus revelatis sibi propositis assensum præbere, sicut multi hæretici aliquas veritates revelatas admittunt: qui actus est mere naturalis, et ad salutem omnino inutilis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* — (Ephes. II, 89): *Gratia estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* — (Act. XVI, 14): *Cujus* (Lydiæ) *Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.* Ex his autem verbis constat fidem esse donum Dei, et ex sola gratia haberi.

II. **Ex Ratione.** 1. Actus salutaris fidei est entitative supernaturalis, ut docent communiter auctores. Sed ad talem actum necessario requiritur gratia entitative supernaturalis. Ergo. *(Cf. S. Th., 2. 2, q. 6, a. 1).*

2. Ex parte etiam voluntatis requiri gratiam, speciali probatur ratione, videlicet: Ut intellectus, licet gratia illuminatus, veritati supernaturali assensum præbeat, a voluntate inclinetur, necesse est: « credere aut non credere, *ait S. Ambrosius*, voluntatis est; neque enim cogi potest ad id quod non est manifestum. » *(In Ep. ad Rom. c. IV).* Atqui voluntas propriis viribus intellectum ad actum entitative supernaturalem movere nequit. Ergo etiam ex parte voluntatis interior requiritur gratia.

1149. — Prop. II. *Ad salutare initium fidei necessaria est interior Spiritus Sancti gratia.*

De fide, ex Arausic. II, can. 5: « Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiæ donum,.. sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (II Cor. III, 5): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* In quæ verba scribit *S. Alph.*: « Initium igitur fidei, non illud quidem fidei initium quod pertinet ad intellectum, qui veritatem fidei naturaliter apprehendit, sed ea pia credendi voluntas, quæ nondum est fides formata, quia non est nisi cogitatio volendi credere, quæ fidem præcedit, ut *ait S. Augustinus*, illa bona cogitatio secundum Apostolum, non est nisi a Deo. » *(Hist. hær. confut. VI, n. 2).*

(I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* « Si initium bonæ voluntatis, *ait S. Alph.*, quæ nos disponit ad recipiendum a Deo fidem vel aliud quoddam gratiæ donum, esset a nobis, illud nos discerneret ab alio, qui bonæ voluntatis initium in ordine ad vitam æternam non haberet. Affirmat autem S. Paulus, omne quod habemus, ac proinde omne primum fidei et salutis desiderium, esse no-

bis a Deo datum: *quid autem habes quod non accepisti?* » *(Loc. cit. n. 3).*

II. **Ex Traditione.** « Nullus credit aliquid, *inquit S. Augst.*, nisi prius cogitaverit esse credendum... Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, si non simus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. » *(De prædest. Sanct. c. 2).*

III. **Ex Ratione.** 1. Pia affectio voluntatis, in qua initium fidei consistit, entitative supernaturalis sit oportet, quippe quæ ad rem entitative supernaturalem, ad fidem videlicet salutarem, ordinetur. Ergo a sola natura absque gratia haberi nequit.

2. Fides, *ut ait Trid. Sess. VI, c. 8*, est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix totius justificationis. Atqui, impossibile est salutis et justificationis initium esse a nobis sine gratia; sed totum ex meritis Christi et libera Dei voluntate habetur. Ergo nec ipsum salutare fidei initium a nobis esse potest.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD BONUM FACIENDUM.

1150. — Prænotanda. — 1. Sicut intellectus objectum est verum, ita voluntatis objectum est bonum, non quodcumque, sed bonum morale; et sicut intellectui per peccatum inustum est vulnus ignorantiæ, ita voluntati illatum est vulnus malitiæ; quo fit ut voluntas ad verum bonum magnam difficultatem, ad illicitum autem magnam sentiat proclivitatem.

2. Per opus morale intelligitur actus humanus cum plena advertentia positus. Cujus actus bonitas ex duobus desumitur: ex objecto scilicet, et ex circumstantiis, præsertim vero ex fine operantis, ut ethica docet.

3. Bonum morale potest esse vel *naturale*, vel *supernaturale:* Est *naturale*, cum conforme quidem est rectæ rationis

regulis, quin tamen in Deum, ut auctorem gloriæ, referatur; v. gr., datio eleemosynæ eo fine, ut quis miseriam proximi sublevet. — Est *supernaturale*, cum actio, honesta ex objecto et circumstantiis, ab operante ultimatim ad Deum, ut auctorem gratiæ et gloriæ, refertur; ut, v. gr., datio eleemosynæ **ob amorem Christi.**

4. Homo lapsus considerari potest vel *ut nude in se*, scilicet, cum suis solis viribus naturalibus; vel *ut justificatus*, habens in se donum gratiæ sanctificantis; vel *ut peccator*, sed habens fidem; vel *ut infidelis*, carens fide et gratia sanctificante.

5. In ordine ad bonum, sicut in ordine ad verum, distinguenda est in homine lapso potentia physica et potentia moralis. *(Cf. n. 1143, 5).*

1151. — Errores. — *Lutherus*, qui liberum arbitrium per Adami prævaricationem exstinctum fuisse docet, affirmat hominem ad omne bonum etiam ordinis naturalis incapacem esse, imo et in omni opere **suo semper peccare** [1].

Baius [2], qui in homine lapso nullum amorem præter caritatem supernaturalem et vitiosam cupiditatem agnoscit, docet hominem peccatorem, utpote ex vitiosa cupiditate semper operantem, in omni opere suo semper peccare. Quam ab causam, gratiam sanctificantem ad omne opus bonum, etiam ordinis naturalis, necessariam esse contendit.

Jansenius, non quidem gratiam sanctificantem, sed fidem dicit esse necessariam homini ad opus bonum, etiam ordinis naturalis, ponendum; exinde docet infidelium opera totidem esse peccata.

Pelagius contra docuit hominem lapsum ex solius naturæ viribus, absque interiori Spiritus Sancti gratia, posse non solum totam legem naturalem implere, sed etiam omne opus supernaturaliter bonum **præstare.**

Contra quos sequentes statuuntur propositiones.

1152. — Prop. I. *Homo lapsus, absque ullo gratiæ auxilio, per solas vires naturæ, bona quædam moralia ordinis naturalis exercere potest* [3].

[1] Cf. prop. damn. *31, 32* et *36;* S. Alph., *Hist. hær.,* c. XI, n. 26 (T. IV, p. 140). — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Confut. XII, n. 4 et seq. (T. V, p. 459). — [3] Cf. Tourn. (Mont.) P. III, q. 3, a. 2, § 4; Gibbon, Disp. 31, dub. 2.

Dicitur: *homo lapsus*, sive reparatus, sive non; *absque ullo gratiæ auxilio,* non autem absque concursu Dei generali; *bona quædam,* non omnia, sed aliqua faciliora, et quando gravis non urget tentatio; ut, v. gr., colere parentes, erogare exiguam eleemosynam indigenti, et alia id genus.

Propositio *ad fidem pertinet,* ex damnatis propositionibus Quesnelli et Baii; præcipue ex *39.* Quesnelli: « Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, est incapax ad omne bonum. » — Et ex *27.* Baii: « Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. »

Prob. I. **Ex Traditione.** Ait *S. Basilius:* « Insident et nobis virtutes secundum naturam, cum quibus inest animæ affinitas quædam, non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura. » *(In hexam. hom. 9).* — Et *S. August.:* « Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea veluti lineamenta extrema remanserint: unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ *facere aliqua legis vel sapere.* » *(De Spir. et litt. c. 28).*

II. **Ex Ratione.** Homo illud facere potest, ad quod liberam et expeditam habet potestatem: quælibet quippe causa creata viribus suis aliquem actum sibi proportionatum exercere potest. Atqui, homo, etiam lapsus, liberam et expeditam habet potestatem ad aliquod bonum morale, quando scilicet non est arduum, et a ratione tanquam honestum proponitur. Nam, etsi liberi arbitrii vires per peccatum læsæ sint atque attenuatæ, non omnino tamen sunt exstinctæ, ut docet Trident., Sess. VI, cap. 1, et can. 5. Ergo homo per sola sua naturalia facere potest opera quædam leviora ordinis naturalis; non secus atque homo infirmus, qui per seipsum aliquem motum, licet non adeo perfecte quam homo sanus, adhuc habere potest.

1153. — Prop. II. *Omnia hominis peccatoris vel infidelis opera non sunt peccata.*

De fide, ex Trident., Sess. VI, can. 7: « Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, A. S. »

Prob. Hæc propositio fluit tanquam corollarium ex prop. superiori. Si enim quilibet homo cum solis naturæ viribus, absque ulla gratia, opera quædam naturaliter bona exercere potest, sequitur necessario, eadem in infideli aut peccatore esse etiam bona et honesta; ac proinde non peccata. — *Probatur præterea:*

I. **Ex damnatis prop. Baii:** *35.* « Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. » — *25.:* « Omnia infidelium opera sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. »

II. **Ex Script. S.** Dixit Daniel ad Nabuchodonosor: *Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi; et peccata tua eleemosynis redime.* (Dan. IV, 24). Ast peccata peccatis non redimuntur. Eleemosynæ igitur regis, licet infidelis, opera erant bona.

De eodem Nabuchodonosor legimus (Ezech. XXIX, 20: *Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* In quæ verba scribit *S. Hieronymus:* « Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio præteriri. » — Et (Exod. I, 20, 21) legimus: *Bene ergo fecit Deus obstetricibus,... et quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos.*

III. **Ex Ratione.** « Cum infidelitas, *ait S. Th.*, sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent; remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est quod infideles non possunt operari bona opera quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt. » *(2. 2., q. 10, a. 4).*

Quod de infidelibus dicitur, illud a fortiori de peccatoribus, qui fidem retinent, affirmandum est; quin imo, ut ex decursu tractatus constabit, peccator fidelis cum sola gratia actuali opera quædam salutaria efficere potest.

1154. — Objicitur. Objiciunt discipuli Baii et Quesnelli: Infideles a Deo tanquam fine ultimo aversi sunt, et conversi ad creaturas. Atqui finis est, propter quem omnia fiunt. Ergo infideles nullam

actionem bonam ponere possunt; sed omnes eorum actiones ex fine perverso sunt deordinatæ.

Resp. Infideles aversi sunt a Deo, et conversi ad creaturam habitualiter, sed non semper actualiter. Propterea, non omnia opera sua propter finem ultimum perversum faciunt; sed plura etiam propter finem proximum honestum faciunt, ut, v. gr., propter amorem patriæ, parentum, etc., sistendo in hoc fine proximo, quin actionem in ultimum finem perversum referant. Ergo non semper propter finem ultimum perversum agunt, sed multa, saltem faciliora, propter finem honestum exsequi possunt. Talis autem actio honesta, propter objectivam suam tendentiam honestam, implicite ad Deum fertur. Ergo non obstante eorum habituali aversione a Deo, aliqua tamen opera bona facere possunt. Etenim non absolute obstinati sunt in malo, sicut dæmones et damnati in inferno. Damnati utique semper propter finem suum ultimum pessimum agunt, et Deum positive excludunt; non autem homines infideles et peccatores in præsenti vita.

1155. — Prop. III. *Homo lapsus absque speciali gratiæ auxilio totam legem naturalem servare non potest.* — Certa.

NB. Præceptum naturale potest observari dupliciter; quoad substantiam et quoad modum. Impletur *quoad substantiam*, quando opus præscriptum ponitur, aut prohibitum omittitur; impletur *quoad modum*, quando opus præscriptum fit ex caritate, et in Deum, auctorem gratiæ, refertur; ac proinde fit fructuose quoad salutem. (*Cf. S. Th., 1. 2., q. 109, a. 4*). In propositione de sola legis observantia quoad substantiam agitur.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. VIII, 21): *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.... adii Dominum et deprecatus sum illum.* His in verbis agitur de præcepto legis naturalis; et tamen fatetur Sapiens se huic observando præcepto per se esse imparem. — Idem constat ex verbis Apostoli (Rom. VII, 22): *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.*

II. **Ex Traditione.** Legimus *in Conc. Milevitano, can. 5:* « Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur, non quidem

facile, sed tamen possimus sine illa implere mandata, anathema, sit. »

Et in Tridentino, Sess. VI, cap. 13, de eo monentur homines etiam justificati, quod « formidare debent... de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, etc. »

De Decalogo loquens, ait *S. Augustinus:* « Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratia Dei. » *(Serm. 148, de Temp. c. 5).* — Et *S. Ambros.:* « Quis, *inquit*, est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus adjutor ei assistat? » *(In Ps. LXIII. n. 71).*

III. **Ex Ratione.** 1. Impletio totius legis, sicuti contra Pelagium docent Concilia et Patres, opus est perfectissimum naturæ integræ et sanæ. Sed natura, quæ per peccatum infirmata et vulnerata est, nequit amplius præstare, quod potuit sana. Ergo absque gratia non potest homo lapsus totam legem, nequidem quoad substantiam, implere.

2. Quod aliquis sibi habitualiter tanquam ultimum finem elegit, ad id ordinarie, data occasione, tendit. Et quamvis deliberatione rationis perverso fini resistere possit, tamen hæc deliberatio in contrarium valde debilis est, et inefficax contra vehementissimam inclinationem in finem prædilectum, præsertim in repentinis atque improvisis casibus. Atqui, homo lapsus, et præsertim infidelis, creaturam tanquam ultimum finem sibi constituit Deoque præposuit. Ergo, data occasione, perversum hunc finem fere semper eliget, relicta lege Dei et honestatis. Ergo homo habitualiter a Deo aversus, licet aliqua faciliora peragere possit, attamen totam legem naturalem nullo modo implere potest, nisi supernaturali gratia adjuvetur et confortetur.

Corollarium. Ex dictis legitime inferre licet, hominem lapsum absque gratia omnia peccata mortalia contra legem naturalem diu vitare non posse.

1156. — Quæritur I. *Utrum hominis impotentia ad totam legem naturalem servandam physica an tantum moralis sit ?*

Resp. Disputant auctores. Alii, sed numero pauciores, dicunt impotentiam esse physicam, cum ex intrinseca virium liberi arbitrii imminutione oriatur; alii vero, quorum sententia est communior, dicunt eam esse tantum moralem, sed summam; etsi enim liberum arbitrium infirmatum sit, remanet tamen proportio inter ejus vires et legem adimplendam; sed homo tantis undique circumdatur impedimentis, ut moraliter, sine gratia sanante, totam legem nullo modo implere valeat.

1157. — Quæritur II. *Quodnam requiratur gratiæ auxilium ad totam legem naturalem servandam?* [1].

Resp. Per se et attenta sola ratione objecti, sufficit gratia ordinis naturalis. — Sed attenta hominis elevatione ad ordinem supernaturalem, requiritur gratia supernaturalis, ut contra Pelagium ex Conciliorum et Patrum auctoritate constat.

Ratio est: quia in præsenti providentia Deus auxiliatur homini, etiam quoad legem naturalem, ut per mandatorum observationem vitam adipiscatur æternam: ad hoc autem necessaria est gratia supernaturalis. — Imo ad servandam diu totam legem naturalem non sufficit sola gratia actualis, sed requiritur gratia sanctificans, quia ut infra dicetur *(n. 1163)*, homo gratia sanctificante destitutus, absque novo peccato mortali diu esse non potest.

1158. — Prop. IV. *Ad omnes et singulos actus salutares, necessaria est homini interior Spiritus Sancti gratia.*

De fide, ex Arausic. II, can. 7 et 25; et ex Trident. can. 2 et 3. Legimus *in can. 2:* « Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit, A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Dixit ipse Christus (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* « His solis verbis jam manifestum est, *ait S. Alph.*, neminem absque interiori gratia aliquem actum bonum in ordine ad vitam æternam ponere posse. » *(Hist. hær., Conf. V, § 1, n. 2).* — (Joan. XV, 5): *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* In quem textum scribit *S. August.:* « Sive ergo parum, sive multum, sine illo

[1] Cf. Isamb., q. 109, Disp. 7, art. 7-9; Gotti, q. I, dub. 7, § 3.

fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. » *(In Joan., Tr. 81, n. 3).* — (I Cor. XII, 3) : *Nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.*

II. **Ex Traditione.** « Sicut arida terra, *inquit S. Irenæus*, si non percipiat humorem, non fructificat : sic et nos lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. » *(Adv. hær., l. III, c. 17, n. 2).*

III. **Ex Ratione.** « Media, *ait S. Alphonsus*, fini proportionata esse oportet. Jamvero salus nostra æterna in fruitione Dei facie ad faciem visi consistit : qui finis certe ordinis est supernaturalis. Ergo etiam media ad finem istum conducentia, ordinis supernaturalis sint, oportet. Sed quidquid conducit ad salutem, rationem habet medii in ordine ad salutem : ex quo sequitur vires nostras naturales, nisi per gratiam eleventur, sufficientes non esse ad aliquid operandum quod ad salutem conducat ; natura enim aliquid, quod supra se est, cujusmodi est actus ordinis supernaturalis, per se præstare nequit. » *(Loc. cit., n. 4; cf. S. Th., q. 109, a. 5).*

1159. — Quæritur. *An in homine justo, præter gratiam habitualem requiratur etiam gratia actualis ad opus salutare?* [1].

Resp. *Affirmative* : juxta Tridentinum VI, cap. 16 : « Ille ipse Christus Jesus, tanquam Caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos *justificatos* jugiter virtutem influit ; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur. » Virtus autem quam Christus jugiter influit, est gratia actualis.

Idem affirmat *S. Thomas* dicens : « Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. » *(Q. 109, a. 1).*

Præterea, gratia sanctificans cum habitibus suis ex sese non habet ut sit principium, quod ad actus sponte se moveat ; ergo, ut actus ex ea procedere valeant, excitetur oportet. Hæc autem excitatio a voluntate humana exerceri nequit ; vires enim naturæ in principium altioris ordinis, cujusmodi est gratia sanctificans, vel habitus infusus, agere nequeunt. Hæc igitur motio ab altiori principio, a Deo scilicet per auxilium gratiæ actualis, venire debet.

Gratiam vero adjuvantem etiam requiri ex eo constat, quod nulla creatura, etiam mota a Deo, quidquam agere possit, nisi Deus cum ipsa agente concurrat, atque in effectum influat.

[1] Cf. Montesinus, In q. 109, a. 3, q. 4, p. 804.

ARTICULUS III.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD RESISTENDUM TENTATIONIBUS ET AD NON PECCANDUM.

§ 1. *De victoria tentationum*[1].

1160. — Prænotanda. — 1. Tentatio est sollicitatio ad malum. Ex triplici fonte, videlicet ex suggestione dæmonis, ex inclinatione appetitus, et ex occasionibus externis, oriri potest.

2. Tentationes aliæ sunt *graves*, aliæ *leves*. *Graves* æstimantur, quæ vel voluntatem vehementer ad illicita impellunt, vel diutius durant; *leves*, quæ nec multum durant, nec vehementer impellunt. — Nulla autem potest statui absoluta regula ad dignoscendum quæ sit levis, aut quæ sit gravis tentatio: nam quæ respectu unius est gravis, respectu alterius potest esse levis.

3. Ex triplici motivo tentatio vinci potest, scilicet ex motivo supernaturali, puta ex caritate; ex motivo malo, ut si quis tentationem avaritiæ vincat ex vana gloria: ex motivo naturaliter honesto, v. gr., ex pulchritudine virtutis, vel vitii fœditate.

4. Tentatio potest esse tam contra præcepta supernaturalia, quam contra præcepta naturalia. In præsenti agitur neque de victoria tentationis contra præcepta supernaturalia; neque de victoria tentationum contra legem naturalem ex motivo supernaturali: hujusmodi enim victoria, utpote actus salutaris, gratiam necessario requirit; sed agitur de victoria tentationum contra legem naturalem ex motivo naturaliter honesto, infructuoso tamen quoad salutem.

1161. — Prop. I. *Potest homo lapsus absque interiori Spiritus Sancti gratia, sed per solas vires naturales, aliquas leves tentationes vincere.*

Ad fidem pertinet, ex condemnatione propositionis *30* Baii: « Omnes sunt fures et latrones qui dicunt, tentationi ulli sine gratiæ Dei adjutorio resistere hominem posse. »

Prob. I. **Ex Traditione.** « Ante electionem ad gratiam salutarem, *ait S. August.*, nihil in nobis præcedere nisi majus

[1] Cf. Isamb., q. 109, disp. V, p. 319; Gibbon, Tr. IV, Disp. 31, dub. 3; Gabr. a S. Vinc., *De Gratia*, Disp. III, q. 4.

ingenium, vel minora peccata, vel honestas disciplinas, propter hæc tamen neminem eligi. » *(L. I, ad Simplic., q. 2)*. Ergo supponit S. Doctor, nos ante gratiam, per solas vires naturales, minora peccata habere posse, et consequenter etiam aliquibus tentationibus absque gratia resistere posse.

II. **Ex Ratione.** 1. Per peccatum, liberum arbitrium est quidem attenuatum et infirmatum, minime vero exstinctum. Jam vero cum voluntas in statu naturæ integræ omnes tentationes superare potuisset, concludendum est eamdem voluntatem, in statu naturæ lapsæ, non quidem vehementiores, sed leviores tamen tentationes superare posse; alioquin non solum attenuatum, sed prorsus exstinctum dici deberet liberum arbitrium.

2. Homo lapsus, *(ut notatum est n. 1152)*, per solas naturæ vires quædam opera naturaliter honesta exercere potest. Ergo vires etiam habet ad quasdam leviores tentationes superandas: tum quia victoria levis tentationis est opus facile, tum etiam quia fere nunquam occurrit opus facile ponendum, quin ex altera parte simul occurrat levis aliqua tentatio ab eo retrahens. Ergo si voluntas has leves tentationes absque gratia superare nequiret, per proprias vires nullum fere bonum, quantumvis facile, patrare posset.

1162. — Prop. II. *Non potest homo lapsus per solas vires naturales, absque interiori Spiritus Sancti gratia, ullam gravem tentationem, etiam divisive sumptam, vincere*[1]. — Communis.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Sap. VIII, 21): *Et ut sciri quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, etc. Ergo sine Dei gratia gravis tentatio contra castitatem superari nequit. — (I Corinth. X, 13): *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* — Et (II Corinth. I, 8): *Supra modum gravati sumus supra virtutem.* Quæ verba concilians D. Thomas in expositione ultimi, *lect. 3*, ait: « Res-

[1] Cf. S. Alph., *Magn. precat. Adj.*, P. I, c. I, § 2; et *Hist. hær.*, Confut. V, n. 3.

pondeo dicendum, quod pati supra virtutem potest intelligi dupliciter: vel supra virtutem naturalem, et de hoc loquitur hic, supra quam Deus aliquando permittit Sanctos tentari; vel supra virtutem gratiæ, et de hac intelligitur illud, I ad Cor., X: *Fidelis Deus,* etc. »

Idem manifestatur ex necessitate orationis ad vincendas tentationes, (Matth. XXVI, 41): *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* et in oratione dominica petimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed ut ait *S. August.:* « Frustra urgeremur ad petendam, quasi ex necessitate, victoriam a Deo, si eamdem in propriæ naturæ nostræ potestate semper haberemus. » *(De perfect. justit.).*

II. **Ex Traditione.** *Celestinus I.,* in Epist. ad Episcopos Galliæ, c. 6, *(Migne, t. 50, p. 332),* scribit: « Neminem etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. » — Et *S. Ambrosius:* « Quis est tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Deus adjutor ei assistat? » *(In Ps. XLVIII).*

III. **Ex Ratione.** Patres et Concilia rationem nostræ impotentiæ ad graves superandas tentationes ex vulnere et infirmitate nostræ naturæ desumunt. Exardescente enim fortiter concupiscentia, intellectus a passione obnubilatur, et a recta consideratione boni retardatur vel impeditur; voluntas ipsa a bono sensibili magis quam a spirituali tangitur; et cum voluntas illud, quod magis delectat, naturaliter amplectatur, inde provenit ut homo, in gravi tentatione positus, impotens sit ad resistendum, nisi Dei adjuvetur gratia.

Infirmitati humanæ superadditur continua dæmonis instigatio ad malum, cujus insidias absque gratia superare etiam non possumus. Qua de causa nos monet Apostolus (Eph. VI, 11) dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

§ 2. *De Fuga peccatorum.*

Peccatum aliud est *mortale*, aliud *veniale*. De utroque quæritur an homo illud vitare valeat.

1163. — Prop. I. *In statu naturæ lapsæ, homo existens in peccato mortali, non potest diu manere quin prolabatur in aliud peccatum mortale.* — Communis.

NB. Dicitur *homo existens in peccato mortali,* habens tamen auxilia communia gratiæ actualis, quæ Deus, urgente præcepto, nemini denegat: *non potest diu manere,* si enim de brevi tempore agatur, homo utique omnia mortalia divisive, imo et collective sumpta, vitare potest: sed si de longiori temporis spatio agatur, potest quidem divisive vitare omnia mortalia, quare si peccat, est in culpa; omnia autem (etiam contra præcepta naturalia), si collective sumantur, vitare nequit.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Thren. I, 8): *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est;* id est, inconstans in bono, et ad peccatum proclivis.

II. **Ex Traditione.** « Peccatum, *ait S. Greg. Magn.,* quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. » *(Hom. 11, in Ezech.)* Et: « Justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in alia etiam nolens cadat. » *(Mor., l. XXIV, n. 12).*

III. **Ex Ratione.** Existens in mortali, habet mentem a Deo aversam, et ad creaturam tanquam ad finem conversam. Quamvis autem homo per deliberationem contra naturalem mentis inclinationem operari possit, impossibile est tamen, propter passiones irruentes et alia innumera impedimenta, ut in omnibus, præsertim in repentinis, sufficientem deliberationem semper adhibeat, et in nullo mentis inclinationem ad creata, spreto Deo, sequatur, nec contra divinam legem agat. Impossibile est igitur peccatorem absque novo peccato diu permanere. *(Cf. S. Th., q. 109, a. 8. — De Verit. q. 24, a. 12).*

Ex dictis sequitur, sine fide omnia legis naturalis præcepta servari non posse, cum sine fide non detur gratia habitualis.

1164. — **Dices:** cum sola gratia actuali peccator potest legem servare et peccatum vitare; si enim hoc non posset, legis violatio peccatori in culpam non imputaretur. Ergo absque gratia sanctificante peccator a peccato diu abstinere potest.

Resp. Ex natura rei, gratia sanctificans non est necessaria ad totam legem implendam; sufficere enim posset uberior gratia actualis interior juncta cum gratia protectionis externæ, quam Deus independenter a gratia habituali concedere posset. Ast, quamvis Deus gratiam sufficientem nemini deneget, libero tamen voluntatis suæ consilio statuit, selectiores has gratias amicis suis tantum conferre, secundum illud (Eccles. XXXIV, 19): *Oculi Domini super timentes eum;* peccatoribus vero denegare, secundum illud (Joan. XV, 6): *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet.*

Nec deest ratio congruentiæ: peccator, utpote habens rationem a Deo aversam, majori indiget gratiæ actualis auxilio quam justus. Æquum autem non videtur Deum ordinarie inimicis suis selectiora dona quam amicis suis conferre [1].

1165. — **Prop. II.** *In statu naturæ lapsæ, præter gratiam sanctificantem homo indiget etiam gratiæ actualis auxilio ad hoc ut omnino a peccato mortali abstineat* [2].

Ad fidem pertinet, ex Arausic. II, can. 10: « Adjutorium Dei etiam renatis et sanctis semper est implorandum ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. » Et ex Trid., Sess. VI, cap. 13: « Justos debere formidare de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia. » In his autem agitur de gratia distincta a gratia sanctificante.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Ps. CXXVI): *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Civitas autem, juxta Patrum explicationem, anima intelligitur. — Christus (Joan. XVII, 11 et 15) Patrem pro Apostolis rogat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo,... Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.*

[1] Cf. Grandin, In q. 109, a. 4, Sect. 3; Isamb. q. 109, Disp. VII, a. 8 et 9. — [2] Cf. Gibbon, Tr. IV, disp. XXXII, dub. 4, n. 20.

II. **Ex Traditione.** « Sicut oculus corporis, *ait S. August.*, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo, etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. » *(De Nat. et Grat., c. 26).*

III. **Ex Ratione.** Homo justus, *ait S. Th.*, indiget auxilio gratiæ actualis propter duo: « *primo* quidem ratione generali, propter hoc quod nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. *Secundo* ratione speciali propter conditionem status humanæ naturæ: quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam *servit legi peccati*, ut dicitur (Rom. VII, 25). Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur (Rom. VIII, 26), *quid oremus, sicut oportet, nescimus;* propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expedit, secundum illud (Sap. IX, 14): *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur et protegamur, qui omnia novit et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: *Et ne nos inducas in tentationem;* et: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra*, et cætera quæ in oratione dominica continentur ad hoc pertinentia. » *(Q. 109, a. 9).*

1166. — Prop. III. *In statu naturæ lapsæ, homo justus vi auxiliorum gratiæ, quæ communiter a Deo omnibus justis conferuntur, potest omnia et singula peccata mortalia vitare*[1].

Ad fidem pertinet, ex condemnatione prop. 1. Jansenii, — et ex Arausic. II, can. 25: « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adim-

[1] Cf. Serra, In q. 109, a. 8 et 9; Oviedo, In I. II, Tract. VII, Contr. IV, p. 4, (p. 688).

plere. » — Idem constat ex Trid., Sess. VI, cap. 11: « Qui sunt filii Dei Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus: quod utique cum divino auxilio præstare possunt. »

Cum vero peccatum sit legis transgressio, ex dictis clare sequitur, hominem justum per auxilium gratiæ ab omni mortali se immunem præservare posse.

Prob. *etiam ratione.* — Peccatum mortale in ratione consistit. Porro, ratio, id est, superior pars animæ, per gratiam sanctificantem sanata et reparata est: per eam enim ratio Deo ut fini supernaturali adhæret. Igitur, accedente gratia actuali, homo justificatus sufficientem potentiam habet et vitandi omnia mortalia, et ambulandi in novitate vitæ et secundum spiritum, ut ait Apostolus *(Rom. VI).*

1167. — Prop. IV. *In statu naturæ lapsæ, nemo sine speciali Dei privilegio omnia peccata venialia vitare potest* [1].

Prop. est *de fide*, si agatur de fuga venialis per totam vitam, ex Trid., VI, can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: A. S. » — Si vero agatur de tempore longo, propositio est *certa* et *communis.*

NB. Dicitur in prop., *sine speciali Dei privilegio,* id est, cum solis gratiis actualibus gratiæ sanctificanti communiter annexis, imo etiam cum gratiis specialissimis, quæ hominibus ad difficiliora legis præcepta conceduntur. *Nemo,* quantumvis justus et sanctus, *potest vitare omnia venialia,* id est collective sumpta, et per longum tempus. Inter omnes enim constat posse quemlibet per totum vitæ suæ spatium singula peccata venialia vitare; imo si agatur de tempore brevissimo, omnia collective sumpta, puta per tres vel quatuor horas. — Intelligenda est etiam propositio de solis peccatis subreptitiis; nam, ut docet *S. Alphonsus* [2], cum plurimis aliis [3], justus vitare potest venialia plene deliberata, singula et omnia, absque speciali privilegio.

[1] Cf. Isamb., q. 109, disp. VIII, a. 4 et seq. p. 356; Grandi, q. 109, a. 8, dub. 4, p. 382; Serra, q. 109, a. 8; Gotti, q. I, dub. 10. — [2] *Vera Sponsa,* cap. V, in initio; *Institutio catech.* P. II, c. V, n. 29. — [3] Cf. Isamb., *loc. cit.,* art. 7, p. 358; Kœllin, q. 109, a. 8.

Prob. I. **Ex Script. S.** Multa in Scripturis reperiuntur loca, quæ thesim confirmant; quædam indicasse sat erit. Legimus III Reg. VIII, 46): *Non est homo qui non peccet.* — (Prov. XX, 9): *Quis potest dicere: mundum est cor meum; puras sum a peccato?* — (Jacobi, III, 2): *In multis enim offendimus omnes.* — (I Joan. I, 8): *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

II. **Ex Ratione.** Quamvis gratia sanctificans hominem sanet quantum ad mentem, remanet tamen in eo corruptio appetitus sensitivi, ex quo frequentissime inordinati motus contra rationem exsurgunt. Atqui ratio, licet singulos motus inferioris appetitus reprimere possit, (ex quo habent rationem voluntarii et peccati), non potest tamen omnes reprimere; quia dum uni resistere nititur, alius sæpissime insurgit; neque ratio potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos et coercendos [1].

1168. — Quæritur I. *In quo consistat privilegium vitandi omnia peccata venialia collective sumpta* [2].

Resp. Consistit prædictum privilegium partim in intrinseca perfectione gratiæ sanctificantis et virtutum eam concomitantium, partim in specialissima externa Dei protectione et gubernatione.

Cum gratiis enim ordinariis omnia venialia vitare non possumus, tum propter imperfectam partis inferioris subjectionem respectu superioris, tum propter innumera impedimenta et peccandi occasiones, quæ nobis ab extrinseco objiciuntur. Jamvero per intrinsecam gratiæ et virtutum perfectionem pars inferior superiori subjicitur; externa autem impedimenta per specialem Dei protectionem et gubernationem avertuntur. Illa autem intrinseca perfectio gratiæ est modus quidam specialis, similis modo gratiæ consummatæ beatorum, ex quo speciales quædam a communioribus virtutibus distinctæ dimanant perfectiones, quæ appetitum sensitivum plus minusve ligant.

1169. — Quæritur II. *Quibusnam collatum fuit prædictum privilegium.*

Resp. Fide certum est, ut constat ex Trid. Sess. VI, can. 23, privilegium vitandi omnia venialia per totam vitam concessum fuisse

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 109, a. 8, et q. 74, a. 3, ad 2. — [2] Cf. Isamb., q. 109, D. VIII, a. 9; Grandi, q. 109, a. 8, dub. 6, p. 388; Paul. a Concept., *De Grat.*, Disp. I, dub. 5, § 2, T. III, p. 126.

B. V. Mariæ *(cf. n. 1077, 5)*. — Certum est etiam Deum potuisse idem privilegium aliis conferre; docent tamen communiter doctores, illud soli Virgini Mariæ fuisse collatum, quæ sola proinde tota pulchra est, in qua macula inveniri non potuit [1].

Probabile nihilominus videtur, aliquibus Sanctis eximiæ perfectionis concessum fuisse privilegium vitandi omnia venialia in materia quadam speciali et determinata. Sic, v. gr., nonnulli æstimant, et quidem merito, S. Joannem Baptistam sermone nunquam peccasse; quod inferri posse arbitrantur ex ipsius hymno: « Antra deserti teneris sub annis, — Civium turmas fugiens petisti, — Ne levi posses maculare vitam — Crimine linguæ. » — Iidem affirmant S. Josephum, saltem post suam desponsationem cum V. M, omni inordinato libidinis motu caruisse; et S. Benedictum, S. Thomam, et S. Franciscum ob eximiam victoriam contra stimulos carnis, iisdem stimulis postea omnino caruisse [2].

ARTICULUS IV.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD PERSEVERANDUM [3].

1170. — Prænotanda. — 1. Perseverantia in genere est: *Actualis continuatio in statu gratiæ sanctificantis.* A perseverantia actuali distingui debet *potestas perseverandi. Potestas perseverandi* est facultas quam homo ex gratia habet, ut in accepta justitia permanere possit; actualis vero perseverantia, ut nomen indicat, est actualis permanentia in accepta justitia.

Perseverantia alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta*, est actualis continuatio in statu gratiæ usque ad finem vitæ inclusive; vocatur *perseverantia finalis; — imperfecta*, est continuatio in statu gratiæ per tempus majus vel minus notabile, quæ tamen usque ad finem vitæ inclusive non perdurat.

2. Perseverantia finalis spectari potest vel in sua parte formali, vel in sua parte materiali.

Considerata *formaliter*, perseverantia finalis est *conjunctio gratiæ cum morte*, seu ro terminare vitam in statu gratiæ: in

[1] Cf. Gonet., *Clyp.*, D. I, a. 7. — [2] Cf. Grandi, p. 384 et 388; Gibbon, Disp. XXXII, dub. ult. — [3] Cf. S. Th., q. 109, a. 10; S. Alph., *Magn. precat. adj.*, c. III, § 4; Isamb., q. 109, Disp. ult.; Grandin, q. 109, a. 10; Gibbon, Disp. XXXII, dub. ult.; Gonet, *Clyp.*, Disp. I, a. 8; Gabr. a S. Vinc., *De Gr.*, disp. VI.

eo enim situm est donum perseverantiæ, quo perseverantes a non perseverantibus distinguuntur: atqui perseverantes a non perseverantibus per hoc distinguuntur, quod videlicet in gratia moriantur, alii vero non, licet hi aliquando plus gratiæ et virtutum habuerint.

Considerata *materialiter*, perseverantia est: *actualis continuatio in justitia absque interruptione usque in finem vitæ;* (Polm.), et totum illud temporis spatium, quod ab ultima hominis justificatione ad ejus usque mortem decurrit, complectitur.

3. Perseverantia formaliter sumpta est ejusdem rationis in omnibus: quippe quæ pro omnibus in conjunctione gratiæ cum morte consistat. — Materialiter sumpta, perseverantia in diversis diversa est: cum alii moriantur statim ac gratiam acceperint, vel paulo post, ut v. gr., bonus latro in cruce; vel antequam gratiam amittere potuerint, ut pueri qui post baptismum ante usum rationis decedunt: horum perseverantia vocatur *passiva:* alii vero semel justificati supremum diem nonnisi post longam vitam obeant: horum perseverantia vocatur *activa*, vel *operativa.*

Quæritur ergo, an speciale requiratur Dei donum ut homo in gratia perseveret atque in ea moriatur.

1171. — Prop. I. *Perseverantia parvulorum qui ante usum rationis, et adultorum qui statim post acceptam justitiam in gratia decedunt, est speciale Dei donum.* — Communis.

Prob. I. **Ex Script. S.** (Sap. IV, 11): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quæ verba a S. Greg. Nyss., *Tract. de infantibus;* a S. August., *de prædest. Sanct. c. 14*, aliisque Patribus infantulis necnon et adultis statim post justificationem morientibus applicantur.

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. August.:* « Videte a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit ipse dat finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam

parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. » *(De bono persev., c. 1).*

III. **Ex Ratione.** Adultum post acceptam gratiam e vivis decedere, vel puerum baptizatum ante usum rationis mori, effectus est specialis providentiæ Dei, qui eorum mortem pro tempore, quo sunt in gratia, disponit, nec eos diutius vivere sinit, ne gravibus expositi tentationibus, et subditi vertibilitati arbitrii, gratiam amittant antequam moriantur, juxta illud: *Raptus est,* etc. Hæc autem specialis providentiæ dispositio est speciale Dei donum et beneficium, saltem externum, quo evenit ut pro hujusmodi hominibus gratia cum morte conjungatur. Nec obstat quod mors præmatura accidat ex causis naturalibus, et persæpe mere casualibus, ut incendio, hostium irruptione, etc. Licet enim istæ causæ sint naturales et casuales, Deus tamen, utpote supremus omnium Ordinator, eisdem speciali providentia ad finem vitæ imponendum utitur, quando anima est in gratia.

1172. — Prop. II. *Justis omnibus datur gratia vere sufficiens cum qua, saltem mediate per orationem, uberius impetrando auxilium, possunt perseverare usque in finem* [1].

De fide, contra Jansenium.

NB. Hæc propositio est correlativa cum illis, quibus supra probatum est, hominem justum tentationes vincere et legem adimplere posse; siquidem *posse perseverare,* idem est ac posse peccatum usque in finem vitare. *Præterea:*

Prob. I. **Ex Script. S.** (Joan. XV, 4): *Manete in me, et ego in vobis.* — (Apoc. II, 10): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ;* et (cap. III, 11): *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Hisce verbis perseverantia præcipitur. Ergo Deus, qui nihil impossibile præcipit, præcipiendo dat gratiam, qua homines perseverare possunt, si volunt.

[1] Cf. Isamb., q. 109, Disp. ult., a. 5; Tourn. (Montan.), P. II, q .3, art. 3, concl. I.

II. **Ex Traditione.** Legimus in Trid., Sess. VI, cap. 11: « Deus, sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. » Sed si gratia saltem remote, sufficiens ad perseverandum justis non concederetur, Deus semel justificatos prius desereret. Ergo. — Et *S. August. ait:* « In eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares, si velles. » *(De corrept. et gr. l. VII).*

III. **Ex Ratione.** 1. Quilibet justus sufficientia habet media ad salutem consequendam; secus enim salutem sperare sub gravi non teneretur. Sed medium ad salutem absolute necessarium est finalis perseverantia. Ergo et hanc obtinere potest.

2. Ex sola hominis culpa et vitio est, quod gratia ad recte agendum necessaria privetur, secundum illud (Os. XIII, 9): *Perditio tua, Israel.* Atqui nulla omnino ex parte hominis justi culpa aut causa fingi potest, cur ipsi Deus gratiam saltem remote sufficientem deneget, sine qua nec præcepta implere, nec perseverare potest. Ergo.

Prob. minor. Illa causa foret vel peccatum originale, vel concupiscentia, vel peccatum actuale. Atqui nullum horum dici potest: *a) Non peccatum originale*, quippe quod in justis non adsit, secundum illud Trid., Sess. VI, cap. 5: « In renatis nihil odit Deus. » — *b) Non concupiscentia*, quæ in renatis non est peccatum. — *c) Non peccatum actuale præcedens:* agitur enim de prima gratia, quæ justo denegaretur; ac proinde, si in aliquod peccatum lapsus supponatur, de hoc ipso quæri debet, cur gratia ad illud vitandum necessaria privatus fuerit.

1173. — **Prop. III.** *Ut justus de facto ad mortem usque in Dei amicitia perseveret, præter gratiam sanctificantem et gratias actuales illi communiter annexas, requiritur speciale Dei auxilium, quod Concilium Tridentinum* (can. 16) *vocat magnum perseverantiæ donum*[1].

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 22: « Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Multa in Scripturis præsto sunt testimonia, quibus finalis perseverantia ut speciale Dei do-

[1] Cf. Gonet, *Clyp., De Grat.*, Disp. I, a. 8.

num, a dono bonorum operum et communis gratiæ distinctum, exhibetur. Apud Joannem (XVII, 11) legimus Christum pro Apostolis orasse: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo;* quibus intelligimus, conservationem Apostolorum in bono specialis Dei custodiæ esse effectum. — (Jerem. XXXII, 40): *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* In quæ verba scribit *S. August.:* « Quod quid aliud est, quam talis et tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant. » *(De bono perser., c. 2).* — (Sap. IV, 11 et 14): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus,... Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

II. **Ex Traditione.** « Negare non possumus, *ait S. August.*, perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus, nec esse nisi ab illo de quo scriptum est (Jac. I, 17): *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.* » *(De corrept. et gr., l. VI).*

III. **Ex Ratione.** Ratio intima, ob quam justis necessarium est auxilium speciale ad perseverandum, est *vertibilitas* liberi arbitrii, quæ nec per gratiam habitualem, nec per gratias actuales ei communiter annexas aufertur in hac vita. Quod autem ex sua natura est vertibile ad bonum et ad malum, non potest se ita immobiliter in bono statuere, ut in eo indeclinabiliter perseveret, nisi speciali Dei auxilio adjuvetur.

Perseverantia, *inquit S. Thomas,* « alio modo potest accipi pro actu perseverantiæ durante usque ad mortem; et secundum hoc indiget non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, conservantis hominem in bono usque ad finem vitæ... Quia cum liberum arbitrium de se sit vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii, etiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus quod hoc eligat: plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio. » *(2. 2, q. 137, a. 4; cf. Cont. Gent., III, c. 155).*

Hujus auxilii necessitas ex eo adhuc ostenditur evidentior, quod in præsenti vita voluntas innumeris objicitur im-

pedimentis a carne, a dæmone, et a mundo provenientibus, quibus ob innatam suam vertibilitatem et infirmitatem moraliter impossibile est, ut aliquando non consentiat, nisi aliunde adjuvetur. « Et ideo, *ait S. Th.*, postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ. » *(Q. 109, a. 10).*

1174. — Corollarium. Ex dictis intelligi potest cur nam a Tridentino, Sess. VI. can. 16, perseverantia vocetur *magnum donum.*

Vocatur *donum*, quia est supra conditionem et exigentiam hominis etiam justificati. Homo enim, etiam justificatus, neque habet in se ut in bono immobiliter statuatur; neque ejus natura, tametsi sanctificata, ad obtinendum hujusmodi donum jus habet. Perseverantia ei hanc stabilitatem confert; unde recte *donum* vocatur [1]. — Præterea, non potest homo, sicut infra dicetur *(n. 1283)*, illud donum propriis meritis sibi comparare: illud igitur est aliquid omnino gratuitum, ex unica Dei liberalitate procedens. Quibus ergo datur, gratis datur.

Vocatur *magnum*, tum ratione singularis Dei benevolentiæ erga hominem, cui illud elargitur: est enim perseverantia effectus specialis providentiæ Dei prædestinantis, imo et convertibilis cum prædestinatione [2]: — tum ratione effectus, etenim *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. XXIV, 13).

1175. Quæritur I. *In quo consistit magnum perseverantiæ donum?* [3].

Resp. 1. Donum *perseverantiæ passivæ*, qualis est in infantibus, consistit tantum in auxilio aliquo speciali externæ Dei protectionis, quo fit ut perseverantes vitam in gratia terminent, antequam peccare potuerint.

[1] Cf. Paul. a Concept., *De Grat.*, n. 144. — [2] Cf. Paul. a Concept., n. 146. – [3] Cf. S. Alph., *Magn. prec. adj.*. P. I, c. III, § 4; Isamb., q. 109, disp. ult., a. 4; Grandin, q. 109, a. 10.

2. Donum *perseverantiæ activæ,* qualis est in adultis, qui diu in justitia vivunt, consistit *in catena quadam gratiarum* cum internarum tum externarum, quibus homo quasi undique vallatur, ne unquam excidat.

Perseverantia ergo multa complectitur interna auxilia, speciales scilicet mentis illuminationes et motiones voluntatis, quibus voluntas ad tentationum impulsus semper repellendos suaviter inducitur. Multa etiam includit auxilia externæ Dei protectionis et directionis, quibus vel occasiones exsequendi bonum offeruntur, vel exteriora pericula avertuntur, vel si occurrant, media specialissima suppeditantur, ne homo ex eis salutis detrimentum patiatur: quibus omnibus evenit, ut homo in bono stabilis permaneat, et in Dei amicitia finaliter moriatur.

1176. — Quæritur II. *Quibusnam conceditur donum perseverantiæ?* [1].

Resp. Hic exclamandum est cum Apostolo (Rom. XI, 33): *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* « Si ergo confiteris, *ait S. August.,* donum Dei esse perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis; et ambo hic inscrutabilia Dei judicia penetrare non possumus. » *(De corrept. et gr., c. 8).* — *Et S. Prosper.:* « Cur autem (Deus) illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare: cum scire sufficiat, ab illo esse, quod statur, et non ab illo esse, quod ruitur. — *(Resp. 14, ad object. Vincent.).*

Licet, generaliter loquendo, verum sit adagium: *qualis vita, talis mors;* licet ordinarie vita sancta morte sancta terminetur, ac proinde satagere debeamus ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus, tenendum tamen est nos per opera nostra bona perseverantiæ donum promereri non posse. Non possumus mereri, ut crastina die in gratia perseveranter stemus; non possumus mereri, ut

[1] Cf. Trid., Sess. VI, cap. 13.

post bonam vitam in Dei amicitia moriamur. In timore igitur et tremore salutem nostram operari debemus, et semper cavere ne cadamus; et licet nunc fide stemus, altum tamen sapere non debemus, sed timere, ne Deus, qui viris nobis sanctioribus non pepercit, nec nobis parcat. *(Cf. Rom. XI).*

Ast, licet donum perseverantiæ mereri non possimus, illud tamen per orationem a Dei liberalitate obtinere possumus, et quidem infallibiliter, ut probat S. Alphonsus [1]. « Hoc donum Dei, *ait S. Agustinus*, suppliciter emereri potest. » *(De dono pers. c. 6).* Illi igitur donum perseverantiæ certo obtinebunt, qui laborantes sicut boni milites Christi, et satagentes ut mandata fideliter custodiant, dicunt tamen: *Servi inutiles sumus* (Luc. XVII, 10), et cum summa humilitate et fiducia a pura Dei liberalitate perseverantiæ donum indeficienter efflagitant. Qui vero aliter agunt, et legis orationem non observant, secundum leges ordinariæ Dei providentiæ hoc dono carebunt [2].

1177. — Quæritur III. *An donum perseverantiæ sit idem ac confirmatio in gratia* [3].

Resp. *Negative.* Donum confirmationis in gratia definitur: *Auxilium divinum, reddens justum in gratia stabilem; et absolute aut secundum quid impeccabilem.* (Polm.)

Differt donum perseverantiæ a confirmatione in gratia: *a)* Donum perseverantiæ est quid omnibus prædestinatis commune; donum confirmationis est quid specialissimum, quod paucissimis tantum fuit concessum.

b) Donum perseverantiæ neque ullam ipsius gratiæ habitualis perfectionem importat, neque peccandi potentiam tollit aut ligat; sed solum efficit ut homo, quamvis peccare possit, mortaliter tamen non peccet. — Donum vero confirmationis dat *non posse* peccare mortaliter aut venialiter, juxta modum quo datur, et consistit in quadam ipsius gratiæ sanctificantis perfectione, « quæ potentiam liberi arbitrii ita per-

[1] *Magn. precat. adj.*, c. III, § 4; *Glor. Mar.*, P. I, c. II, § 3; *Prep. Mort.*, Introd. — [2] Cf. Joseph ab Exspect., *Syst. theol.*, p. 212. — [3] Cf. Serra, q. 109, a. 10; Isamb., q. 109, disp. ult., a. 4.

ficit ut in contrarium flecti non possit, non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum », ut ait *S. Thomas. (3. Sent., D. 3, a. 2, q. 1. sol. 3).*

—

CAPUT III.

DE GRATIARUM DISTRIBUTIONE.

Ex dictis in cap. II, constat maximæ necessitatis esse gratiam; consequenter statim investigandum est *an* et *quomodo* gratia omnibus concedatur hominibus. Qua de re tria sunt enucleanda, videlicet: I. gratuitas gratiæ; II. ejus universalitas; III. ejus inæqualis distributio.

ARTICULUS I.

DE GRATUITATE GRATIÆ [1].

1178. — Gratiam unicuique dari secundum merita naturalia, hæresis fuit Pelagianorum. — Semipelagiani gratias secundum merita naturalia concedi negabant quidem; ast contendebant, posse hominem a se habere initium aliquod ad primam gratiam, desiderando scilicet, petendo, etc.; quod initium dicebant esse, non meritum, sed dispositionem, occasione cujus Deus, ne esset acceptor personarum, uni præ alio gratiam conferat. Quorum opinio tanquam hæretica condemnata fuit.

Doctrina autem catholica docet, primam gratiam vocationis et illuminationis ita esse gratuitam, ut homo eam nullatenus mereri, neque se ad ipsam ex viribus naturæ disponere possit.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. V, § 2 et Confut. VI; Isamb., q. 112, Disp. 3; Billuart, Diss. III, a. 7.

1179. — Prop. *Gratia est omnino gratuita.*

De fide, ex Arausic. II, can. 3, 4, 5, et seq. — In can. 3, dicitur: « Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo (Rom. X, 20) idem dicenti: *Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui iis qui me non interrogabant.* »

Prob. I. **Ex Script. S.** Omnimoda gratiæ gratuitas multis in S. Scripturarum locis aperte commonstratur. Legimus (Rom. XI, 6): *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* — Et *ibid.* 35: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* — (1 Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* — (Ephes. II, 8 et 9): *Gratia enim estis salvati per fidem; et hoc non ex nobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur* — (Rom. IX, 16): *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

His autem omnino manifestum est, gratiam neque ex nostris operibus, neque propter nostram præparationem haberi, sed ex pura et gratuita Dei liberalitate, qui, cui vult, miseretur, et gratiam elargitur.

II. **Ex Traditione.** Ad gratuitatem gratiæ contra Pelagianos et Semipelagianos defendendam, mire consentiunt Patres cum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ. Solus igitur audiatur *S. August.*: « Quare gratia? *inquit.* Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt. » *(In Ps. XXX, Enarr. 2, n. 6).* Et: « Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit ut acciperes: nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium est, non gratia. » *(In Ps. LX, n. 1).*

III. **Ex Ratione.** Meritum inter et præmium quædam adsit proportio, necesse est. Atqui inter opus naturaliter bonum et gratiam, quæ est ordinis supernaturalis, nulla dari potest proportio. Ergo gratia dari nequit in præmium operis naturalis.

Præterea, inter præparationem et id, ad quod ordinatur præparatio, quædam intercedere debet proportio. Porro, *teste S. Thoma,* « donum gratiæ excedit omnem præparationem vir-

tutis humanæ. » *(Q. 112, a. 3)*. Gratia igitur merito naturali comparari nequit.

1180. — Corollaria. Ex dictis:

Deduces I. Conatus, quibus aliquis ex solius naturæ viribus bonum facere vel malum vitare niteretur, nullam constituere posse præparationem positivam, ne remotam quidem, ad primam gratiam; Deumque eos conatus non exspectare ut infideles ad fidem, vel peccatores ad conversionem vocet, quia vocat «non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.» *(II Tim. I, 9)*.

Deduces II. Exhortationes, quibus in Scripturis peccatores admonentur, ut ad Deum se convertant, vel corda sua Deo præparent, vel oratione ad Deum confugiant, non esse intelligendas de præparatione vel conversione ex solius naturæ viribus, sed de actibus liberi arbitrii a prævenïente gratia jam excitati [1].

Deduces III. Axioma: *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam,* intelligi non posse de faciente quod est in se per vires naturæ, quasi Deus necessario vel infallibiliter det gratiam illi, qui se per vires naturales ad bonum exercet. Sed intelligi debet de homine qui, prævenïtus gratia actuali, facit quod est in se cum auxilio gratiæ; et præsertim de homine qui gratia sufficienti orationis bene utitur [2]: huic Deus uberiores gratias ad legem servandam et salutem consequendam necessarias nunquam denegat.

ARTICULUS II.

DE UNIVERSALITATE GRATIÆ [3].

Gratiam hominibus etiam justis ad implenda præcepta necessariam aliquando denegari, docuit Jansenius; Protestantes, qui non aliam nisi efficacem agnoscunt gratiam, peccatoribus, qui legem non implent, gratiam vel sufficientem defuisse autumant.

1181. — Prop. I. *Urgente præcepto, conceditur omnibus hominibus, tam justis quam peccatoribus quantumvis obduratis, gratia vere et relative sufficiens ad servanda præcepta.*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. V, n. 6 (V. p. 156). — [2] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.*, P. II, c. 4 (p. 200 et 204). — [3] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.*, P. II, c. 2 et 3; Gamach., q. 111, c. V, p. 376; Grandin, q. III, a. 2, p. 164; Tournely, *De Grat.*, q. VIII; Tournely (Montan.), q. IV; Frassen, Disp. II, a. 3, Sect. IV, § 2, T. 9, p. 259.

De fide, si agitur de justis, ex condemnatione prop. 1ª Jansenii: et ex Trident.. Sess. VI, can. 18: « Si quis dixerit. Dei præcepta justificato esse ad observandum impossibilia. A. S. » — Si vero agitur de peccatoribus, est *certa*.

NB. Intelligenda est propositio non de simplici gratiæ præparatione vel oblatione, sicut quidam contendunt; sed de vera et reali gratiæ collatione: ad nihilum enim inserviret gratiæ præparatio vel oblatio, si reapse non conferretur, cum voluntas ex suis naturalibus tale donum sibi comparare nequeat [1]. — Potest autem hæc gratia esse sufficiens *proxime* vel *remote* tantum.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. X, 13): *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* Sed. si in tentatione non conferretur homini gratia sufficiens, Deus sineret hominem tentari supra id quod potest. — (Deuter. XXX, 11): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Si autem mandatum non est supra hominem, hic auxilium ad illud implendum utique habet.

II. **Ex Ratione**. 1. Deus, ait Trident., Sess. VI, cap. 11, impossibilia non jubet; porro si gratiam, saltem remote sufficientem, ad legem implendam non omnibus concederet, impossibilia juberet. Ergo.

2. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ad impossibile enim nemo tenetur. Ergo, urgente præcepto, vel gratia sufficiens omnibus adest, vel legis transgressio in peccatum non imputatur [2].

1182. — Prop. II. *Gratia sufficiens ad conversionem non datur peccatoribus fidelibus omni momento; nullus tamen est peccator quantumvis excæcatus et obduratus, qui pro tempore et loco gratiam saltem remote sufficientem ad conversionem non recipiat* [3]. — Certa.

Prob. I. Pars. — I. **Ex Script. S.** Legimus (Ps. XCIV, 8): *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

[1] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, c. II, § 2, p. 145. — [2] Cf. S. Alph., *loc. cit.*, c. II, § 2, p. 147. — [3] Cf. Aguirre, T. III, Disp. 125.

Quæ verba clare indicant, non quotidie vocem Dei ad conversionem invitantis in corde peccatoris resonare. — (Joan. XII, 37-40): *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, qui dixit: Domine, quis credidit auditui nostro?... Propterea non poterant credere, qui iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* Judæi ergo, eo temporis momento, quo Christus ad eos locutus est, auxilium ad conversionem sufficiens non habuerunt.

II. **Ex Traditione.** « Certis rerum ac temporum mensuris vocaris ut redeas, » ait *S. August. (Cont. Ep. fundament., c. 37).* Ergo non semper vocatur homo.

III. **Ex Ratione.** Sine præveniente Spiritus Sancti gratia conversio est impossibilis. Atqui experientia constat, peccatorem omni momento neque ad conversionem excitari, neque circa illius necessitatem illuminari. Non habet igitur omni momento sufficiens auxilium ad conversionem.

Prob. II. Pars. — I. **Ex Script. S.** (II Petr. III, 9): *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quia ergo Deus neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, omnibus pro tempore et loco dat gratiam sufficientem, sine qua conversio foret absolute impossibilis. — (Act. VII, 51): *Dura cervice et incircumcisis cordibus... vos semper Spiritui Sancto resistitis.* In his agitur de peccatoribus obduratis; et nihilominus a Domino vocantur; datur igitur ipsis gratia ad conversionem sufficiens.

II. **Ex Traditione.** Legimus in Later. IV, cap. *Firmiter:* « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari. » — « Ea est cæcitas mentis, *ait S. August.* In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur: sed nondum penitus, cum in hac vita est. » *(In Ps. VI, n. 8).* — Et *S. Prosper.:* « Credimus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam. » *(De Vocat. gent., l. I, c. 21).*

III. **Ex Ratione.** 1. Præsentis vitæ excæcatio, ut omnes docent cum *S. August.*, et *S. Thoma*, est inchoata tantum;

futuræ vitæ est consummata. Sed si nulla gratia ad conversionem sufficiens obduratis concederetur, eorum obduratio jam his in terris consummata foret.

2. Omnes, quamdiu vivant, salutem sperare tenentur. Ergo omnes, quamdiu vivant, pro tempore et loco gratiam ad salutem sufficientem accipiunt.

3. Deus vult omnes, etiam excæcatos et obduratos, salvos fieri. Ergo omnibus pro tempore et loco gratias ad salutem necessarias elargitur.

1183. — **Corollarium.** Ex dictis sequitur excæcatos et obduratos vocari *derelictos*, non quia jam nullum gratiæ influxum accipiant; sed quia priventur tum externa Dei protectione, quo fit ut tentationes augeantur et crescant pericula; tum gratiis iis uberioribus, quibus ad efficacem conversionem indigerent; et solæ concedantur gratiæ communes et in dies debiliores, quas spernunt. Quocirca horum conversio, licet sit adhuc possibilis, adeo est tamen difficilis, ut ordinarie infallibiliter non sequatur. Propter densissimas enim intellectus tenebras, propter nimiam cordis duritiem, atque omnium facultatum vehementissimam propensionem in malum, specialissima ad exeundum e suo statu miserrimo indigerent gratia, quam Deus justo judicio eis ordinarie denegat [1].

1184. — **Prop. III.** *Infidelibus omnibus, tam positivis quam negativis, Deus dat pro tempore et loco, gratias sufficientes ad salutem* [2]. — *Certa*, contra Jansenium.

NB. Infideles *positivi* vocantur illi, quibus proposita vel saltem nota fuit doctrina fidei, quam tamen amplecti noluerunt, aut jam acceptam demum repudiarunt. – Infideles *negativi* vocantur illi, ad quos doctrina fidei non pervenit, et quibus proinde sola, et adhuc imperfecte, lex naturalis innotuit.

Ad infideles positivos quod attinet, res nullam patitur difficultatem: ipsi enim prædicationi fidei restiterunt; credere potuerunt, et non crediderunt: quæ resistentia eis ad peccatum imputatur. De istis dicitur (Matth. X, 14 et 15): *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros... amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.*

[1] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.*, P. II, c. II, § 2 in fine. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. VI, n. 11; Lugo Benitez, *De Gratia*, Disp. I, dub. I, p. 13 ad 130; Is. Habert., *Theol. Patr. Gr.*, l. II, c. 10.

Probatur *igitur propositio* præsertim pro infidelibus negativis.

I. **Ex propositionibus condemnatis,** videlicet: ex *5ª* prop. ab Alex. VIII, die 7 Dec. 1690, damnata: « Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino recipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti »; ex prop. *26ª* Quesnelli: « Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem »; ex prop. *29ª* ejusdem: « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. »

II. **Ex Script. S.** Legimus (I Tim. II, 4): *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* — (I Tim. IV, 10): *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* — (Joan. I, 9): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Jamvero his clare manifestatur neminem supernaturali lumine ita destitui, ut ei veritatis et salutis via penitus occlusa maneat. « Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *ait S. J. Chrysost.*, quo pacto tot homines sine lumine pereunt? Illuminat profecto, quantum in ipso est: nam gratia in omnes diffusa est; non Judæum, non Græcum, non Barbarum... effugit aut dedignatur. » *(Hom. VII in Joan.)*

III. **Ex Traditione.** Ait *S. Prosper.*: « Adhibita semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium. » *(De vocat. gent. l. II, c. 5).*

IV. **Ex Ratione.** Deus vult omnes salvos fieri; ergo omnibus dat gratias ad salutem sufficientes. — Christus pro omnibus mortuus est. Sed si aliquibus nullas daret gratias, dici non posset pro ipsis fuisse mortuus.

« Hoc, *inquit S. Th.*, pertinet ad divinam providentiam ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur: unde si aliquis nutritus in sylvis vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel ali-

quem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.» *(De Verit., q. 14, a. 11, ad 1).*

«Ergo, *addit S. Alphonsus,* secundum S. Thomam, infideles, qui ad usum rationis perveniunt, a Deo gratiam saltem remote sufficientem ad salutem consequendam recipiunt. Quæ gratia in quadam intellectus illustratione voluntatisque motione ad legem naturalem observandam consistit. Huic gratiæ si infidelis cooperationem præstat, legem naturalem observando, et sese a peccatis gravibus abstinendo, postea per merita Jesu Christi gratiam proxime sufficientem ad fidem amplectendam salutemque consequendam certe recipiet.» *(Loc. cit., cf. Conf. XIII, a. 15).*

1185. — Prop. IV. *Infantibus absque baptismo decedentibus Deus, quantum est ex se, sufficientia salutis media præparavit.*

Communis, licet aliqui, intra quos Vasquez, contradicant.

Fatendum est utique, infantes in se immediate et in propria sua potestate non habere auxilium intrinsecum ad salutem sufficiens, quippe cujus sint incapaces. Habent tamen auxilium extrinsecum in præparatione Dei. Deus enim generale instituit baptismi remedium, per se omnibus ad salutem sufficiens, et iis omnibus applicabile, qui juxta naturæ cursum hujus applicationis capaces existunt. Hoc autem sufficit, ut Deus dicatur omnibus, in quantum est ex se, sufficientia salutis media præparasse.

«Cum Deus, *ait* S. *Alphonsus,* voluntate antecedenti omnium hominum salutem velit, omnibus media universalia, quibus salvari queant, concessit. Quæ quidem media effectu suo aliquando frustrantur, vel ob voluntatem eorum, qui iis uti recusant; vel ob concursum causarum naturalium, (qualis est mors naturalis infantium), quæ obstant quominus applicari valeant. Harum causarum cursum Deus impedire non tenetur, cum omnia juxta justissimas generalis providentiæ leges ordinaverit... Jesus Christus merita passionis suæ pro omnibus hominibus obtulit, atque pro omnibus sacramentum baptismi instituit. Applicatio hujus remedii salutis, quatenus ad parvulos spectat, qui ante usum rationis moriuntur, non directa Dei voluntate, sed voluntate tantum pure permissiva, impeditur; siquidem Deus, utpote totius universi gubernator, ordinem generalem, ut casibus particularibus provideat, perturbare non tenetur.» *(Magn. precat. adj., P. II, c. 1, § 3).*

ARTICULUS III.

DE INÆQUALI GRATIARUM DISTRIBUTIONE [1].

1186. — I. Cum Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire velit, imprimis affirmandum est, omnibus hominibus adultis in hac terra degentibus, gratias ad salutem vere sufficientes concedi, ita ut mandatorum observantia et salutis consecutio nemini sit impossibilis. Qui igitur non salvantur, propria pereunt voluntate : *Perditio tua, Israel.*

Hoc inconcusso statuto principio, dicendum est, ut ex Scriptura, Traditione, et experientia manifeste constat, divinam providentiam inæquali mensura suas distribuere gratias: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensusam donationis Christi* (Eph. IV, 7). — *Dividens singulis prout vult* (I Cor. XII, 11). — Aliis, v. gr., datur cognitio mysteriorum regni cœlestis, aliis vero non conceditur: *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum* (Matth. XIII, 11). — Aliis innumeræ conferuntur gratiæ; aliis vero parciores: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (Ps. CXLVII, 20). — Hic ante lapsum educitur ex hoc sæculo: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus* (Sap. IV, 11): ille post longam vitam in Dei amicitia transactam labitur, et in peccato moritur. — Ex duobus æqualiter justis unus post lapsum iterum erigitur; alter in suo delicto remanet: *Cujus vult, miserctur, et quem vult indurat* (Rom. IX, 18). — Istis Deus dat gratias, quas effectum non obtenturas prævidit; aliis, qui eisdem bene usi fuissent, gratias ejusdem virtutis non concedit: *Væ tibi, Corazain! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Si-*

[1] Cf. S. Alph., *Ver. fid.*. P. II, c. 17, n. 13 et 14; Gamach., In q. 111, c. 5; Bellarm., *De Grat. et lib. arb.*, l. II, c. 2; Sfrondr., *Nodus præd.*, § 1, n. 19.

donc factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. (Matth. XI, 21).

1187. — II. *Prima et fundamentalis ratio hujus inæqualis gratiarum distributionis, est profundissima et sapientissima voluntas Dei*, qui ad ædificationem et ornatum cœlestis civitatis Jerusalem singulis suas gratias dividit prout vult. Sicut enim sapiens architectus in ædificatione templi, neque omnibus lapidibus æqualem assignat locum, neque omnes sculptoris manu æqualiter exornat, ita et Deus in ædificatione cœlestis civitatis Jerusalem. Omnibus quidem hominibus Deus concedit gratias sufficientes, ut tanquam pretiosi lapides in ædificationem istius templi intrare valeant; cur autem unum præ alio ad locum nobiliorem eligat, quem gratiæ donis etiam perfectius exornat, consilium est supremi Architecti; et non alia suppetit ratio, quam verba Christi Domini (Matth. XI, 26): *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

« Si ad illam profunditatem scrutandam nos quisquam voluerit coarctare, *ait S. August.*, cur ille ita suadeatur, ut persuadeatur, ille vero non ita? duo solum mihi respondenda occurrunt: unum, *O Altitudo Sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Deinde, *non est iniquitas apud Deum.* Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores. » *(De Spir. et litt. c. 34).*

Nobis sufficiat ratio, quam indicat *Salvianus*: « Satis mihi sit pro universis rationibus auctor et ordinator Deus: auctor in iis quæ facit; ordinator in iis quæ permittit. » *(De Provid., l. III).*

1188. — III. *Altera ratio est inæqualis cooperatio uniuscujusque hominis, vel hujus cooperationis totalis absentia.*

Quamvis primaria et fundamentalis radix inæqualis gratiarum distributionis sit inscrutabile divinæ sapientiæ consilium, divina tamen providentia in donorum suorum distributione duas ordinarie sequitur leges.

Altera quidem lex est: *Fidelis usus alicujus gratiæ plerumque in causa est, quare novæ atque uberiores gratiæ concedantur.*

Altera autem lex est: *Ex abusu gratiæ frequentius consequitur, ut ejusdem generis gratiæ parcius concedantur.* — Ut enim ait *S. Th., in Ps. XXXVIII, 3:* « Deus non dat gratiam homini, nisi utatur illa, et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non utitur, Deus aufert ei, ut patet de talento, Luc. XIX. »

Quam duplicem legem prænuntiavit Dominus in parabola de talentis (Luc. XIX, 26): *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.*

Quæ leges duæ aliquatenus explicant cum vitam Sanctorum, quorum *semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem* (Prov. IV, 18); tum vitam reproborum, quorum *fructus ad peccatum est* (loc. cit.)

1189. — IV. *Collatio gratiarum specialium, quibus homines ad salutem indigent, a Deo juxta prædeterminatam mensuram conceduntur:* quæ mensura eadem non est pro omnibus. Peccata etiam, quæ Deus unicuique condonare decrevit, statuta quadam mensura regulantur.

Inde consequitur, hominem, postquam vel gratiis juxta statutum numerum abusus fuerit, vel determinatum peccatorum numerum expleverit, justo Dei judicio nec peccatorum veniam amplius consecuturum, nec amplius selectas et speciales gratias recepturum. « In gratiis, quas Deus nobis dispensat, *inquit S. Alph.*, adest determinata mensura, qua impleta, omni ulteriori gratiæ clauditur janua. Necesse est igitur ut multum timeamus ne ullam gratiam, quam Deus elargitur, in vacuum recipiamus: fieri enim potest quamlibet gratiam, quodlibet lumen, quamlibet excitationem esse ultimam, quam Deus immittat: quam si despexerimus, perditi erimus... Hæc mensura eadem non est pro omnibus: pro aliis major, pro aliis minor existit. » *(Via salutis, Consid. 71; cf. Præp. mort., Consid. 18).*

Illi, quibus, exhausta gratiarum mensura et expleto peccatorum numero, gratiæ selectiores ex justo et inscrutabili Dei judicio non amplius conceduntur, *derelicti* vocantur.

Ex dictis compertum est, vias Domini quoad homines viatores esse vel misericordiam vel justitiam.

Misericorditer agit Deus, cum gratias efficaces continuo elargitur, quibus homo vel in bono stabilis perseverat, vel post lapsum ex delicto educitur.

Juste agit, cum, impleta mensura, specialia auxilia denegat, et solas communes et rigorose sufficientes gratias elargitur, quæ ob hominis resistentiam nullum effectum sortiuntur.

Quoniam vero cuique ignota remaneat gratiarum mensura pro se prædeterminata, quilibet sollicitus sit, oportet, ne mensura completa, de regimine misericordiæ in regimen transeat justitiæ; et quilibet obtemperare debet Apostolo dicenti (II Cor. VI, 1): *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

1190. — Objicitur I. Ex dictis sequitur apud Deum esse personarum acceptionem, cum uni efficacissimas et abundantissimas, alteri vero debiliores tantum et pauciores gratias elargiatur. Sed, teste Apostolo (Rom. II, 11): *Non est acceptio personarum apud Deum.*

Resp. Existit personarum acceptio, quando aliquis in eorum bonorum distributione, ad quæ omnes æquale jus habent, uni plura præ alio, cum hujus detrimento, elargitur. Si quis autem in bonorum elargitione, quæ ex mera sua liberalitate procedunt, et ad quæ proinde nemo jus habet, uni majora præ alio concedat, nemini injuriam irrogat, et nulla apud eum adest personarum acceptio. — Jamvero, gratiæ sunt *gratiæ,* id est, *dona gratuita,* quæ ex sola Dei liberalitate procedunt, et ad quæ nullus homo jus quodpiam habet. Proinde, conferendo uni majores gratias quam alteri, Deus nemini injuriam irrogat; et nulla apud eum est personarum acceptio.

1191. — Obj. II. Deus crudelis esse videtur, cum multos perire sinat, quos absque sanctitatis suæ præjudicio salvare posset, gratias efficaces eis conferendo; non secus ac pater terrenus crudelis existeret, si, cum posset omnes filios suos a morte liberare, unum liberaret, alium vero perire sineret.

« **Respondetur,** *ait S. Alphonsus,* bonitatem increatam et infinitam inter atque bonitatem creatam et finitam magnum discrimen intercedere. Bonitas creata a suo Creatore necessario pendet; quapropter, ut secundum legem a Creatore statutam sese communicet, necesse est. Et hanc ob causam pater tenetur, si potest, omnes filios suos a morte liberare: siquidem lege divina omnibus æqualem pietatem ac amorem rependere tenetur. Deus vero, qui est increata et independens bo-

nitas, nulla adstringitur lege, quæ ipsi præscribat, in qua mensura suis creaturis sese communicare debeat. Ipse se communicat, quando vult, et in quantum vult, prout gloriæ suæ convenit. Nobis, ad ejus judicia veneranda, scire sufficit Deum esse infinite justum et rectum: rationem autem perscrutari non debemus.» *(Ver. fid., P. II, c. 17, n. 14).*

Iniquitas equidem aut crudelitas posset dici esse apud Deum, si, dum homines ad finem supernaturalem adipiscendum obligat, eisdem auxilia sufficientia non concederet, eosque deinde in gehennam detruderet. Sed Deus auxilia ad salutem sufficientissima nemini denegat; omnibus vero ea concedit, sicut et pro omnibus Redemptor sanguinem suum effudit: quod sat est ad Dei sanctitatem vindicandam. «Ad æquitatem divinæ bonitatis vindicandam, *ait S. Alph.*, scire sufficit Deum cuilibet concedere sufficiens auxilium, quo, si velit, salutem consequi possit.» *(Loco cit., n. 13).*

CAPUT IV.

DE MODO OPERANDI GRATIÆ SEU DE CONCORDIA EFFICACITATIS GRATIÆ CUM LIBERTATE CREATA.

1192. — «Ista quæstio, *ait S. Augustinus*, ubi de libero arbitrio et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.» *(De Grat. Chr., c. 47).* — Ac proinde nihil difficilius in sacra theologia, *inquit Paulus a Conceptione*, quam componere usum expeditum libertatis creatæ cum auxilio ex se et ab intrinseco efficaci... Et quamvis in materia hac adeo ex se difficili desudarint tot ingeniorum culmina ex utriusque scholæ, jesuiticæ nempe et thomisticæ, professoribus, puto tamen materiam hanc manere insolutam, et tantum in futura beatitudine revelandam.» *(Tr. XIII, Disp. 3, dub. 2. — Cf. Cajetan., P. I, q. 22, a. 4).*

Cum igitur hæc concordia sit inscrutabile mysterium, quod theologi tamen scrutari et solvere conati sunt, nemini mirandum videri debet si in diversas abierint partes, et opposita protulerint systemata.

Hæc quæstio tota videtur speculativa; ad praxim tamen pro animarum regimine apprime spectat: idcirco, quid in ea probabilius videatur, ex S. Alphonso fuse exponemus. Cum enim ex una parte, S. Alphonsus, ut omnibus notum est, totam vitam in salute animarum procuranda transierit; cum, ex alia parte, ipse in dictis SS. Patrum atque theologorum versatissimus fuerit, et contra Jansenistas semper

dimicaverit, et post exortas controversias de auxiliis scripserit, ex omni parte instructus exstitit ut systema proponeret, quod aliis foret cum speculative probabilius tum practice longe utilius, ac proinde præ aliis commendandum. — Præterea, inter omnes Ecclesiæ Doctores unus existit S. Alphonsus, qui systema de modo operandi gratiæ, et concinnate proposuerit et argumentis fulserit: ex quo ejus systemati non parva accedit auctoritas.

Ut in hac materia ordinate procedamus: I. Statuemus regulam secundum quam judicari debent diversa systemata. — II. Paucis systema Jansenistarum refutabimus. — III. Catholicorum referemus systemata, et cuinam præ cæteris adhærendum sit, indicabimus.

ARTICULUS I.

NORMA DIJUDICANDI SYSTEMATA.

1193. — Cum in hacce disputatione de ordine supernaturali agatur, non principiis philosophiæ, sed principiis fidei innitendum est: licet enim inter philosophiam et fidem nulla possit esse dissensio, imo et philosophia fidei inserviat, sunt tamen mysteria fidei ita supra rationem, ut hæc per se sola neque fidei veritatem attingere, neque eam explicare valeat.

Attamen « ratio fide illustrata, *ait Conc. Vat., Const. Dei Filius, c. IV,* cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo. »

Jamvero multas fidei veritates tenemus, ex quarum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, quid in hac quæstione tanquam probabilius tenendum sit, dijudicari posse videtur.

Ex fide cognoscimus: Deum velle serio omnes homines salvos fieri; -- providentiam divinam fines suos fortiter simul et suaviter attingere; ac proinde dari gratiam infallibiliter efficacem, et tamen libertatem hominis sub motione gratiæ efficacis perfectam integramque servari *(n. 1141);* — existere gratiam vere et relative sed mere sufficientem *(n. 1140);* —

quemlibet hominem ita posse salvari, ut ipsi soli adscribendum sit, si salutem non obtineat; — quemlibet sub gravi teneri sperare salutem, etc.

1194. — Ex quibus veritatibus inter se collatis sequentem regulam ad dijudicanda systemata colligere licet:

Omne systema, in quo gratiæ efficacia ita explicatur, ut vel gratiæ necessitas tollatur, vel humana libertas sub motione gratiæ certo auferatur, vel altera ex veritatibus revelatis evidenter pessumdetur, pro falso et hæretico est habendum.

Systema, in quo una alterave ex prædictis veritatibus salva subsistere non posse videatur, pariter est respuendum, non quidem ut falsum, sed ut minus probabile; præsertim si ejus sit naturæ, ut in praxi animas in via salutis retardare possit.

Illud vero præ aliis tanquam probabilius admittendum est systema, in quo, speculative loquendo, omnes supradictæ veritates ita perfecte subsistunt, ut nulla læsa appareat; et quod, practice loquendo, ejus est naturæ, ut animas ad perfectionis studium promoveat, et ad salutem adipiscendam maximopere inducat.

ARTICULUS II.

SYSTEMA JANSENII [1].

1195. — Jansenius efficacitatem gratiæ in delectatione relative victrici reponit, in delectatione scilicet, quæ majores gradus virium habet quam ejus opposita. Secundum ipsum, homo lapsus non aliter, quam per delectationem, moveri potest: hæc autem est duplex: *cælestis*, quæ ad bonum; *terrestris* seu *prava*, quæ ad malum inclinat; præter caritatem autem cœlestem et vitiosam concupiscentiam non alium in homine agnoscit amorem.

Ex his illud sequitur, videlicet: si cœlestis delectatio et prava concupiscentia æquales vires habeant, voluntas ob virium æquilibrium ad neutram partem sese determinare potest, sed veluti torpens ac mortua hæret indifferens, usquedum cesset ille conflictus delectationum per victoriam unius in alteram. Ea autem delectatio erit victrix voluntatemque ad se necessario attrahet, quæ majores vires acquiret,

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, conf. XIII; *Magn. prec. adjum.* P. II, c. 3; Lugo Benitez, *De Grat.*, Disp. III, dub. 1, § 3, p. 213; Tournely, *De Grat.*, q. II; Tourn. (Montan), Disp. VII, art. 3.

quam ejus opposita; sicuti si in utraque parte bilancis æquale pondus ponatur, bilanx in perfecto æquilibrio remanet; si vero in una parte majus pondus apponatur, æquilibrium rumpitur, et bilanx in eam partem, in qua majus reperitur pondus, necessario trahitur. « Conflictus ille delectationum, *ait ipse Jansenius,* sopiri non potest, nisi altera delectando superaverit, et eo totum pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur, necesse est. » *(De Grat. Chr., l. IV, c. 9).*

Si igitur gratia, seu cœlestis delectatio, est relative major opposita concupiscentia, voluntatem necessario attrahit; si vero gradibus est ea inferior, gratia ad vincendam oppositam concupiscentiam non amplius sufficit, sed est necessario inefficax. « Sed utrumlibet fiat, *ait Jansenius,* non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi. » *(Loc. cit., c. 10).*

1196. — Jansenii systema merito ut falsum et hæreticum rejicitur. Etenim: 1. Tollit libertatem humanam sub motione gratiæ efficacis, ut ex dictis constat, et ut ipse Jansenius fatetur: « Justitiæ vel peccati delectatio, *inquit,* est illud vinculum, quo liberum arbitrium in justitia vel peccato ita firmiter ligatur, ut quamdiu isto stabiliter constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium non liberatum eum velle non possit. » *(Loc. cit., l. VII, c. 5).*

2. Destruit gratiam vere et relative, sed mere sufficientem, ut etiam ex dictis constat; et in iis, qui peccant, eam solam admittit gratiam parvam, quæ necessario caret effectu.

3. Ex hoc systemate necessario fluunt quinque Jansenii propositiones a S. Sede tanquam hæreticæ condemnatæ. *(Cf. n. 1121)* [1].

4. Falsum est efficaciam gratiæ in sola delectatione consistere. Non raro enim gratia aliis incitamentis ad agendum impellit. *(Cf. n. 1219).*

5. Fundatur hoc systema in proterva intelligentia illius S. Augustini sententiæ: « Quod amplius delectat, secundum id operemur, necesse est. » *(In Gal., n. 49).* Jansenius eam ampliorem delectationem pro indeliberata et antecedente accipit; S. Augustinus vero pro deliberata et consequente ad liberam voluntatis determinationem [2].

ARTICULUS III.

SYSTEMATA CATHOLICA.

1197. — Circa efficaciam gratiæ ipsiusque operandi modum Doctores catholici in tria castra dividuntur.

[1] Cf. Montanius, *loc. cit.;* S. Alph., confut. XIII, a. 2. — [2] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.,* P. II, c. 3, § 2.

Alii, *Thomistæ* scilicet et *Augustiniani rigidiores*, efficaciam ita gratiæ intrinsecam esse dicunt, ut ad omnia opera plene deliberata, quantumvis levia, semper necessaria sit gratia ab intrinseco efficax, quæ nempe jam in actu primo infallibilem habeat connexionem causalitatis cum effectu.

Alii, *Molinistæ* scilicet et *Congruistæ*, ex opposito, omnem gratiam ab intrinseco efficacem respuunt, et ad omnia opera, quantumvis gravia, solam requirunt gratiam, quæ ab extrinseco efficaciam in actu secundo obtinet.

« Hi, *ait Joan. Mariana, S. J.* [1], libertatem nostram tuentur, illi gratiæ dignitatem, sine qua neque opus salutare inchoamus, neque complemus. Utrumque si jungeretur salutari aliquo temperamento, consultius esset, quam inter se convitio et linguæ petulantia pugnare... Inter hæc duo præcipitia media tutissimi vadunt, qui supra gratiam quidem sufficientem addunt efficacem. »

Utrorumque igitur placita salutari temperamento jungentes, alii, id est *S. Alphonsus*, et ante eum *tota schola sorbonica*, et *Augustiniani molliores*, mediam viam incedunt, et docent: ad opera difficiliora requiri gratiam ab intrinseco suapteque natura efficacem; ad faciliora vero, et præsertim ad orationem, solam prærequiri communem seu sufficientem gratiam, quæ omnibus conceditur.

§ 1. *Systema Thomistarum* [2].

1198. — Thomistarum systema a Dominico Bannez, sæculo XVI, juxta principia, ut ait, D. Thomæ concinnatum fuit. Tanquam fundamento innititur principio metaphysico, scilicet: Deum esse primam causam et motorem universalem, a quo omne ens et omnis motus venire debent.

[1] *De morte et immortalitate*, l. III, c. 8. (Dupless. p. 309). — [2] Cf. S. Alph., *Cont. Har.*, sess. VI, appendix, n. 102; Gotti, *De Grat.*, q. II, dub. 4; Lemos, *Panoplia*, l. IV, Tr. 3, T. IV, p. 36; Alvarez, *De Auxiliis*; Zumel, *Var. Disput.*, T. III, Disp. IV, p. 49; Philipp. a SS. Trinit., *De Grat.*, Disp. II, dub. 8. (T. 2, p. 470).

Juxta eos « GRATIA SUFFICIENS *est quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam, ut bene agat, aut ut bene utatur hac facultate, requiritur alia gratia validior, scilicet, gratia efficax.* » *(Puig et Xarrié)* [1].

Gratia igitur sufficiens, (quam etiam excitantem, vocantem, gratiam possibilitatis nominant), ordinatur tantum ad conferendum *posse agere*, non vero ipsum agere; ipsius est dare actum primum, non vero actum secundum.

Hac gratia munitus, homo est in potentia ad agendum, *potest agere*: sicut habens oculum est in potentia ad videndum. Sed ut homo agat de facto, imo ut velit agere [2], necesse est ut gratia efficax superveniat, quæ eum ad agendum applicet, et de potentia ad actum reducat: sicut habens oculum indiget lumine ut actu videat. Quæ si desit gratia efficax, impossibile est hominem de potentia agendi transire ad actum deliberatum, quantumvis parvum, nequidem ad actum orandi; quapropter, etsi gratia sufficiens possit dici efficax relate ad actus indeliberatos, relate tamen ad actus deliberatos ex se sola est inefficax, nec proxime sufficiens [3]; quapropter inter ipsos Thomistas reperiuntur, qui eam simpliciter gratiam *inefficacem* **appellant** [4].

GRATIA EFFICAX, (quam etiam *adjuvantem* vocant), est « *ea quæ infallibiliter infert consensum, et facit non solum ut possimus velle et operari, sed etiam et de facto velimus et operemur.* » *(Gonet.)* [5] — Hæc gratia virtute sibi intrinseca voluntatem in potentia ad agendum positam ad actum deliberatum applicat, eam physice præmovendo: habetque cum effectu infallibilem, imo et metaphysicam connexionem causalitatis [6], quin tamen humanam libertatem in aliquo lædat.

Hanc gratiam ad quodcumque opus, leve vel difficile, necessariam dicunt Thomistæ, tum pro statu naturæ lapsæ, tum

[1] *Instit.*, Tom. III, n. 577. — [2] Alvarez, Disp. CII, n. 6. — [3] Gotti, *loc. cit.* § 1, p. 128; Alvarez, Disp. LXXIII, p. 512; Gazzaniga, n. 204, 211; Puig et Xar., n. 574. — [4] Alvarez, Disp. LXXIII, p. 510 et 512. — [5] *Clyp.*, Dist. III, a. 3. — [6] Wenzl, *De Grat.*, Contr. IV, q. 2, p. 104.

pro statu naturæ integræ [1]; sed ejus necessitatem pro statu naturæ integræ ex solo titulo dependentiæ creaturæ a Factore suo deducunt; pro statu vero naturæ lapsæ ejus necessitatem cum ex titulo dependentiæ, tum ex titulo infirmitatis ex peccato contractæ, desumunt [2].

Gratia efficax, addunt Thomistæ, gratiam sufficientem semper præsupponit [3]; et hoc quidem ex dispositione divinæ providentiæ, quæ omnia suaviter regens, in ordine tam naturali quam supernaturali, unicuique semper prius dat posse, antequam det agere [4].

Relatio, quam inter gratiam sufficientem et efficacem concipiunt, est hæc: Homo gratia sufficiente munitus, potest, si velit, operari; quod si non operetur, ex ipsius culpa est, quod nolit. — Cum gratia sufficiente semper offertur efficax, quam Deus iis omnibus dat, qui gratia sufficiente bene utuntur, eique impedimentum non opponunt; iis vero, qui impedimentum opponunt, denegat [5].

1199. — Œconomia salutis. — A. Deus, *aiunt Thomistæ*, (cf. n. 526), ante quæcumque prævisa merita, decreto absoluto decrevit hunc vel illum hominem esse salvandum; et gradum gloriæ, ad quem quilibet perventurus est, simul designavit. Qui eo modo ad gloriam electi sunt, vocantur *prædestinati;* qui vero ad gloriam non sunt electi, vocantur *reprobi reprobatione negativa.* — **B.** Qua electione facta, Deus gratias efficaces ad prædeterminatum gradum gloriæ proportionatas prædestinatis præparavit, atque easdem eis dare decrevit. Quæ gratiæ, suapte natura efficaces, et voluntatem ad opus physice præmoventes, effectum infallibiliter consequuntur, et efficiunt ut homo merita ad gradum gloriæ proportionata reapse acquirat. Prædestinatorum igitur salus est infallibili consecutione reapse futura, et ut talis a Deo in prævio suo decreto cognita. — **C.** Illis vero, qui ad gloriam electi non sunt, Deus concedit gratias sufficientes, quæ dant *posse salvari;* gratias vero efficaces, sine quibus non datur τὸ *ipsum salvari,* non concedit; ac consequenter, reprobi reprobatione negativa, licet possint salvari, infallibiliter tamen salvi non erunt.

[1] Bill., Diss. V, a. 2. § 2. — [2] Gotti, q. II, dub. 5, § 3, n. 21. — [3] Bill., Diss. V, a. 3; Puig et Xar., n. 581. — [4] Gotti, q. II, dub. IV, § 1, n. 8. — [5] Zumel, *Var. disp.,* T. III, p. 68.

Difficultates.

In systemate Thomistarum gratia efficax omnino salvatur; et perfectissime intelliguntur tum illa omnipotentia, qua Deus corda hominum, quocumque voluerit, inclinat, tum divinæ Providentiæ certitudo atque infallibilitas.

Sed multæ et gravissimæ oriuntur difficultates.

1200. — 1. *In hoc systemate destruitur, vel saltem destrui videtur notio gratiæ vere sufficientis.*

Etenim « ea tantum gratia, *ait Petrus a S. Joseph* [1], dicitur absolute et vere sufficiens ad aliquam operationem, quæ sufficit non tantum ut homo dicatur utcumque posse operari, sed etiam ut actu operetur, si velit... quia, cum potentia ordinetur ad operationem, et nonnisi propter illam detur, ex communissimo hominum sensu et usu, ille non dicitur habere facultatem vere et proxime sufficientem ad aliquid agendum, qui caret principio aliquo prorsus necessario, ut actu operetur. »

Atqui, juxta Thomistas, gratia sufficiens *non habet per se, quod tribuat actualiter operari actum illum, cujus comparatione dicitur sufficiens* [2], nec *se sola sufficit proxime ad actum* [3], et in ea *non id totum continetur quod requiritur ad actum* [4]; sed ex parte principii necessaria est prædeterminatio physica, sive per modum complementi potentiæ [5], sive solum per modum applicationis potentiæ [6]; quæ necessitas tanta est, ut repugnet dari consensum vel operationem absque illa physica prædeterminatione [7]. Ergo gratia sufficiens non videtur esse vere sufficiens ad actum, ad quem datur.

1201. — 2. *Peccatum videtur homini imputari non posse.* — « Ei imputari nequit quod mandatum non impleat, *ait S. Alph.* [8], qui caret aliquo absolute necessario ad ejus impletionem. Atqui in systemate præmotionis physicæ ad actualem præcepti impletionem necessariæ, homo, cui non datur gratia efficax, aliquo auxilio necessario caret. Ergo si præceptum non implet, hoc ei imputari nequit. » — « Hoc ar-

[1] *De Grat.*, c. VII, Res. 2; cf. Bellarm., *De Grat. et lib. arb.*, l. I, c. 12; Gibbon, Disp. 34, dub. ult., p. 442; Isamb., q. CXI, D. V, a. 1, p. 412; Caspensem, Disp. III, sect. 8, p. 527; Frassen, Disp. II, a. 3, sect. 4, p. 235. — [2] Alvarez, Disp. 73, p. 512; — [3] Puig et Xar., n. 574. — [4] Gazzaniga, n. 204. — [5] Zumel, *Var. disp.*, p. 64, 65, 76; Gazzaniga, n. 204 et 211. — [6] Gotti, q. II, dub. 4, n. 14; Philipp. a SS. Trinit., Disp. II, dub. 8. — [7] Gibbon, *loc. cit.*, p. 442, n. 7. — [8] *Loc. cit.*, n. 107, (T. VI, p. 195).

gumentum, *inquit Gibbon* [1], adeo torquet Prædeterminatores, ut teste Ledesma, lib. *de Auxil.*, art. 14, ingenue fateretur doctissimus M. Joannes Vincentius, illud esse indissolubile. »

1202. — 3. *Destrui videtur libertas humana.* — « Omnium difficultatum maxima, *ait S. Alph.* [2], in quas Thomistarum systema incurrit, hæc est, quod scilicet, admissa prædeterminatione physica, intelligi non posse videtur quomodo gratiæ efficacia cum voluntatis humanæ libertate perfecte possit conciliari... Quidquid enim ex alterius voluntatis determinatione procedit, et cum illa determinatione sive volitione connexionem metaphysice certam habet, nostram libertatem destruere videtur. Hujusmodi autem est Thomistarum gratia efficax. »

1203. — 4. Illud Apostoli (I Cor. IV, 7): *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*, quod Thomistæ aliis objiciunt, ipsis etiam objici debet. Docent enim Deum gratiam efficacem iis, qui obicem non ponunt, elargiri; iis vero negare, qui obicem ponunt, et gratiæ sufficienti resistunt. Ergo qui gratiæ sufficienti non resistit, se discernit ab eo, qui resistit.

Quam difficultatem ut solvant, docent Thomistæ [3]:

A. Hominem gratia sufficiente munitum non ideo gratiam efficacem consequi, *quia bene utitur gratia excitante*; sed gratiam efficacem esse causam, cur gratiæ sufficienti consentiat. « Hæc propositio causalis, *ait Alvarez* [4], est omnino falsa: Quia homo præventus gratia excitante, vult consentire et cooperari, ideo adjuvatur a Deo. » Et ratio est quia, ut homo gratiæ sufficienti consentire *velit*, jam requiritur auxilium gratiæ efficacis. Ac proinde « prima radix et primum initium effectivum hujus boni usus non desumitur ex libero arbitrio, sed ex misericordia Dei, quæ per auxilium efficax fecit active, proprie, seu physice, ut liberum arbitrium bene uteretur eadem gratia, illi consentiendo. » *Alvarez* [5].

B. Hominem gratia sufficiente præventum non ideo gratiam efficacem consequi, *quia non resistit sufficienti*, nec impedimentum objicit, quod potuisset non objicere; quia « hoc non repugnare, *ait Zumel* [6], est libere assentiri illi gratiæ, et cooperari », ad quod gratia efficax requiritur. Quare, *inquit Lemos* [7], « fieri non potest, ut quis non resistat auxilio sufficienti nisi amplius ab efficaci adjuvetur, quod

[1] *Loc. cit.*, p. 442, n. 7. — [2] *Loc. cit.*, n. 106. — [3] Cf. Alvarez, *De Aux.*, Disp. 98 et 99; Lemos, Panopl., l. IV, P. II, Tr. III, c. 3 et 4, (p. 40); Zumel, *Var. Disp.* T. III, p. 65; Bannez, In q. 23, a. 3, ult. concl., T. I, p. 278. — [4] *De Aux.*, Disp. 99, p. 654. — [5] Disp. 97, n. 14, p. 643. — [6] *Loc. cit.*, p. 75. — [7] Panopl., *loc. cit.*, c. 4, n. 36, (T. 4, p. 42).

tollat illam resistentiam, et faciat hominem non resistere; nam non resistere auxilio sufficienti, etiam negative sumptum, bonum est et salutare. Unde ab homine solo haberi nequit: sed ex necessitate dicendum id ex Deo homini dari per auxilium efficax.»

C. Hominem qui gratiæ impedimentum opponit, non ideo gratiam efficacem non accipere, quia impedimentum opponit; sed ideo non accipere, quia Deus decrevit illam non dare. «Licet in exsecutione, *ait Alvarez*[1], Deus non tribuat hominibus gratiam adjuvantem, propter eorum præcedentem culpam, saltem originalem: in intentione tamen ante omnia demerita prævisa habuit voluntatem absolutam non dandi reprobis gloriam, et consequenter nec auxilia efficacia.»

Hæc Thomistarum responsio prædictam difficultatem tollit; sed majores simul inducit. Etenim:

1204. — 5. *Videtur destruere seriam Dei voluntatem salvandi omnes homines.* — Cum homini impossibile sit gratiæ sufficienti consentire, vel ei impedimentum non apponere, nisi ejus voluntas a gratia efficaci præmoveatur, quam Deus omnibus non concedit; cum insuper gratias efficaces Deus electis concedat ex decreto absoluto eorum salutis, reprobis vero solam sufficientem concedat etiam ex voluntate absoluta non dandi gloriam ante omnia prævisa demerita, non amplius apparet quomodo Deus velit serio salutem eorum, quibus solam gratiam sufficientem concedit, quæ per se solam est necessario ineffieax, et cui, si sola datur, homo non potest non resistere, ut ex dictis constat *(n. 1198)*.

1205. — 6. *Destrui videtur spes christiana.* — Spes definitur: «Virtus per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem et media illius assequendæ exspectamus per Dei auxilium» *(cf. n. 1347)*. Jamvero in systemate Thomistarum, homo cum *certa fiducia* salutem sperare nequit. Certum est enim gratias efficaces esse ad salutem prorsus necessarias; certum est eas non omnibus concedi; certum est neminem eas mereri posse, imo, secundum Thomistas, neminem per orationem eas obtinere posse, cum ad orandum gratia efficax jam prærequiratur. Actus igitur spei necessario huic conditioni subjaceret, videlicet: *Spero si Deus gratias efficaces concedat.* Qui actus non est spei.

«Veritatem dico: *inquit S. Alphonsus*[2], si eorum amplecterer systema, qui gratiæ sufficienti virtutem denegant orandi de facto absque ulteriori auxilio, ita ut ad orandum necessaria sit ipsa gratia efficax, sicuti contendunt Thomistæ, nescio quomodo verum actum spei eli-

[1] Disp. 102, VII, p. 672; cf. Bannez, *loc. cit.*, (T. 1, p. 278). — [2] *Cont. hær.*, sess. VI, n. 109, T. VI, p. 197; cf. etiam n. 158, p. 247 et *Magn. precat. adj.*, P. II, c. IV, § 3.

cere possem. Etenim, non mihi sufficeret inniti Dei omnipotentia, misericordia atque fidelitate, sed insuper inniti deberem fiducia obtinendi gratiam efficacem orationis, siquidem ordinarie, ut docet S. Augustinus, nonnisi petentibus Deus suas gratias elargitur. Atqui pro illa gratia efficaci orationis nullam Dei promissionem habemus, et certum est gratias efficaces omnibus non concedi. Actum igitur conditionatum spei elicere coactus forem, scilicet: Si Deus mihi efficacem gratiam orationis concedat, spero, mediante oratione, si ea uti velim, me obtenturum cum gratiam efficacem servandi præceptum spei et omnia alia præcepta, tum gratiam me salvandi; si vero Deus gratiam efficacem orationis mihi dare nolit, sicut dare non tenetur, nullum amplius mihi superest medium, nequidem mediante oratione, obtinendi vires ad adimplendum præceptum spei et alia mandata; quo in casu salutem sperare nequeo » [1].

§ 2. *Systema Augustinianorum* [2].

1206. — Augustiniani rigidiores statum innocentiæ a statu naturæ lapsæ distinguunt. Pro statu innocentiæ nullam gratiam ab intrinseco efficacem admittunt, sed solam agnoscunt sufficientem, quacum homo, si voluisset, omnia mandata actu servare potuisset. Pro statu naturæ integræ admittunt igitur gratiam versatilem ad sensum Molinæ.

Dum vero de statu naturæ lapsæ agunt, ad Thomistas deflectunt. Eorum sententia, GRATIA SUFFICIENS, (quam etiam vocant auxilium *sine quo*), ea est, « *qua voluntas redditur potens ad operandum, quamvis contingat eam resistere* » [3]; seu ea est, quæ voluntati expeditam et completam agendi poteu-

[1] Dicunt etiam Thomistæ hominem cum gratia sufficiente orare posse, si velit; sed hæc potestas orandi intelligenda est sicut potentia, quæ confertur per gratiam sufficientem; scilicet, potest homo orare, si velit; sed ut velit orare, et ut oret de facto, prorsus necesse est ut illa potentia per gratiam efficacem ad actum secundum reducatur. Unde, absente gratia efficaci, potestas orandi est per se solam irreducibilis ad actum. Cum vero gratia efficax omnibus non concedatur, inde sequitur potentiam orandi esse in multis irreducibilem ad actum, et quidem absque eorum culpa. — [2] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. VI, n. 126, (T. VI, p. 212); Tourn. (Montanius), q, V, a. 2, § 2; Gibbon, Tom. I, disp. 38, dub. ult.; et T. III, disp. 34, app. p. 443. — Lud. Habert, *De Gr.*, c. V, VI et VII. — [3] Lud. Hab., c. V, § 4, cf. c. VII, § 2.

tiam confert, quæ tamen propter infirmitatem ex peccato originali contractam, effectum de facto nunquam consequitur, nisi gratia ab intrinseco efficax eidem accesserit.

Gratia efficax, (quam etiam vocant auxilium *quo*), ea est, « *qua voluntas actu vult et operatur bonum infallibiliter et insuperabiliter* » [1]. — Hæc scilicet gratia, propter virtutem sibi intrinsecam, cum consensu voluntatis infallibilem connexionem causalitatis habet; movetque voluntatem indeclinabiliter, non physica quadam præmotione, ut dicunt Thomistæ, sed motione seu determinatione morali, quæ secundum plures, in delectatione absolute victrici unice consistit. *(De hac motione morali, cf. n. 1219).*

Hanc gratiam efficacem ad omnia opera salutaria, quantumvis parva, imo ad orationem, absolute necessariam esse dicunt, sed solo titulo infirmitatis ex peccato contractæ: tanta enim, aiunt, ex originali peccato relicta est debilitas in voluntate, ut hæc, quamvis per gratiam sufficientem constituatur in agendi potentia, nunquam de facto de potentia ad actum secundum transire possit, nisi a gratia efficaci moveatur.

In hoc systemate salutis œconomia explicatur sicut in systemate Thomistarum; admittitur prædestinatio ante prævisa merita, necnon et reprobatio negativa, quæ tamen ex sola peccati originalis prævisione repetitur.

Difficultates.

1207. — In hac Augustinianorum explicatione perfecte intelligitur quomodo sub infallibi motione gratiæ humana libertas intacta remaneat *(cf. n. 1221)*. Sed difficultates, quæ Thomistas ob eorum gratiam sufficientem premunt, contra Augustinianos etiam militant.

Præterea, falsum est gratiam efficacem movere voluntatem unice per delectationem absolute victricem, sicut aliqui ex Augustinianis docent. Affirmat enim S. Augustinus, voluntatem humanam, sicut experientia etiam constat, licet delectatione plerumque moveatur, aliis tamen incitamentis, v. gr., pudore, desiderio, odio, amore justitiæ, timore pœnarum, moveri posse, et non raro moveri.

[1] Habert, *loc. cit.*

§ 3. *Systema Molinistarum* [1].

1208. — Molinistæ gratiam ab intrinseco et suapte natura efficacem omnino respuunt, tanquam libertatis creatæ eversivam; et solam gratiam versatilem admittunt, quæ ab eventu seu a determinatione voluntatis cum effectu conjungitur.

Quælibet gratia excitans, aiunt, possidet in se efficaciam vere sufficientem ad opus, ad quod datur. Hæc voluntati tribuit in actu primo proximam et expeditam agendi potentiam, voluntatemque simul ad opus invitat et movet, quin eam tamen infallibiliter ad opus determinet.

Hac gratia munitus, homo absque alio prævio auxilio agere potest, si vult; si vocationi resistit, gratia effectu frustratur, et remanet *mere* sufficiens; si vero voluntas, roborata viribus a gratia acceptis, vocationi consentit, gratia propter hunc consensum effectum obtinet, et vocatur *efficax ab extrinseco.* Gratia igitur efficax cum effectu infallibilem connexionem causalitatis non habet; habet tamen cum eo infallibilem connexionem *prævisionis:* quia Deus, quinam gratiæ consensum præstaturi sint, quinam vero non, ope scientiæ mediæ infallibiliter præcognoscit.

1209. — **Œconomia salutis.** — In hoc systemate prædestinatio sive ante sive post prævisa merita admitti potest. Qui prædestinationem ante prævisa merita admittunt, docent Deum illis, quos absolute prædestinavit, decreto absoluto eam seriem gratiarum præparasse, quas ope scientiæ ex determinatione humanæ voluntatis efficaces fore prævidit; non electis vero eas tantum præparasse gratias, quas ob defectum consensus ex parte hominis absque effectu mansuras esse prænovit.

Qui vero prædestinationem post prævisa merita tuentur, docent Deum, antequam decretum de alicujus electione aut reprobatione ferret, explorasse quid quilibet homo cum ea serie gratiarum ad salutem sufficientium, quas ei præparavit, acturus sit. Quos ope scientiæ mediæ gratiis bene usuros prævidit, eos elegit ad gloriam; eos

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.,* sess. VI, n. 110; Lessius, *De Grat.,* c. X, n. 9; Mazzella, *De Gr.,* Disp. 3; Jungman, *De Gr.,* n. 199.

vero, quos gratiis non consensuros et in finali impœnitentia morituros prævidit, eos decreto positivo propter eorum demerita ad gehennam destinavit.

Difficultates.

1210. — 1. *Hoc systema Scripturæ Sacræ contradicere videtur.* — « In systemate Molinæ, *ait S. Alph.*, gratiam cum libertate perfecte conciliari, nemo negare potest. Sed maxima occurrit difficultas, in eo sita, quod hæc opinio cum divinis Scripturis non concordat. Sacra enim Scriptura nimis aperte docet gratiam, saltem in præsenti statu naturæ lapsæ, esse ex se et ab intrinseco efficacem, non vero tantum ex consensu voluntatis : gratiam que esse causam, quæ voluntatem determinet, efficiatque ut bonum operetur. » *(Loc. cit., n. 115).*

Et postquam plurimos citavit Scripturæ textus, *(quos n. 1217 relatos invenies , addit S. Doctor:* « Scio equidem Molinam ejusque asseclas his textibus alias attribuere interpretationes, quæ cum sua opinione concordent; negare tamen non possunt hos S. Scripturæ textus, in sensu suo obvio et naturali, efficaciam gratiæ ab intrinseco bene denotare. Præsertim cum S. Patres, major saltem eorum pars, eos sic intelligant : et speciatim S. Augustinus, Doctor gratiæ, eos in nostro sensu intelligat. »

2. *Contradicit doctrinæ S. Augustini et S. Thomæ.* — « Negari non potest, *ait S. Alphonsus*, S. Augustinum et S. Thomam docuisse gratiam ex se et ex natura sua efficacem, sicut ex multis eorum textibus manifeste constat, speciatim ex iis, quos referimus, etc. » *(Magn. precat. adj. P. II, c. 4 in fine ; cf. Cont. hær., sess. VI. n. 120 et 121).*

« Hæc opinio, *ait etiam Bellarminus* [1], aliena est omnino a sententia B. Augustini, et quantum ego existimo, a sententia etiam Scripturarum divinarum. » Idem affirmat *Tanner* [2], *S. J.*, qui addit quod « hæc sententia efficaciam gratiæ nimis extenuat. »

3. *Falso nititur fundamento.*

« Mihi, *inquit Tanner, S. J.* [3], probari ea sententia nunquam potuit, quia inani nititur fundamento; eo nimirum potissimum, quod auctores ejusdem existimant, si efficacia gratiæ constituatur in vi quadam infallibili efficiendi consensum, quæ prior sit ipso consensu absolute futuro, destructum iri libertatem consensus : quod falsum est ex iis etiam, quæ auctores isti ultro concedunt. »

4. « Denique, *ait idem Tanner, S. J.* [4], eadem sententia, post diuturnam et diligentem hujus rei discussionem, peculiari decreto

[1] *De Grat. et lib. arb.*, l. I, c. 12. — [2] *De Grat.*, Disp. VI, dub. 5, n. 80, p. 1164. — [3] *Loc. cit.*, p. 1163. — [4] *Loc. cit.* — Cf. De Regnon, Bannez et Molina, p. 126-133.

R. P. N. Claudii Aquavivæ Societatis nostræ Præpositi generalis, anno 1613, improbata est, cum ita ad Societatem nostram rescribit: Mandamus, ... etc. »

§ 4. *Systema Congruistarum* [1].

1211. — Molinistæ efficacitatem gratiæ nimis extenuant, *ut ait Tanner,* Deique supremo dominio derogare videntur. In hoc igitur puncto Suarez systema Molinæ emendare nisus est: exinde natus est *Congruismus.*

Congruistæ GRATIAM EFFICACEM definiunt illam « *per quam Deus facit ut velimus et ut faciamus;* » *(Suarez)* [2]; ejusque efficaciam in extrinseca congruitate reponunt; exinde gratia efficax ab eis vocatur *gratia congrua.*

Quæ extrinseca congruitas sita est in accommodatione, convenientia et attemperatione gratiæ cum hominis ingenio, natura, affectibus, variisque locorum ac temporum circumstantiis, *prout ista omnia subjacent scientiæ mediæ;* seu in eo consistit, quod gratia sit hominis dispositionibus attemperata, eoque loco ac tempore conferatur, in quibus per scientiam mediam Deus infallibiliter prævidet hominem vocationi esse consensurum.

Hanc gratiam ad omnia opera salutaria, sive gravia sint, sive levia, Congruistæ necessariam esse dicunt. « Deus, *ait Suarez* [3], prædifinit omnes et singulos actus supernaturales: ergo ut infallibiliter illa prædefinitio habeat effectum, necessaria est gratia efficax ad singulos actus » [4].

GRATIA vero SUFFICIENS ea est, quæ hominis ingenio et dispositionibus non est attemperata, iisque loci vel temporis circumstantiis confertur, in quibus hominem non esse consen-

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.,* sess. VI, n. 122; Suarez, *De Aux.,* l. V; Tanner, *De Gr.,* Disp. VI, q. II, dub. 6; De Regnon, Bannez et Mol., p. 126. — [2] *De Aux.,* l. V, c. 5, n. 10. — [3] L. III, c. 2, n. 5. — [4] *Prædefinitio* a Mazzella *(De Grat.,* n. 688) definitur: « Decretum seu voluntas, qua Deus antecedenter ad creaturæ liberæ determinationem *absolute* prævisam, ab æterno positive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creatura aliquis actus bonus fiat in tempore. »

surum prævidetur: qua de causa gratia sufficiens vocatur *incongrua*.

Ex dictis conspicuum est:

1. Efficaciam gratiæ *efficienter* esse a solo Deo, qui, ut aiunt, de industria aliis dat gratias congruas, aliis vero incongruas; « verius ac melius absolute dicitur, *ait Tanner* [1], efficaciam gratiæ pendere a solo Deo. »

2. Efficaciam gratiæ *formaliter* non consistere in aliqua virtute gratiæ intrinseca, quia nihil est in gratia efficaci quod non sit in sufficiente [2]; neque desumi ab eventu seu consensu voluntatis, quia « in potestate liberi arbitrii non est gratiam efficacem vel inefficacem reddere » *(Tanner)* [3]; sed desumi ex extrinseca congruitate circumstantiarum, in quibus voluntas gratiæ consensura prævidetur.

3. Infallibilitatem connexionis gratiæ cum effectu *non esse causalitatis, sed tantum prævisionis;* aliundeque haberi non posse, nisi ope scientiæ mediæ, « qua Deus prænovit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali opportunitate, futurum esse illi ita congruum, ut omnino sit illi consensura. » *(Suarez)* [4].

1212. — **Œconomia salutis.** — Congruistæ prædestinationem ante prævisa merita, et reprobationem negativam admittunt. Electis « de industria Ipse (Deus) ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. » *(Cl. Aquaviva)* [5]. — Non electis vero Deus ea seligit media, eaque iis in circumstantiis eoque tempore ac loco confert, quo videt effectum infallibiliter non obtentura, non quidem ex defectu ipsius gratiæ, sed ex malitia voluntatis.

Difficultates [6].

1213. — 1. Congruistæ nullam gratiam ab intrinseco suapteque natura efficacem admittunt. Sed hoc, ut supra dictum est *(n. 1210, 1)* et Scripturæ S., et S. Augustini atque S. Thomæ doctrinæ contradicit.

[1] *Loc. cit.*, n. 112. — [2] Suarez, l. V, c. 21, n. 2. — [3] *Loc. cit.* — [4] L. V, c. 21, n. 6. — [5] *In Decr.*, an. 1613. — [6] Cf. Frassen, *De Grat.*, Disp. II, a. 3, sect. 3, § 3, p. 232.

2. Congruistæ efficacitatem gratiæ in actu secundo ita a circumstantiis dependere dicunt, quasi Deus nec immediate in cordibus hominum agere, nec eos immediate ad opus indeclinabiliter applicare posset. Porro hoc omnipotentiæ Dei derogare videtur.

3. Docent Congruistæ, Deum, ut gratiæ efficaciam infallibiliter cognoscat, indigere scientia media, qua prius, an voluntas sit gratiæ consensura, exploret. Exinde non amplius apparet quomodo Deus dici possit *facere ut faciamus* [1]. Qui enim facit ut faciamus, ipse operatur nostrum velle et nostrum operari, et idcirco effectum, etiam antequam exploraverit quid cum tali auxilio actura sit voluntas, infallibiliter cognoscit. Si ergo necesse est Deum, ut effectum gratiæ infallibiliter cognoscat, prius explorare quid voluntas cum gratia actura sit, hoc in signum est efficacitatem gratiæ a libera voluntatis humanæ determinatione dependere, prout dicunt Molinistæ.

4. *Destrui videtur notio gratiæ vere ac relative sufficientis.* — Gratia vere ac relative sufficiens ea est, quacum homo, spectatis circumstantiis in quibus versatur, vere et actualiter operari possit, vel saltem uberius implorare possit auxilium, si velit; ita ut præcepti omissio soli malæ hominis voluntati adscribenda sit. Sed hujusmodi non est gratia sufficiens Congruistarum: cum enim gratiæ efficacia in actu secundo dependeat, non a consensu voluntatis, sed a circumstantiis, quæ hominis potestati non subsunt, posita gratia incongrua, homo potest cum ea, neque actualiter operari, neque uberius implorare auxilium, cum ad orandum gratia efficax jam prærequiratur. Quocirca præcepti omissio non tam malæ hominis voluntati, quam gratiæ defectui, attribuenda est.

5. *Destrui videtur seria Dei voluntas salvandi omnes homines.* — « Si talem (Deus) facit secretionem gratiarum, *ait Lessius* [2], ut electis non præparet nisi gratiam, quam præsciebat habituram effectum, ita ut hæc sit tota ratio cur hic et nunc hanc gratiam conferat: reprobis vero solum eam quam videbat frustrandam: quomodo non videtur insidiari eorum saluti? Sicut enim electis confert illam, ut impleatur quod de illis decrevit: ita reprobis conferet alteram, ne fiat in illis quod noluit decernere. »

§ 5. *Systema S. Alphonsi de Ligorio.*

1214. — Quæ hactenus exposita sunt systemata, gravissimis, ut compertum est, objiciuntur difficultatibus ex eo ortis, quod videlicet gratiam ab intrinseco efficacem vel ad omnia prorsus

[1] Cf. Isamb., q. 111, Disp. IX, a. 2. — [2] *De Prædest.*, Sect. V, n. 51 (Edit. in-4, 1610, p. 330).

opera salutaria necessariam dicunt, vel omnino de medio tollunt.

« Quod si, *inquit Duplessis d'Argentré*[1], tot ac tanta incommoda vitare velis, benevole auditor, manus des in sententiam antiquiorum scholasticorum... Hac via ab intricatissimis difficultatibus, quibus in aliena sententia satisfieri nequit, facile te expedies. » Quæ antiquiorum scholasticorum communis sententia quasi intermedia intercedit.

Hanc mediam sententiam fere unanimiter tenuerunt Almæ Sorbonæ illustrissimi Doctores; eamdem S. Alphonsus, traditionis amicus, suam fecit tanquam aliis « *multo probabiliorem et æquiorem* », eamque fuse evolvit et novis roboravit argumentis, ita ut, teste Causa Doctoratus, (p. 55), ejus secundus pater merito dici possit. Quocirca et hoc systema simpliciter inscripsimus: Systema S. Alphonsi: ipse enim S. Antistes primus et solus inter Ecclesiæ Doctores existit, qui de modo operandi gratiæ systema methodice concinnatum protulerit.

Innixus verbis *S. Augustini:* « Admonemur in facilioribus quid agamus, in difficilioribus quid petamus » *(De Nat. et Gr., c. 69);* necnon et verbis ejusdem Doctoris a Conc. Trident., Sess. VI, cap. 11, relatis: « Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis ». *(loc. cit., c. 43)*, distinguit *S. Alphonsus* opera salutaria *in difficiliora*, inter quæ computantur mandatorum observantia, perfecta cordis conversio, et præsertim finalis perseverantia; — et *in faciliora*, inter quæ principalissimum locum obtinet oratio.

Qua præmissa distinctione, docet S. Doctor:

I. *Ad opera difficiliora* absolute requiri gratiam ab intrinseco efficacem, quæ motione morali voluntatem infallibiliter determinet.

II. *Ad opera vero faciliora*, et specialissime ad orationem, omnino sufficere gratiam sufficientem seu communem, quæ omnibus datur; et per orationem omnes homines gratias effi-

[1] Opera Grandin, T. VI, p. 48.

caces, quibus ad difficiliora opera ponenda et ad salutem consequendam indigeant, obtinere posse.

In his duobus, quæ systematis essentiam constituunt, omnes hujus sententiæ patroni, concordant, licet in quorumdam accidentalium explicatione inter se dissentiant [1].

NB. Cum hæc S. Alphonsi doctrina maximi sit momenti et maximæ simul utilitatis iis, qui fidelium saluti procurandæ incumbunt; in ea evolvenda aliquantulo fusius immorabimur.

I. DE GRATIA AB INTRINSECO EFFICACI.

1215. — Definitio. — GRATIA EFFICAX definiri potest: *Supernaturalis quædam motio intellectus et voluntatis, habens vim quamdam peculiarem et singularem efficaciam ad infallibiliter inducendum creatam voluntatem ad indeclinabiliter consentiendum Deo vocanti* (Isamb., In q. 111, disp. 5, a. 2).

Dicitur: *a) supernaturalis motio intellectus et voluntatis*: gratia enim efficax est species gratiæ prævenientis, quam, secundum probabiliorem sententiam, diximus consistere in virtuosa Dei motione intellectui et voluntati impressa, qua actus indeliberati cum in intellectu tum in voluntate produ-

[1] **Pro hoc systemate consuli possunt:** Isamb., In 1. 2. q. 111; And. Duval, In 1. 2, q. 111; Gamachæus, In 1. 2, q. 111, a. 5 et 6; Alph. Moynius (Lemoine), *De dono orationis;* Grandin, *De Gr.,* tom. II, p. 128, 218, 239; Duplessis d'Argentré, *De multiplici genere div. gratiæ,* (inter opera Grandin, t. VI); Isaac Habertus, *Theol. Patrum Græcorum;* Tournely, *De Gratia;* Montanius, Comp. Tournelii, *De Gratia;* Duhamel, *Theol. speculatrix, De Gratia,* l. IV, c. 4; Bedianus Morange, *Summa universæ theol. catechist.,* t. II, pag. 202; Moretus. *De Gratia,* Disp. IV et V; Joseph ab Exspectatione, *Systema theologicum,* pag. 250 ad 348; Mascharhenas, *De aux. div. gr.,* Pars III; Petrocorenses, *Theol. specul.,* l. VI, c. 3; Sfondratus, *Nodus prædestinationis,* P. I, § 2, n. 2-5, et § 3; Thomassinus, *Consensus scholæ de Gr.;* Norisius, *Jansenii error. calumn. sublata,* c. II et seq.; Martinet, *Theol. dogm.,* tom. IV, p. 81; Knoll, *Instit. theol. theor.,* P. IV. Sect. I, c. 3, a. 2, § 5; Dalponte, *Comp. theol. dogm.,* n. 666; Rohling, *Gnade und Freiheit;* Schaetzler, *Neue Untersuchung über das dogma von der Gnade,* p. 226.

euntur *(n. 1126 et seq.)* — *b) Habens vim quamdam peculiarem*, etc.: ad indicandum, gratiam efficacem, ex virtute sibi intrinseca a Deo indita, habere jam in actu primo infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, ad quem datur: unde ipsa sic est prævéniens, ut semper sit etiam perficiens, et quidem indeclinabiliter.

1216. — Munera. — *Gratiæ efficacis duo sunt munera.* « Gratia actualis, prævéniens et adjuvans, *ait S. Alphonsus,* dat vires ad operandum bonum: et quando est efficax, non solum dat vires, sicut etiam dat gratia sufficiens, sed insuper facit ut bonum actualiter operemur. » *(Hist. hær., conf. XI, n. 4).*

Primum igitur gratiæ efficacis munus in eo positum est, ut videlicet facultatem, si habitibus infusis careat, ad ordinem supernaturalem transeunter elevet; et in voluntatem, licet jam sit elevata, vires supernaturales operi, ad quod datur, proportionatas physice influat; ita ut voluntas constituatur physice in actu primo principium efficax operationis supernaturalis, quantumvis difficilis. Deus, *ait S. Augustinus*, dat animæ ut perseveret *delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem*, (De corrept. et gr., c. 8); *eique præbet vires efficacissimas*, (De grat. et lib. arb., c. 16; cf. n. 1129). Sed de hoc munere nunc non agitur.

Alterum gratiæ efficacis munus in eo situm est, quod videlicet voluntatem ad actum secundum moveat, et quidem tam efficaciter, ut voluntatis consensum infallibiliter semper et indeclinabiliter operetur. « Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, *ait S. Augustinus*, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur. » *(De corrept. et gr., c. 12).*

De quo gratiæ efficacis munere in hacce disputatione unice agitur: *quomodo scilicet gratia suapte natura et ab intrinseco efficax voluntatem infallibiliter et insuperabiliter moveat, et voluntas sub tali motione libera tamen maneat.*

Quod ut obtineatur, probandum est: 1. admittendam esse gratiam ab intrinseco efficacem; — 2. hanc gratiam motione morali, non autem physica, voluntatem ad actum determinare; 3. gratiam efficacem plerumque, sed non unice, voluntatem

per delectationem absolute victricem movere; — 4. cum hujusmodi determinatione morali libertatem hominis salvam subsistere.

1217. — Prop. I. *Ad opera difficiliora peragenda, necessaria est gratia ab intrinseco efficax.*

Prob. I. **Ex Script. S.** « Sacra Scriptura, *inquit S. Alphonsus, (Contr. hær., sess. VI, n. 115 et seq.)* nimis aperte docet, gratiam, saltem in præsenti statu naturæ lapsæ, esse ex se et ab intrinseco efficacem, non vero tantum ex consensu voluntatis; gratiamque esse causam quæ voluntatem determinet, efficiatque ut bonum operetur...

« Referemus igitur divinas Scripturas, quæ nobis manifeste ostendunt, gratiam non esse efficacem *ab extrinseco*, id est, per determinationem voluntatis humanæ; sed *ab intrinseco*, quia voluntas Dei est, quæ humanam voluntatem determinat, et gratia est, quæ facit ut bonum operemur...

« Scribit S. Paulus (Ephes. II, 10): *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Notentur verba: *Creati in operibus bonis;* si in operibus bonis creati sumus, Deus utique suo decreto facit, ut opera nostra effectum, quem habent, reapse producant. Dicitur insuper: *Quæ præparavit Deus;* si Deus opera nostra bona præparavit, ipse igitur ea quæ facere debemus, prædefinivit. Additur denique: *Ut in illis ambulemus;* præparavit Deus opera nostra bona, non quia nos in eis ambulaturos prævidit, sed quia ipse sua voluntate facit, ut in illis ambulemus.

« Idem dicit Dominus per Ezechielem (XXXVI, 27): *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis.* Dicit: *Et faciam, præbendo scilicet,* ut addit S. August. [1], *vires efficacissimas voluntati.*

« Idem affirmat Apostolus (Phil. II, 13): *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. — Id est,* ait S. August. [2], *ille facit ut velimus... ille facit ut fa*

[1] *De Gr. et lib. arb.,* c. VI. — [2] *Loc. cit.,* c. XVI.

ciamus. — Nos ergo volumus, addit S. Doctor [1], *sed Deus in nobis operatur et velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari.* Non dicit S. Augustinus, (quod probe notandum est), Deum facere *ut velle possimus*, quod ad gratiam sufficientem spectat; sed *ut velimus et faciamus*, quod gratiæ efficacis proprium est. » *(Cf. etiam Ver. fid., P. II, c. 17, n. 16).*

Hos textus, et alios, quos S. Doctor addit, SS. Patres et imprimis S. Augustinus, de gratia ab intrinseco efficaci intelligunt. *(Cf. n. 1210, 1 et 2).*

II. **Ex auctoritate S. Augustini et S. Thomæ.** « Negari non potest, *ait S. Alphonsus (Magn. prec. adj. P. II, c. 4, § 3)*, S. Augustinum et S. Thomam docuisse, gratiam ex se et ex natura sua esse efficacem; quod ex multis quidem eorum textibus manifeste constat, speciatim ex iis, quos referimus.

« Scribit S. Augustinus: *Qui* (Deus) *tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem* [2]. — *Agit Omnipotens in cordibus hominum, ut per eos agat quod per eos agere voluerit* [3]. — *Et si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit* [4]. — ... *Novit* (Deus) *in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant* [5]; etc.

« Et S. Thomas scribit: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest* [6]. — *Caritas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit; unde impossibile est hæc duo simul esse vera: quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum caritatis, et quod ipse caritatem amittat peccando* [7]. — *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni quod volun-*

[1] *De Don. Pers.*, c. XIII. — [2] *De corrept. et gr.*, c. 14. — [3] *De Gr. et lib. arb.*, c. 21. — [4] *De prædest. Sanct.*, c. 10. — [5] *Ad Bonif.*, l. I, c. 19. — [6] *De Malo*, q. 6, ad 3. — [7] 2. 2, q. 24, a. 11.

tas ad illud non moveatur[3]. » *(Cf. etiam Cont. hær., sess. VI, n. 120 et 121).*

III. **Ex Ratione.** Modus explicandi efficacitatem gratiæ, tum ex simplici voluntatis consensu, tum ex congruitate extrinseca, divinæ omnipotentiæ derogare eamque labefactare videtur. Si enim gratia ex eo solum supponatur efficax, vel quia voluntas ei consentiat, vel quia gratia in circumstantiis congruis detur atque hominis ingenio et affectibus sit attemperata, Deus hominem absolute nolentem vel certo et efficaciter ad se convertere non posset, vel eum saltem non posset quovis tempore et loco infallibiliter convertere. Atqui hoc divinæ omnipotentiæ derogat.

Minor ex idea omnipotentiæ clare colligitur. Deus, utpote omnipotens, hoc dominium, hanc potestatem in voluntatem creatam habere debet, ut eam in quacumque circumstantia ad bonum infallibiliter inclinare possit, imo et eam ex nolente facere possit volentem. — Præterea, *ut ait S. August.:* « Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » *(Enchirid., c. 98).*

1218. — Prop. II. *Operatio gratiæ efficacis est determinatio moralis, non physica.*

NB. In gratia efficaci, ut jam supra notatum est *(n. 1216)*, duo debent distingui: ipsa scilicet *entitas gratiæ*, qua facultates physice roborantur, qua tum intellectus illuminatur, tum voluntas movetur; et *modus quo* hæc gratia in voluntatem agit, ut eam infallibiliter ad consensum trahat. De hoc secundo agitur in propositione.

Prob. I. **Ex Script. S.** Determinatio moralis est prævia et antecedens motio in voluntatem per illuminationem, suasionem, exhortationem, delectationem, comminationem, etc., quibus voluntas ad aliquid agendum adducatur. Atqui in S. Scripturis talis motio adscribitur gratiæ: siquidem gratia vocatur: *auditio, lux, illuminatio, benedictio dulcedinis, in-*

[3] 1, 2, q. 10, a. 4.

terna cordis inclinatio et tractio. — Legimus (Joan. VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* — (II Cor. IV, 6): *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* — (Apocal. III, 20): *Ecce sto ad ostium, et pulso.* — (Ps. XX, 4): *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* — (Cant. I, 3): *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* — Jamvero hæc omnia gratiam efficacem denotant: et solam determinationem moralem, non autem physicam ad sensum Thomistarum, exhibent.

II. **Ex Conciliis.** In Conciliis gratia vocatur: *illuminatio, inspiratio, suavitas, tactus cordis.* — Sic, v. gr., in Arausicano II, can. 7, gratia vocatur: *Illuminatio Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo.* — Et in Trident., Sess. VI, can. 6, legimus: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.* — Sed illuminatio, inspiratio, tactus cordis, suavitas, solam motionem moralem, non autem physicam, indicant.

III. **Ex S. August.** S. Augustinus auxiliantem gratiam semper vocat *vocationem altam et secretam, suasionem, adhortationem, delectationem victricem, etc.* « Suasionibus, *inquit*, agit Deus, ut velimus et credamus. » *(De Spir. et lit. c. 34).* — « Quæ est alta et secreta vocatio ita suadens, ut persuadeat; ita agens sensum, ut legi accommodet assensum; ita cor emolliens, ut a nullo duro corde respuatur: ita aptatur vocato, ut illi obtemperet, et sequatur; bonæ voluntatis effectrix, quæ facit facere. » *(De peccat. merit., c. 9).*

IV. **Ex Ratione.** Deus quodlibet ens secundum ejus naturam ad finem movet. Atqui, natura entis intellectualis expostulat, ipsam ad instar entis irrationalis a causa extrinseca physice non applicari ad opus, sed per motiva moralia, puta illuminationem, suasionem, adhortationem, etc., ita determinari ut ipsa etiam sese ad opus libere determinet. Jamvero gratia naturam non destruit, sed eam salvat et perficit. Gratia igitur voluntatem non motione physica, sed motione morali, ad opus applicat.

1219. — Prop. III. *Gratia efficax moralem voluntatis determinationem operatur plerumque, sed non unice, per delectationem absolute victricem.*

Probatur I. Pars: *gratia* plerumque *operatur per delectationem absolute victricem.*

I. **Ex Script. S.** Homines a Deo dulcedine et delectatione moveri, Scripturæ aperte testantur. Legimus. (Ps. LXXXIV, 13): *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* — (Ps. XX, 13): *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « Benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis. » *(Ad Bonif., l. II, c. 9).*

II. **Ex S. Augustino.** S. August. effectricem gratiam frequenter vocat *dulcedinem, suavitatem, delectationem.* « Aguntur enim, *inquit,* ut agant;... ut quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione et delectatione, *justitiæ suavitatem,* quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. » *(De corrept. et gr., c. 2).* — « Inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat (Deus) plus delectare quod præcipit, quam delectat, quod impedit. » *(De Spiritu et litt., c. 29).* — « Nolunt homines facere quod justum est, seu quia latet, an justum sit, seu quia non delectat: ut autem innotescat, quod delectat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. » *(De Peccat. merit., c. 17).* — Et, *(De peccat. merit., c. 19),* gratiam simpliciter vocat victricem delectationem.

III. **Ex Ratione.** Talis est hominis natura, ut amore et delectatione ad operandum plerumque moveatur. Conveniens igitur est Deum, qui omnia movet secundum eorum naturam, hominem etiam ad bonum supernaturale per cœlestem delectationem movere; ita ut, qui ad illicita suavitate terrena attrahitur, suavitate cœlesti a malo retrahatur. « Contra suavitatem noxiam, *ait S. August.,* qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam. » *(De Continent., c. 5).*

Prob. II. Pars: *gratia efficax* per alios affectus *voluntatem etiam determinat.*

« Gratia efficax, *inquit S. Alphonsus*, plerumque per delectationem victricem operatur et operari facit; sed aliquoties nos etiam ad operandum per alia motiva, ut spei, timoris, etc., determinat, secundum quod docet S. Augustinus, dicendo Deum innumerabilibus et mirabilibus modis homines ad se efficaciter attrahere. » *(Cont. hær., sess. VI, n. 141. — Cf. etiam n. 128).*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Jerem. XXXII, 40): *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* — (Ps. CXVIII, 120): *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* — Et ibidem, 112): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Quibus conspicuum est, Deum timore aut spe aliquoties homines movere.

II. **Ex Traditione.** « Quare isti sic, *inquit S. August.*, illi aliter, atque alii aliter, diversis et innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur? absit, ut dicamus, judicium luti esse debere, sed figuli. » *(De corrept. et gr., c. 5).* — « Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari. » *(Cont. duas Epist. Pelag., l. I, c. 19).* — Et *S. Prosper.:* « Trahit timor... trahit lætitia... trahit desiderium... trahunt delectationes... Et quis perspicere aut enarrare possit per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum? » *(Cont. Collat., c. 7).*

1220. — Corollaria. *Ex hactenus dictis:*

Sequitur I: Efficaciam gratiæ *efficienter* esse a solo Deo, qui gratiæ immediate talem virtutem et energiam indidit, ut hominis voluntatem semper indeclinabiliter et invictissime ad consentiendum et operandum determinet.

Gratia igitur efficax apte vocari potest *instrumentum divinæ omnipotentiæ:* semperque ex absoluto effectus proposito conceditur, vi scilicet divini decreti effectum absolute prædefinientis. « Deus *ait S. Alphonsus*, decreto suo facit ut opera nostra effectum, quem habent, reapse producant. » *(Sess. VI, n. 116).*

Sequitur II: Deum, ad effectum gratiæ efficacis infallibiliter et certo cognoscendum, non indigere scientia media.

Cum enim gratia ex virtute sibi intrinseca voluntatis consensum indeclinabiliter operetur, Deus ejus effectum in ipso suo decreto, quo statuit talem gratiam conferre, certo et infallibiliter cognoscit.

Sequitur III: Cum gratia voluntatis consensum operetur determinatione morali, quæ multis et miris modis fieri potest, Deus gratiæ efficacis motionem plerumque adaptat et contemperat, tum ingenio et subjectivis dispositionibus hominis, tum circumstantiis externis, in quibus homo versatur. Experientia enim constat non omnes homines iisdem motivis æqualiter moveri; imo et eumdem sæpe hominem in his dispositionibus aut in hac circumstantia ab aliquo motivo efficaciter moveri, quod eumdem aliter dispositum, aut alia in circumstantia non movisset. Deus igitur, qui naturæ consentanee operatur, gratias suas plerumque personis attemperat et adaptat, eo fine, ut voluntas connaturalius et libentius consentiat [1].

Hujus gratiarum attemperationis ad personas, testes habemus Scripturam et S. Augustinum. Legimus (Hebr. XIII, 20): *Deus pacis... aptet vos in omni bono,... faciens in nobis quod placeat coram se.* Agi his in verbis de gratia efficaci, ex ultimis verbis constat. Gratiam autem aptari homini, clare indicatur verbo: *aptet vos in omni bono.*

S. Augustinus de hac gratiæ adaptatione insignia tradit. « Non est volentis, *inquit*, nec currentis, sed miserentis Dei, qui hoc modo vocavit, quo aptum erat iis qui secuti sunt vocationem; cujus enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere ut vocationem non respuat... Licet multi uno modo vocati sint, tamen non omnes uno modo sunt affecti, unde et illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei... Verum ergo est, multi vocati, pauci electi; illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati... Cum alius sic, alius autem sic moveatur

[1] Præter auctores supra citatos, cf. Gibbon, T. I, disp. 38, dub. ult.; et T. III, disp. 34, appendix; Puteanus, In q. 111, dub. 5 et 6.

ad fidem, et eadem res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, non etiam defuisse modum Deo, quo mentem Esau ad illam fidem applicaret qua Jacob justificatus est. » *(Ad Simpliciacianum, l. I, q. 2).*

Quæ tamen attemperatio non est proprie causa cur voluntas consentiat gratiæ, perinde ac si gratiæ efficacia penderet ab illa ejus congruitate, voluntasque gratiæ unice consentiret ob istam congruitatem, sicuti docent *Congruistæ:* sed ipsa vis intrinseca gratiæ sola operatur infallibiliter et indeclinabiliter consensum voluntatis; operatur autem istum consensum coaptando suam motionem suamque actionem hominis ingenio et dispositionibus, ita ut quemque suaviter et secundum ejus naturam, ad consensum infallibiliter determinet [1].

Sequitur IV: Inter efficaciam gratiæ in actu primo et effectum adesse connexionem causalitatis omnino certam et infallibilem, non tamen metaphysicam aut physicam, sed moralem, eamque summam; quæ, etsi absolute loquendo effectu suo frustrari possit, eo tamen nunquam de facto frustratur, non quidem ob consensum voluntatis ope scientiæ mediæ prævisum, sed ob ineluctabilem virtutem ipsi gratiæ intrinsecam, quæ effectum infallibiliter semper operatur. Quapropter, quamvis modus, quo gratia voluntatem determinat, in motione morali tantum consistat, infallibilitas tamen effectus est absoluta et absolute certa.

1221. — Prop. IV. *Sub infallibili motione gratiæ moraliter moventis illæsa remanet humana libertas.*

NB. Libertatis humanæ concordia cum infallibili gratiæ efficacia altum est mysterium, quod nobis in patria tantum perfecte revelabitur. In hac igitur quæstione hoc solum sibi unum systema præ alio vindicare potest, quod paucioribus objiciatur difficultatibus, meliusque salvare videatur cum perfectam hominis libertatem, tum indeclinabilem gratiæ efficacitatem.

Jamvero systema, quod propugnamus, utrumque præ cæteris systematibus præstare videtur. Ex dictis sat est jam manifestum effi-

[1] Cf. Tourn. (Mont.), q. V, a. 3, § 6.

cacitatem gratiæ esse omnino infallibilem, gratiamque ab intrinseco efficacem esse instrumentum omnipotentissimæ Dei voluntatis, quo Deus ad nutum suæ voluntatis humana corda quocumque voluerit, flectit. Sed et humanam libertatem sub motione talis gratiæ illæsam remanere haud obscure manifestum est.

Prob. I. Ad tollendam libertatem, necesse est vel auferri indifferentiam judicii, vel voluntatem antecedenter ita ad unum determinari, ut non sit amplius in ejus potestate ad oppositum sese determinare. Atqui:

1. Moralis determinatio gratiæ indifferentiam judicii non aufert: hæc enim unice per propositionem boni universalis, seu boni per essentiam, tollitur; sed bonum universale in illuminatione per gratiam non proponitur.

2. Moralis determinatio gratiæ voluntatem antecedenter ad suam electionem ita ad unum non determinat, ut hæc potestatem ad oppositum sese determinandi non amplius habeat, sicuti ex ipsa natura motionis moralis constat.

Et re quidem vera, possibilitas sese ad oppositum determinandi, a voluntate, antecedenter ad suam electionem, solum per hoc aufertur, quod ab aliquo agente extrinseco efficienter physice, seu per modum causæ physicæ, ineluctabiliter ad opus applicetur. Porro, motio moralis, quantumvis supponatur magna et efficax, efficienter physice voluntatem ad unum non applicat, sed solum *efficienter moraliter:* id est, motio moralis suadendo, delectando, alliciendo, terrendo, etc., voluntatem ita adducit, ut ipsa ultimatim ad bonum propositum eligendum sese determinet. Quæ motio physicam voluntatis potentiam ad oppositum intactam relinquit, solamque inducit impotentiam moralem, ingentem scilicet difficultatem, ad omittendum id, ad quod vocatur per gratiam. Quo fit ut voluntas, licet potentiam physicam ad oppositum conservet, et possit, absolute loquendo, tum gratiæ non consentire, tum oppositum eligere, ipsa tamen se determinet ad volendum id, ad quod per gratiam sollicitatur. Motione igitur igitur morali voluntas, antecedenter ad suam electionem, non ita ad unum determinatur, ut non amplius sit in ejus potestate ad oppositum sese determinare; ac

proinde sub motione gratiæ efficacis intacta manet ejus libertas.

II. Id omnes concedunt, videlicet: hominem gravi impetitum tentatione, et speciali gratiæ auxilio carentem, versari in morali impotentia ad resistendum, et infallibiliter peccare; inter gravem enim tentationem et peccatum, absente speciali gratia, antecedens et infallibilis existit connexio. Certum est tamen hominem, non obstante hac antecedente et infallibili connexione, tentationi libere consentire et libere peccare. Si vero diabolus adeo potens est, ut motione morali, quæ sola in tentatione adest, hominem infallibiliter ad peccatum trahat, illæsa manente ejus libertate, a fortiori concedendum est, Deum motione morali hominem in bonum inclinare posse, ut effectus infallibiliter simul et omnino libere sequatur.

1222. — Corollaria. I. Sub morali igitur gratiæ efficacis motione libertas humana integra et perfecta remanet; quinimo et perfectior evadit. Gratiæ enim efficacis munus est, non solum voluntatem ad bonum movere, sed ei etiam vires efficacissimas tribuere, ut ipsa gratiæ vocanti consentire, et bonum supernaturale agere valeat. Cum igitur gratia, ut jam dictum est *(n. 1129 et 1216)*, voluntatem physice roboret, elevet, perficiat, et contra carnalem concupiscentiam insuperabili fortitudine accingat, inde fit ut voluntas, contra noxias illecebras per gratiam munita et roborata, majori cum deliberatione et facilitate tum bonum supernaturale libere eligere, tum a malo eidem opposito libere declinare valeat.

II. Ex dictis etiam sequitur quod, licet efficacia gratiæ habeat in actu primo infallibilem connexionem cum effectu, ejus tamen efficacia in actu secundo pendet etiam aliquo modo a libero arbitrio. Gratiæ siquidem efficacia in actu secundo est ipsa salutaris operatio, vel ipsamet actualis conversio peccatoris ad Deum. Sed salutaris operatio et conversio ad Deum sunt actus vitales, a voluntate libere positi, et quos voluntas potuisset non ponere, ut definivit Trident. Sess. VI, can. 4. Si igitur gratia efficax effectum obtinet, illum etiam obtinet

propter hoc quod voluntas, quæ dissentire potuisset, vocationi libere correspondet.

Salutaris igitur effectus ita procedit a gratia, ut simul etiam a libero arbitrio procedat, non quidem tanquam a duabus causis partialibus, sed tanquam ab unica causa totali. « Quod a sola gratia cœptum est, *ait S. Bernardus*, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa. » *(De Grat. et lib. arb., c. 14, n. 47).*

II. DE GRATIA SUFFICIENTE [1].

1223. — Definitio. — Gratia sufficiens definitur: *Auxilium quod tribuit homini potestatem undequaque completam et expeditam, ut opera faciliora patrare, et in primis orare possit, si velit* (cf. n. 1137).

De natura gratiæ sufficientis seu communis pluribus in locis mentem suam exponit S. Alphonsus, sed præsertim in opere cui titulus: *Magnum precationis adjumentum. (Gran Mezzo della preghiera).* « Omnibus hominibus, *inquit*, conceditur gratia actualiter orandi, quin alia nova indigeant gratia; et per orationem omnia alia auxilia ad mandatorum observantiam et ad salutem necessaria sibi comparare possunt. Adnotandum est tamen quod per verba: *quin alia nova indigeant gratia*, dicere non intendimus gratiam communem dare omnibus το orare sine gratiæ adjuvantis auxilio; siquidem ad quemcumque pietatis actum ponendum, præter gratiam excitantem, absque dubio necessaria est gratia adjuvans seu cooperans. Sed dicimus gratiam communem dare cuilibet potentiam actualiter orandi sine nova gratia præveniente, quæ voluntatem hominis physice vel moraliter determinet, ut actu oret. » *(P. II, c. 4).*

[1] Præter auctores citatos p. 444, cf. Frassen, *De Gr.*, Disp. II, art. 3, sect. 4. (T. IX, p. 235).

1224. — Munera. — *Gratiæ sufficientis seu communis tria sunt munera.*

Primum munus in eo situm est, quod videlicet facultates, si habitibus infusis careant, in ordinem supernaturalem transeunter elevet, et ut voluntati vires tribuat, quibus in actu primo constituatur principium efficax in ordine ad leviores pietatis actus peragendos, et præsertim ad orandum.

Secundum munus in eo positum est, quod prævia motione morali, sed motione *fallibili* et *vincibili*, voluntatem ad actus faciliores, præsertim ad orationem, moveat. Cum vero moveat motione fallibili et vincibili, inde evenit ut sufficientis gratiæ efficacia neque habeat in actu primo infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, neque voluntatis consensum infallibiliter, sed contingenter tantum, dependenter scilicet a libera hominis acceptatione, operetur. Qua de causa gratia sufficiens suum effectum quandoque obtinet, quando nempe voluntas ei consentit; et quandoque effectu frustratur, quando nimirum voluntas recusat ei consentire.

Tertium munus in eo consistit, quod cuilibet homini medium gratiam ab intrinseco efficacem certo et infallibiliter obtinendi suppeditet. Quocirca, respectu orationis, gratia hæc communis est immediate semper sufficiens; respectu vero operis difficilioris, cujusmodi est mandatorum observatio, vel perfecta cordis conversio, est mediate tantum sufficiens.

1225. — Prop. I. *Gratia sufficiens, quæ, urgente præcepto, omnibus communiter conceditur, ita est immediate et proxime ad orandum sufficiens, ut quilibet cum ea actu orare possit, si velit, et per orationem uberiora auxilia, quibus ad difficiliora peragenda et ad salutem consequendam indiget, obtinere* [1].

Explicatur propositio. — Dicitur: *a) Urgente præcepto,* non quia unice *tunc* hæc gratia conceditur; Deus enim eam, quando vult, dare po-

[1] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.*, per totum, speciatim P. II, c. 4; et *Cont. hær.*, Sess. VI, n. 142 et seq.; Tourn. (Mont.), *De Grat.*, q. V, a. 3, § 7, concl. 3.

test et aliis etiam temporibus eam sæpius concedit; sed quia, urgente præcepto, certo datur. — *b) Gratia sufficiens, quæ omnibus communiter conceditur*, de qua distributione late actum est cap. III, a. 2. — *c) Immediate et proxime sufficiens,* ad excludendam gratiam efficacem Thomistarum et Augustinianorum, quam isti necessariam dicunt, ut potentia data a gratia sufficiente transeat in actum. — *d) Ad orandum,* cum secundum S. Alphonsum oratio sit inter faciliores pietatis actus principalissimus, de ea tantum sermo est, quin alia tamen opera faciliora excludantur. — *e) Ut cum ea quilibet actu orare possit, si velit,* ad indicandum hanc gratiam homini omnia necessaria tribuere ad orandum; eam tamen ita esse hominis arbitrio commissam, ut penes ipsum stet, ut gratia effectum, ad quem datur, de facto producat. — *f) Et per orationem uberiora auxilia obtinere,* quæ verba nexum, qui sufficientem gratiam inter et efficacem existit, denotant.

Prob. I. **Ex Script. S.** Permulta in S. Scripturis exstant loca, quæ propositionem probant. Aliqua tantum proferre sat erit.

1. Legimus (I Cor. X, 13): *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Ergo, urgente tentatione, Deus omnibus dat vel gratiam immediate sufficientem ad tentationem vincendam, vel saltem gratiam ulterius auxilium necessarium efflagitandi. Si enim ad actualiter petendum, gratia communis omnibus concessa non sufficeret, sed requireretur gratia efficax, quæ omnibus communiter non conceditur, Deus illos, quibus non daret illud auxilium speciale, sineret tentari supra id quod possunt. — Simile argumentum erui potest ex verbis (Deuter. XXX, 11): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.*

2. Spiritus S. adhortatur, et peccatores ut resipiscant, et oneratos ut veniant ad Christum, et fideles ut diabolo fortiter resistant: (Is. XLVI, 8): *Redite, prævaricatores, ad cor.* — (Ezech. XVIII, 30): *Revertimini, et agite pœnitentiam.* — (Matth. XI, 28): *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* — (I Petr. V, 9): *Cui resistite fortes in fide.*

« Sed, *inquit S. Alphonsus,* si non admittatur hæc gratia sufficiens, quacum absque altera gratia omnibus communiter non concessa, quilibet orare, et per orationem gratiam efficacem ad legem observandam obtinere possit... intelligere non possum quomodo Scripturæ Sacræ homines, ut divinam

sequantur vocationem, tam fortiter exhortent... Qui enim gratia efficaci ad orandum necessaria carent, Deo dicere possent: Domine, cur hoc nobis dicis? Fac hoc tu ipse; scis enim quod nos non habemus gratiam, nequidem ad te deprecandum, ut nos tuis exhortationibus correspondere facias. » *(Cont. hær., sess. VI. n. 158).*

« Nescio etiam, *addit S. Doctor,* quomodo justæ esse possent objurgationes, quæ omnibus communiter fiunt peccatoribus, qui gratiæ resistunt, et divinam excitationem despiciunt; (Act. VII, 51): *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* — (Prov. I, 24): *Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret...* Nescio, dico, quomodo hæc ipsis improperari possent, si eis gratia etiam remota deesset, gratia scilicet illa efficax, quam adversarii ad actualiter orandum necessariam dicunt. » *(Magn. precat. adj., P. II. c. 4, in fine).*

II. **Ex Concilio Tridentino.** 1. Legimus Sess. VI, cap. 11: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* — « Dicit Concilium, *inquit S. Alphonsus,* Deum mandata impossibilia non imponere, quia vel dat auxilia ad ea observanda, vel dat gratiam orationis ad ea auxilia imploranda, nosque ad alterutrum faciendum adjuvare. Atqui, si verum esset non omnes a Deo accipere gratiam, saltem actualem gratiam mediatam orationis ad omnia præcepta actu observanda, affirmandum esset cum Jansenio, hominibus etiam justis deesse gratiam ad aliqua præcepta actu implenda. » *(Cont. hær., sess. VI. n. 153).*

« Nec dici potest, *addit S. Doctor,* hæc verba *Monet* (Deus) *facere quod possis et petere quod non possis,* intelligi de sola potentia orandi, non vero de actuali oratione, quia si gratia communis et ordinaria daret solum *posse orare,* et non ipsum actuale orare, non dixisset Concilium *monet facere quod possis et petere quod non possis,* sed dixisset: *monet posse facere et posse petere...* Dicendo igitur *monet facere quod possis et petere quod non possis,* manifeste expressit non solum το posse facere, et το posse orare, sed etiam το ope-

rari realiter, et *non* petere realiter. Si enim ad actu operandum et orandum homo gratia extraordinaria, quam non habet, indigeret, eccur Deus eum moneret, ut faciat et oret, quippe qui sine gratia efficaci nec actu facere nec petere possit? » *(Magn. prec. adj., loc. cit.).*

In eadem Concilii Sess. VI, cap. 11, iterum legimus: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* — Quapropter « si ad actualiter orandum, *ait S. Alph.*, gratia sufficiens, omnibus communis, non sufficeret, sed præterea gratia efficax, omnibus non communis, requireretur, hoc inde sequeretur, quod: Homo justus, ad primum lethale peccatum tentatus, et carens gratia efficaci, (illa saltem, qua vires ad resistendum implorare posset), sine ullo dubio tentationi succumberet. Tunc vero Deus justum prius deseruisse dicendus esset, quam ab eo fuisset desertus; quandoquidem gratia efficax ad resistendum prorsus necessaria defuisset. » *(Magn. prec. adj., loc. cit.).*

III. **Ex Traditione.** « Admonemur, *ait S. August.*, et in facilioribus quid agamus, et in difficilioribus quid petamus. » *(De Nat. et Grat., c. 69).* — « Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus jubet. » *(Ad Simpl., l. I, q. 2).* — « Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum cujus dono eam possit implere. » *(Ad Simpl., l. I, q. 1).*

Ex his, aliisque multis S. Augustini testimoniis compertum est, hominem cum gratia communi difficiliora præcepta implere non posse; sed posse a Deo uberiora auxilia, quibus indiget, actu implorare. Gratia igitur communis, absque uberiori prævenient auxilio, ad actu orandum vere sufficit. *(Cf. S. Alph., loc. cit.).*

IV. **Ex constanti Veterum Theologorum doctrina.** Antiquiores theologi (si paucos excipias), qui ante ortam disputationem de divinis auxiliis scripserunt, præter gratiam efficacem ab intrinseco, non aliam agnoscunt gratiam sufficientem, præter illam quacum homo quandoque operatur, quandoque vero non. « Veterum theologorum, *ait Thomassinus*, nemo at-

tigit sufficientia illa auxilia, quorum effectus nunquam est ullus:... omnibus ea placuere sufficientia auxilia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non assentitur. » *(Theol. dogm., T. III, Consensus schol. P. II, versus fin.).*

Idem testatur et probat *Duplessis,* Doctor Sorbonicus, in sua dissertatione *De multiplici genere gratiarum. (Cf. præsertim, p. 30, 33, 41).*

Veterum vestigiis insistens, Schola Sorbonica non aliam etiam agnoscit gratiam sufficientem. « Gratiam sufficientem, *inquit Is. Habert,* optime describit Schola Sorbonica: *Auxilium gratiæ ex cujus ope et bono usu homo a Deo excitatus gratiam efficacem consequi potest.* » *(Theol. Patr. Græc., l. II, c. 15, n. 3).*

V. **Ex communi fidelium sensu et praxi.** 1. Fideles, præsertim sanctiores, seipsos torporis et negligentiæ accusare solent, quando gratiis acceptis male usi sunt, et in tentationibus orare neglexerunt. Persuasum ergo sibi habent, se illis gratiis consentire potuisse, quibus tamen restiterunt. Si igitur ad quodlibet opus salutare requireretur gratia ab intrinseco efficax, cui nunquam resistitur, omnes, quotquot sunt fideles, et præsertim sanctiores, in errore versarentur: quod certe dicere nefas est.

2. Sacri concionatores quotidie adhortantur fideles, cum ut gratiis receptis bene utantur, tum ut pro uberioribus auxiliis impetrandis ad orationem confugiant. Sed si ad quemlibet actum salutarem requireretur gratia ab intrinseco efficax, quæ indeclinabiliter operatur, et omnibus communiter non conceditur, « intelligere nequeo, *ait S. Alph.,* quomodo oratores sacri populos ad conversionem exhortari possent... Fideles enim respondere possent: Quod nobis dicitis, dicite Deo, ut illud ipse faciat: siquidem nos non habeamus neque gratiam immediate efficacem ad nostram actualem conversionem, neque gratiam sufficientem, ut illam mediante oratione obtineamus. » *(Cont. hær., Sess. VI, n. 158).*

VI. **Ex Ratione.** Argumenta ex ratione petita ad eam stabiliendam gratiam sufficientem, quacum quilibet homo, si velit, possit faciliora pietatis opera reapse patrare, absque

fortioris auxilii interventu, quod omnibus communiter non conceditur, supra sunt jam allata; videlicet:

1. Hæc sola gratia sufficiens, qualis in propositione adstruitur, est vere sufficiens; quæ si rejiciatur, nulla amplius præsto erit gratia vere et proprie sufficiens. *(Cf. n. 1200).*

2. Deficiente hac gratia sufficiente, et admissa sola gratia sufficiente in sensu Thomistarum et rigidiorum Augustinianorum, peccatum homini imputari non posset. *(Cf. n. 1201).*

3. Si ad orandum de facto non sufficeret gratia sufficiens, sed requireretur gratia ab intrinseco efficax, non amplius apparet quomodo Deus dici posset velle serio salutem omnium, etiam eorum, quibus solas gratias sufficientes concedit, efficaces vero, sine quibus nullum opus salutare actu elicitur, denegat. *(Cf. n. 1204).*

4. Demum, si cum sola gratia sufficiente homo orare nequit, actum est omnino de spe christiana. *(Cf. n. 1205; et S. Alph., Magn. prec. adj., c. 4).*

NB. Exposita tum gratiæ sufficientis natura, tum ejus relatione cum efficaci, S. Alphonsus ulterius progreditur, et investigat quisnam sit ille nexus, qui in statu præsentis providentiæ inter gratiam sufficientem orationis et gratias efficaces ad salutem necessarias intercedat. Docet S. Doctor, nexum adesse necessarium: *necessarium* nempe, quia ordinarie gratia efficax nonnisi eam petentibus conceditur; *necessarium* etiam, quia gratia efficax eam petentibus infallibiliter conceditur.

1226. — Prop. II. *Ad gratiam efficacem obtinendam oratio est medium necessarium et omnino infallibile*[1].

NB. Dicitur *medium necessarium;* Deus gratias efficaces elargiri potest cui vult, quando vult, et quomodo vult; et aliquando eas etiam non orantibus misericorditer concedit[2]. Attamen secundum statum præsentis providentiæ, Deus eas *ordinarie* non concedit nisi orantibus; quocirca oratio recte dicitur medium necessarium ad eas obtinendas. — *Omnino infallibile:* Deus omnibus, qui orant *sicut debent et quantum debent*, eas, sicut et ipsam salutem, certissime concedit.

[1] Cf. *Præp. Mort.*, Cons. 30; *Magn. prec. adj.*, P. I, c. 1 et 2. — [2] Cf. Is. Habert, *Theol. Patr. Græc.*, P. II, c. 15.

Prob. I. Pars: *Est medium necessarium.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Jac. IV, 2): *Non habetis, propter quod non postulatis. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* His constat fideles, quibus scripsit Apostolus, gratiam ad vincendum non habuisse, quia non postulaverunt, vel male postulaverunt. Oratio ergo fuit ipsis medium necessarium ad gratiam accipiendam. — (Matth. VII, 7): *Petite et dabitur vobis.* Ergo illis, qui non petunt, non dabitur; si enim et non petentibus daretur, superflua foret petitio.

II. **Ex Traditione.** « Deus, *inquit S. August.*, dare vult; sed non dat nisi petenti. » *(In Ps. CII).* — « Constat, *ait S. Doctor*, Deum alia dare etiam non orantibus, sicut initium fidei: alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam. » *(De dono persev., c. 16).*

Cum S. Augustino consonat *S. Thomas:* « Oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum... Et simile est etiam de oratione: non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum; ut scilicet *homines postulando mereantur accipere quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare*, ut Gregorius dicit, Dialog. l. I, c. 8.» *(2. 2, q. 83, a. 2).*

« Sine auxilio gratiæ, *addit S. Alph.*, nullum possumus facere bonum. (Joan. XV, 5): *Sine me nihil potestis facere...* Atqui secundum ordinariam providentiam, Deus illud gratiæ auxilium non nisi orantibus concedit, juxta celebrem Gennadii sententiam *(De Eccl. dogm., c. 26): Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum, nisi orantem, auxilium promereri.*

« Quia igitur, ex una parte, absque gratiæ auxilio nihil facere possumus, et ex altera, illud auxilium a Deo ordinarie non nisi orantibus conceditur, rigorose sequitur orationem nobis esse ad salutem absolute necessariam. » *(Magn. prec. adj., P. I, c. 1).*

III. Ratio, ob quam Deus gratias efficaces ordinarie solis orantibus concedit, alia non est assignanda quam Dei voluntas, qui voluit ut in humilitate radicati ad eum supplices indesinenter accedamus, et exinde eum ardentius amare discamus, quia « Oratio, *ut ait S. Joan. Chrysost.*, non parvum vinculum est dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui assuefacit. » *(In Ps. IV).* — Et *S. Thomas:* « Quod (Deus) aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem; ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. » *(Loc. cit., ad 3).*

Prob. II. Pars: *Est medium infallibile.*

I. **Ex Script. S.** Hæc secunda propositionis pars omnibus probatur Scripturæ textibus, quibus Deus orantes se exaudire promittit. (Ps. XLIX, 15): *Invoca me in die tribulationis; eruam te.* — (Jer. XXXIII, 3): *Clama ad me, et exaudiam te.* — (Matth. VII, 7): *Petite et dabitur vobis.* — (Joan. XV, 7): *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* — (Joan. XIV, 14): *Amen, amen, dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sed promissio Dei est infallibilis. Omnis igitur, qui orat, sicut debet, et quantum debet, gratiam ad legem servandam et ad salutem consequendam infallibiliter obtinebit.

II. **Ex Traditione.** « Deus, *inquit S. Joan. Chrys.*, paratus continuo ad vocem servorum suorum est, nec unquam ut oportet vocatus non obaudivit... Semper obtinetur, etiam dum adhuc oramus. » *(In Matth. Hom. 55).* — *S. Bernardus:* « Deus... aut dabit quod petimus, aut quod noverit esse utilius. » *(In Quadr. Serm. 5).*

1227. — Corollaria. *Ex tradita doctrina plura fluunt maximi momenti corollaria.*

I. Cum bonus usus gratiæ sufficientis orationis sit via ad efficacem, imo sit, secundum leges ordinariæ providentiæ, unicum medium ad eas gratias obtinendas, quibus ad salutem indigemus, omni adulto gravis incumbit orandi obligatio saltem quotiescumque extraordinario indiget auxilio.

« Cum ex una parte, *inquit S. Alphonsus*, absque gratiæ auxilio nihil facere possimus, et ex altera, illud auxilium a Deo ordinarie non concedatur nisi orantibus, rigorose sequitur orationem esse ad salutem omnino necessariam... Qua de causa theologi, cum S. Basilio, S. Joan. Chrysostomo, S. Clemente Alex., S. Augustino, aliisque, communiter docent, orationem adultis necessariam esse, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii: id est, secundum ordinariam providentiam impossibile est fidelem salvari, si ad Deum non recurrat, ab eo gratias ad salutem necessarias petendo. » *(Magn. prec. adj., l. I, c. 1).*

II. Cum in quibusdam præsertim urgentioribus circumstantiis, fervida et perseverans oratio opus evadat arduum et difficile, ope gratiæ tepidioris orationis, quæ etiam tunc omnibus præsto est, petenda est gratia fervidioris orationis, et speciatim in antecessum petendum est auxilium, ut illis in circumstantiis ab oratione non deflectamus.

« Vigiles simus, *ait S. Alph.*, non solum ad efflagitandum semper finalem perseverantiam et gratias ei obtinendæ necessarias; sed etiam ad petendum semper in antecessum gratiam semper precandi. Hoc est præcise magnum illud donum, quod Dominus per prophetam electis suis promisit (Zach. XII, 10): *Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum.* » (Loc. cit., c. 3, in fine).

III. Cum opus omnium difficillimum sit finalis perseverantia, ipsa quotidie petenda est, ut quotidie obtineatur. Cum autem orationis effectus sit infallibilis, qui orat sicut debet, et quantum debet, hic perseverantiam infallibiliter obtinebit, et salutem infallibiliter consequetur; qui vero non orat, hic, juxta ordinariam Dei providentiam, salutem non consequetur. Igitur: « Qui orat, certe salvabitur; qui non orat, certe damnabitur. Quotquot salutem consecuti sunt, per orationem salvati sunt; quotquot in gehennam ceciderunt, damnati sunt, quia non oraverunt. » *(S. Alph. Præp. Mort., Consid. 30, P. 2).*

1228. — Œconomia salutis. — In hoc systemate, sicut intuenti patet, neque prædestinatio ante prævisa merita, neque reprobatio negativa admittitur. Sed statuitur: Deum, ex seria voluntate de salute omnium, omnibus gratias ad salutem vere sufficientes, et imprimis gratiam orandi, concedere. Quos Deus gratiis hisce sufficientibus bene usuros, præsertim vero, quos precaturos sicut debent et quantum debent,

prævidit, his gratias ab intrinseco efficaces, quibus merita infallibiliter comparent, concedere statuit, eosque propter eorum merita elegit ad gloriam. Quos vero gratiis sufficientibus, speciatim gratiis ad orandum concessis, non usuros esse prævidit, eis gratias suapte natura efficaces denegat, eosque propter eorum demerita reprobat.

III. COMMENDATIO SYSTEMATIS S. ALPHONSI.

1229. — I. In hoc nostro systemate admittitur tum gratia ab intrinseco efficax, quam ex S. Scripturis et S. Augustino admittendam esse conspicuum est; tum gratia vere et relative sufficiens, quacum homo actu faciliora operari potest, si velit. In hoc etiam systemate nexus, qui inter gratiam sufficientem et efficacem existit, in aprico ponitur. — In eo præterea, aliquatenus saltem, intelligere licet quomodo hominis libertas sub motione gratiæ suapte natura efficacis intacta remanere possit.

« Ex iis, quæ exposita fuerunt, *inquit Albertus a Bulsano, (Knoll)* [1], satis patet, hoc ultimum systema fini suo maxime congruere, quoniam in ipso tum de gratia efficaci, tum de libertate hominis, tum de gratia sufficiente claræ notiones traduntur, et istorum dogmatum nexus, quantum fieri potest, manifestatur. »

II. Hoc nostrum systema alia systemata antiquitate superat. S. Patres et Veteres Theologi duplex agnoscunt auxilium gratiæ: speciale unum, quod invictissime, insuperabiliter, indeclinabiliter suum semper producit effectum; aliud commune seu sufficiens, omnibus, urgente præcepto, concessum, quo auxilium speciale a Deo efflagitare possint.

Inconsiderate igitur agunt qui « zelo paulo ardentiori, *ut ait Tournely* [2], insurgunt in istam postremam opinionem, quasi nova foret, ad nos usque in scholis sorbonicis inaudita. » — Contra, alia systemata novitatis notam effugere nequeunt.

Neque minus inconsiderate agunt, qui hoc systema insimulant eclectismi, perinde ac si ex partibus ab aliis systematibus mutuatis coalesceret. Hoc equidem systema, utpote præ aliis antiquitate commendatum, a cæteris nihil mutuavit; sed quæ habet, a Patribus et antiquioribus scholasticis accepit, quorum doctrinam refert. Cætera vero systemata Patrum et antiquiorum scholasticorum doctrinam ex parte tantum referunt, cum vel gratiam suapte natura et ab intrinseco efficacem prorsus eliminent, vel talem statuant gratiam sufficientem, quæ de facto vere sufficiens non videatur: qua de causa, et hæc cætera systemata manca existunt, ac tot atque tantis obnoxia sunt difficultatibus.

[1] *Theol.*, P. IV, sect. I, c. 3, a. 2. — [2] *De Grat.*, P. II, q. VII, a. 1.

III. Hoc S. Alphonsi systema conformius est regulæ ad seligendas opiniones inter theologos hinc inde agitatas traditæ. « Porro circa theologos hæc regula statuenda est, *ait Hilarius Parisiensis* [1]: Dissentientibus Doctoribus, si pars partem æquare videatur, opportunum est mediam viam quærere, quia quando duabus opinionibus invicem diu certantibus, nulla aliam superavit, concluditur in utraque aliquid veritatis et aliquid erroris inesse: unde pura veritas in medio invenienda est. »

IV. In hoc systemate divina attributa clarius elucent. « Ex eodem systemate, *ait Knoll, (loc. cit.)* attributa divina clarius pro captu nostro elucent; nempe *omnipotentia*, quæ multiplici modo in homine operatur, et partim ita eum adjuvat, ut gratiæ efficacia, vel inefficacia a consensu dato vel negato dependeat, partim vero per gratiam ipsam consensum simul cum libertate producat; *sapientia*, quæ modum invenit, quo fit, ut in ordine salutis nihil quidem sine gratia fieri possit, et tamen eadem salus, quæ est opus gratiæ, etiam meritum hominis recte dicatur, imo quilibet actus salutaris tum gratiæ, tum libero arbitrio adscribendus sit: *bonitas*, quæ gratias sufficientes omnibus elargitur eosque ad preces, aliaque opera facilia adhortatur, quibus auxilia ab intrinseco efficacia, et effectus salutares indeclinabiliter et insuperabiliter producentia obtinere queant; ac demum *justitia*, quæ sicut debito modo petentibus, quærentibus, pulsantibus, gratias efficaces concedit, ita easdem orationem aliaque opera facilia negligentibus justissimo judicio denegat.... In eodem systemate facilius declaratur quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri, et non sit acceptor personarum. »

V. « Denique, *addit præhudatus auctor*, hoc ultimum systema ad moralitatem promovendam efficacissimum est. Cum enim in isto dicatur gratiam sufficientem cuilibet adesse, maximum illud moralitatis obstaculum tollitur, quo homines gratiam ad observanda divina mandata necessariam sibi deesse dictitant, desidiam suam iniique excusantes. Posita hac doctrina, homines potius quovis tempore cavere debent, ne ipsimet gratiis acceptis desint, atque ideo continuo vigilare, ad inspirationes attendere, iisdemque obtemperare tenentur, ut tali modo actus pietatis faciles ponentes, ac præcipue sine intermissione cum vera humilitate et firma confidentia orantes gratias ab intrinseco efficaces obtineant, quibus muniti, etiam graves tentationes superabunt, ardua quæque præcepta observabunt, et salutem suam operabuntur, etc. »

Merito igitur scribere potuit *Martinez* [2]: « Sanctissimus et doctissimus Alphonsus de Ligorio eam proposuit de efficacia gratiæ sententiam, quæ nobis semper magnopere placuit, utpote cæteris ea

[1] *Cur Homo Deus*, p. 102. — [2] *Theol.*, T. IV, p. 81.

de re sententiis, et speculative fundatior, et practice procul dubio utilior. Quid enim prodest de gratia efficaci multa disserere, nisi modum discamus tantum bonum nobis et proximo conciliandi. »

VI. His accedit *Eminent. Cardinalis Villecourt* præconium. Exposito breviter S. Alphonsi systemate, exclamat [1]: « En præclaram doctrinam, vel si mavis, mirabile systema sancti nostri Auctoris de gratia et oratione. Hæc doctrina tantum nobis attulit delectationis, ut, elapso jam dimidio sæculo, nunquam ex animo nostro discesserit. Siquidem nobis videbatur, nullum exstare posse Novatorem, quadam æquitate et ratione præditum, quem ipsa, æque ac nos, non convinceret. Hæc enim doctrina, dum Dei bonitatem ejusque providentiam mirifice extollit, miserorum peccatorum erigit animos, ne in desperationem incidant, gratia necessaria orbatos se esse credentes. Ipsa peccatoribus simul ostendit, omnes qui mortem incurrunt æternam, nonnisi propria culpa perire, eo quod Deus nulli deneget donum orationis, cujus ope omnia impetrantur auxilia ad salutem æternam consequendam necessaria. »

[1] *Causa Doctoratus S. Alph.*, p. 27.

PARS II.

DE GRATIA HABITUALI.

Perpensis iis, quæ ad gratiam actualem spectant, de gratia habituali seu sanctificante agendum est. — Gratia habitualis considerari potest cum in seipsa, tum in sua acquisitione; idcirco in hac secunda parte tractandum est I. de ipsa gratia sanctificante; II. de ejus acquisitione, seu de justificatione.

—

CAPUT I.

DE IPSA GRATIA SANCTIFICANTE.

1230. — Gratia sanctificans definitur: *Supernaturale Dei donum, animæ permanenter inhærens per modum habitus, quo homo formaliter redditur consors divinæ naturæ, justus, sanctus, Deo gratus, Filius Dei adoptivus, et hæres vitæ æternæ.*

Quæ definitio tam naturam gratiæ sanctificantis, quam ejus formales effectus exhibet. Duo igitur puncta in hoc capite sunt enucleanda: in priori de gratiæ sanctificantis natura; in posteriori de ejus effectibus formalibus sermo erit.

ARTICULUS I.

DE GRATIÆ SANCTIFICANTIS NATURA.

1231. — Circa gratiæ sanctificantis naturam errant protestantes: docent nimirum gratiam, qua justi constituimur, non esse aliquid nobis intrinsece inhærens, sed esse tantum aut extrinsecum Dei favorem; aut justitiam Christi fide apprehensam et nobis extrinsece imputatam. Contra quos sit sequens

Propositio: *Gratia sanctificans qua justificamur non est extrinsecus favor Dei, sed aliquod donum animæ intrinsece inhærens* [1].

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 11: « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (II Cor. I, 22): *Qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* — (Ephes. I, 13): *Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* — (I Joan. III, 9): *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* — (Joan. IV, 14): *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Jamvero hæc verba, quibus metaphorice designatur gratia sanctificans, donum in anima intrinsece inhærens aperte declarant.

II. **Ex Traditione.** *S. August.* in verba Apostoli (Rom. III, 21) *Justitia Dei manifestata est*, scribit: « Non dixit justitia hominis,... sed justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium. » *(De Spir. et litt. c. 9).* — Et *in Trid., Sess. VI, cap. 16*, legimus: « Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur; illa eadam Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi merita. »

III. **Ex Ratione** [2]. Esse in gratia, est amari a Deo, ut ipsi protestantes fatentur. Licet autem amor divinus et humanus in hoc conveniant, quod uterque in bonum tendit, in hoc tamen differunt quod amor humanus est affectivus tantum, et præsupponit in objecto bonitatem quam amat; amor autem divinus est effectivus, *infundens et creans bonitatem in rebus*, ut ait S. Th. [3]. Sicut ergo Deus amando efficaciter res naturales bonum naturale eis elargitur, ita amando

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. XI, n. 32. (T. 5, p. 361). — [2] Cf. S. Th., 1. 2, q. 110, a. 1, et P. I, q. 20, a. 2. — [3] P. I, q. 20, a. 2.

homines in ordine ad finem supernaturalem, eis etiam supernaturalem quamdam elargitur bonitatem, qua congruum supernaturalis Dei dilectionis objectum constituuntur. Hanc autem bonitatem seu perfectionem supernaturalem dicimus esse gratiam sanctificantem, quæ reddit hominem Deo gratum et acceptum in ordine ad vitam æternam.

Stabilita contra protestantes gratiæ sanctificantis realitate physica, inquirendum superest, quænam sit illius doni natura. Porro, quamvis in præsenti vita illius doni natura, utpote quod sit res ordinis supernaturalis, nobis perfecte innotescere non possit, multa tamen, ducibus revelatione et traditione, circa illam nobis cognoscere licet. Pro quo sint sequentes conclusiones.

1232. — Conclusio I. *Gratia sanctificans est donum creatum, non autem ipsa Spiritus S. persona* [1]. — Sententia communis.

Prob. I. Donum est distinctum a donante, signum a signante, pignus ab oppignorante, semen a seminante, diffusum a diffundente. Jamvero gratia dicitur donum, signum, pignus, semen, diffusa: Spiritus Sanctus vero dicitur donans, signans, oppignorans, diffundens. Ergo gratia non est ipsa Spiritus Sancti persona; sed est aliquid creatum a Deo productum, et nobis inhærens.

II. Legimus (Ps. LXXXIII, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ergo sicut gloria non est Spiritus Sancti persona, ut omnes fatentur, ita nec gratia.

III. Sicut esse naturale est effectus dilectionis Dei naturalis, ita esse gratuitum, seu gratia, est effectus dilectionis Dei supernaturalis. Sed esse naturæ est aliquid creatum a Deo distinctum. Ergo etiam esse gratiæ est aliquid creatum a Deo distinctum.

1233. — Concl. II. *Gratia sanctificans non est substantia, sed accidens* [2]. — Sententia communis.

Prob. Gratia sanctificans, teste Trident., *Sess. VI, cap. 7, et can. 11*, est aliquid animæ inhærens. Quod autem alicui

[1] Cf. Grandin, *De Grat.*, p. 108; Montesinus, Disp. 30, q. I, p. 773; Wirceburg., *De Grat.*, Disp. VI, c. 1, a. 1. — [2] Cf. Gotti, *De Grat.*, q. III, dub. 2, § 1.

inhæret, non est substantia, sed accidens, cujus esse est inesse in altero. — *Quæ conclusio ex dicendis magis dilucidabitur.*

1234. — **Concl. III.** *Gratia sanctificans est qualitas, habens esse permanens per modum habitus.* — Sententia communis.

A. *Gratiam esse qualitatem:*

Prob. I. **Ex Auct. Catech. Rom.:** « Est autem gratia, *inquit*, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. » *(De bapt., n. 50).*

II. **Ex Ratione.** Gratia est accidens. Porro neque potest esse quantitas, cum hæc solis corporibus competat: neque relatio, cum hæc sit ad aliud, gratia autem est aliquid absolutum in se; neque actio vel passio, cum gratia non sit aliquid fluens aut transiens; neque aliud quoddam accidens, ut intuenti facile patet. Necesse est igitur gratiam in genere qualitatis reponi.

B. *Gratiam habere esse permanens per modum habitus:*

Prob. I. **Ex Script. S.** In S. Scripturis gratia iis vocabulis designatur, quæ aliquid stabile et physice permanens exhibent. Vocatur enim: *pignus, semen, signaculum, fons*, etc.

Præterea, legimus (I Cor. III, 16): *Spiritus habitat in vobis.* — (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me.... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Porro, et Spiritus S. habitat in homine per gratiam sanctificantem; et tres divinæ personæ mansionem faciunt in homine per eamdem gratiam. Cum igitur tum inhabitatio, tum mansio sint quid permanens, inde consequitur gratiam sanctificantem, per quam fit inhabitatio et mansio, necessario esse etiam quid permanens.

II. **Ex Ratione.** Fide certum est, gratiam habitualem esse etiam in infantibus baptizatis. Sed in his gratia non potest esse nisi per modum habitus.

Præterea, ut ratiocinatur *S. Th., q. 110, a. 2*, Deus non minus providet hominibus, quos diligit in ordine ad vitam

æternam, quam creaturis naturalibus, quas in ordine ad bonum naturale diligit. Jamvero, in ordine naturali Deus sic providet creaturis, ut eas non solum ad finem moveat, sed eis etiam formas seu virtutes permanentes elargiatur, quibus actiones connaturaliter et faciliter elicere valeant. Ergo etiam homines Deus non solum movet ad finem supernaturalem per gratias actuales, sed formas quasdam seu virtutes permanentes eisdem etiam infundit, quibus actiones supernaturales connaturaliter, prompte et faciliter elicere valeant.

1235. — Concl. IV. *Habitus gratiæ sanctificantis est ab habitu caritatis entitative diversus.*

« Quidam posuerunt, *ait S. Th.*, idem esse gratiam et virtutes secundum essentiam, sed differre solum secundum rationem: ut gratia dicatur, secundum quod facit hominem Deo gratum, vel secundum quod gratis datur; virtus autem secundum quod perficit ad bene operandum. » *(1. 2. q. 110, a. 3; cf. de Verit., q. 27, n. 2).*

Quoad hanc igitur conclusionem duplex existit sententia.

Prior, communior et probabilior, est sententia S. Thomæ et discipulorum ejus. Docet gratiam ab habitu caritatis entitative differre.

Prob. I. **Ex Script. S. et Conciliis.** Scriptura et Concilia gratiam a caritate distinguunt. Legimus (II Cor. XIII, 13): *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei*, etc. — Et (I Timoth. I, 14): *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione.* — Et in Conc. Trid., Sess. VI, can. 11, dicitur: « Si quis dixerit justificari homines sola remissione peccatorum,... exclusa gratia et caritate, anathema sit. » — Item, Conc. Viennense, ut refertur in Clementina, de *Summa Trinitate*, docet: « In baptismo infundi gratiam, virtutes et dona. »

Quæ testimonia, licet non sint omnino cogentia, maximam tamen probabilitatem ingerunt gratiam inter et caritatem existere realem distinctionem: quippe Scriptura et Concilia eamdem rem diversis et repetitis verbis denominare non solent.

II. **Ex Ratione.** Patentibus theologis, gratia imitatur naturam. Quocirca de rebus supernaturalibus philosophandum

est per proportionem ad res naturales, nisi in contrarium urgeat aliqua auctoritas. Porro, in ordine naturali, virtus uniuscujusque rei dicitur in ordine ad naturam aliquam præexistentem, cum, teste Aristotele, virtus sit dispositio entis jam perfecti quoad esse. Sed caritas est virtus operativa in ordine supernaturali: ipsa ergo quoddam *esse supernaturale* præsupponit; quod *esse* est gratia sanctificans. Gratia igitur, utpote virtuti præsupposita, a virtute realiter et entitative est distincta.

Posterior sententia, minus communis, est Petri Lombardi, Durandi, Bellarmini, Isamberti, etc. Docet habitum gratiæ ab habitu caritatis entitative non differre.

Prob. I. **Ex Script. S.** « Illi habitus, *ait Isamb.*, sunt iidem realiter quorum omnes proprii et formales effectus sunt omnino iidem, quia habitus distinguuntur penes proprios suos actus, effectus et objecta. Atqui juxta Scripturas proprii actus et effectus gratiæ sanctificantis et caritatis sunt plane iidem: igitur gratia sanctificans et caritas sunt unus idemque numero habitus. » *(In q. 110, disp. 1, a. 2).*

Prob. min. 1. Gratia dicitur esse id, *quo homo filius Dei constituitur, quo renascitur;* idem de caritate affirmatur, (I Joan. III, 1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* — (I Joan. IV, 7): *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

2. Gratiæ tribuitur *reddere hominem Deo gratum et dilectum;* idem caritati tribuitur, (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me,... Pater meus diliget eum,* etc.

3. Gratiæ tribuitur *justificatio* et *peccatorum remissio*: eadem caritati adscribuntur, (I Joan. IV, 46): *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* — (Luc. VII, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

4. Gratiæ vita æterna promittitur: eadem promissa est diligentibus Deum, (Jac. I, 12): *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

II. **Ex Ratione.** Ex duobus entibus absolutis, quæ ab invicem realiter et entitative distinguuntur, unum absque alio existere potest. Atqui gratia et caritas ab invicem separari nequeunt. Ergo nec sunt ab invicem entitative distinctæ.

1236. — Sed, ut respondent patroni prioris sententiæ, hæc duo argumenta nullatenus sunt cogentia. Et re quidem vera:

Quoad primum argumentum: Ex textibus allegatis, nonnulli non de habitu sed de actu caritatis loquuntur: ac proinde iidem effectus, qui gratiæ tanquam causæ formali tribuuntur, caritati tanquam causæ meritoriæ et dispositivæ adscribuntur. Alii vero textus loquuntur

quidem de habitu caritatis; et sic caritati attribuuntur effectus gratiæ, non quia gratia et caritas sint unus et idem habitus, sed quia sunt habitus inseparabiliter connexi. Inde sequitur et ea, quæ gratiæ tanquam radici vel naturæ tribuuntur, caritati tanquam præcipuæ ejus facultati adscribi; et ea, quæ caritatis sunt propria, gratiæ tanquam hujus radici tribui: caritas quippe, in ordine supernaturali, per modum facultatis, gratia vero per modum naturæ se habet.

Ad secundum argumentum respondetur, quod, licet nonnulli affirment gratiam de potentia Dei absoluta sine caritate existere posse, attamen de potentia Dei ordinaria caritas a gratia nequit separari, quia caritas per naturalem quamdam effluentiam fluit a gratia; non secus, v. gr., quam voluntas ab anima. Qua de causa, posita gratia, statim adest caritas; sicut posita anima, statim adest voluntas; evanescente vero gratia, illico evanescit caritas; sicut pereunte anima, periret voluntas.

Evanescente autem caritate, evanescit gratia, quia sicut Deus diligentes se diligit, ita eos, qui ab ejus amore recedunt, et ipse amare cessat. Pro Deo autem, amare in ordine supernaturali, est influere bonum gratiæ: unde et a dilectione se abstinere, est tollere influxum boni gratiæ. Ex quo patet, et quomodo, pereunte caritate pereat et gratia; et quomodo adveniente caritate, adveniat etiam gratia; et quomodo crescente caritate, proportionaliter crescat et gratia.

1237. — Corollaria. *Ex dictis sequitur*: 1. Gratiam esse habitum entitativum, et sese habere in ordine supernaturali per modum naturæ, in qua virtutes infusæ radicantur; caritatem vero esse habitum operativum, et sese habere per modum facultatis.

2. Gratiam esse in essentia animæ tanquam in subjecto proximo; caritatem vero in voluntate. — Qui autem docent gratiam et caritatem entitative non distingui, gratiam in voluntate immediate subjectari dicunt [1].

1238. — Concl. V. *Gratia sanctificans est formalis et physica divinæ naturæ participatio* [2].

Gratiam sanctificantem esse divinæ naturæ consortium quoddam atque participationem, ex verbis B. Petri manifeste constat. Ait enim (II Petr. I, 4): *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* — Ast, quando inquirunt de modo, quo gratia divinam

[1] Cf. S. Th., q. 110, a. 4. — [2] Cf. Paul. a Concept., Tr. XIII, disp. II, dub. 2; Billuart, *De Grat.*, diss. IV, a. 3; Gibbon, disp. 33, dub. 2; Gotti, q. III, dub. 2, § 2.

naturam participet, scinduntur theologi: alii solam participationem moralem, alii physicam formalem admittunt.

Prænotanda. — *Participare aliquid* nihil aliud est, quam rem inferiorem imitari atque exprimere perfectionem rei superioris, non quidem adæquate et secundum omnes conceptus, sed inadæquate et quoad aliquam rationem partialem [1].

Participatio alia est *moralis*, alia *physica*. — *Moralis* est quædam imitatio et expressio qualitatis moralis, quæ est in alia re, et hoc ex extrinseca quadam ordinatione; sicut, v. gr., moneta sigillo regis insignita dignitatem regiam ex extrinseca ordinatione participat. — *Physica* est expressio et imitatio perfectionis alterius, quas aliqua res ex natura sua habet, seclusa omni extrinseca ordinatione, sicut, v. gr., imago suum prototypum naturaliter participat.

Participatio physica est vel *virtualis* vel *formalis*. — *Virtualis* ea est, qua participatur id, quod in alio est tantum virtualiter aut eminenter, sicut, v. gr., ratio humana est participatio intellectus divini, qui eminenter est rationalis. — *Formalis* ea est, quando eadem perfectio cum in illo a quo participatur, tum in eo quod participat, physice reperitur et de utroque formaliter prædicari potest; sicut, v. gr., ferrum candens physice formaliter calorem ignis participat. — Hæc physica formalis participatio est vel univoca vel analoga, prout participatio fit secundum convenientiam univocam vel analogam.

Dicunt igitur nonnulli, gratiam esse moralem tantum divinæ naturæ participationem; quia sicut Deus ex natura sua est semper ad se conversus, semper justus et sanctus, ita gratia *ex extrinseca* Dei ordinatione tribuit homini ut sit ordinatus in Deum supernaturaliter videndum, atque divinam rectitudinem et sanctitatem imitetur. Et propter hanc extrinsecam ordinationem gratia dicitur divinæ naturæ participatio, eo ferme sensu quo illi, qui fidem Abrahæ imitantur, ejus filii dicuntur, quamvis ex eo physice non sint nati.

[1] Salmantic., *De Gr.*, disp. IV, n. 38.

Alii vero, quorum opinio est probabilior et communior, docent gratiam sanctificantem esse physicam formalem, sed analogam, divinæ naturæ participationem, ita ut gratia, ex natura sua, seclusa omni externa Dei ordinatione, hominem ad Deum in se videndum ordinet, sicut Deus ordinatur ex natura sua ad se videndum; et tribuat homini ut in operibus suis sit justus et sanctus, sicut Deus ex natura sua in omnibus operibus suis justus et sanctus est: ac proinde natura divina, quæ in Deo est formaliter, formaliter etiam sed analogice sit in homine per gratiam.

1239. — PROBATUR HÆC SECUNDA SENTENTIA.

I. **Ex Script. S.** 1. Ex verbis B. Petri (II Petr. I, 4): *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Quæ verba sensu suo obvio indicant hominem fieri participem divinæ naturæ, vere, physice, formaliter. Atqui per gratiam sanctificantem homo divinæ naturæ particeps constituitur. Ergo et, gratia sanctificans est vera, physica et formalis divinæ naturæ participatio.

2. Scripturæ sæpius testantur hominem per gratiam ex Deo *generari, nasci, renasci, filium Dei fieri, filium Dei non solum nominari sed esse,* (I Joan. III, I). Atqui generatio, nativitas, filiatio, petunt ut filius naturam patris physice formaliter participet. Ergo et gratia, per quam fit illa generatio, est vera, physica, et formalis divinæ naturæ participatio.

II. **Ex S. Thoma,** qui, (1. 2, q. 110, a. 3), gratiam vocat *naturam divinam participatam... participationem divinæ naturæ.* « Gratia, *inquit, (loc. cit., a. 2, ad 2)...* est forma accidentalis ipsius animæ. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem. » — Et *(P. 3, q. 2, a. 10, ad 1):* « Gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis participata in hominis. » *(Cf. etiam 1. 2. q. 110, a. 4).* — Ex quibus constat, secundum S. Doctorem, gratiam esse physicam formalem divinæ naturæ participationem.

III. **Ex Ratione.** — 1. « Gratia habitualis, *inquit Paulus a Concept.,* quatenus est participatio naturæ divinæ, radicat virtutes et dona supernaturalia, qua ratione gerit mu-

nus *naturæ* in linea supernaturali; sed radicat ea non solum moraliter, sed etiam physice, sicut physice concurrit ad actus videndi et amandi Deum. Ergo est participatio physica et non moralis tantum.» *(Tr. XIII, D. II, dub. 2).*

2. Per naturam divinam intelligimus id, quod in Deo concipitur cum ut radix divinarum perfectionum, tum ut principium radicale divinarum operationum, scilicet ut principium seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, etc. Atqui, gratia sanctificans hanc fontalem Dei perfectionem physice imitatur et exprimit. Justus enim, vi gratiæ sanctificantis, radicaliter disponitur ut in Deum intuitive videndum et amore beatifico diligendum propendat. Eadem igitur fontalis perfectio est in Deo per naturam, et in homine per gratiam. Gratia igitur est formalis divinæ naturæ participatio.

1240. — Corollaria. Ex dictis:

Sequitur I. Gratiam sanctificantem esse entitative supernaturalem, quippe cujus entitas in formali divinæ naturæ participatione consistat, atque ex intrinseca sua natura ad Deum intuitive videndum, eoque amore beatifico fruendum ordinetur.

Sequitur II. Gratiam sanctificantem, dummodo unionem hypostaticam et gloriam beatorum excipias, esse omni alio ente creato, vel creabili nobiliorem. Licet enim ratione accidentalitatis sit inferior anima quoad modum essendi, absolute tamen loquendo est ens omnium perfectissimum, utpote quod bonum divinum perfectius, quam quælibet alia creatura, participet. Gratia igitur facit ut homo sit imago Dei. Imago enim, juxta S. Thomam [1], est similitudo ad instar alterius producta.

Sequitur III. Solum Deum posse esse causam efficientem principalem gratiæ. «Donum gratiæ, *ait S. Thomas*, excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet. Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium divinæ naturæ per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis.» *(1. 2, q. 112, a. 1).*

1241. — Concl. VI. *Gratia sanctificans virtutes infusas semper secum conjunctas habet.* — Certa.

[1] P. I, q. 35. Cf. Bellamy, *La vie surnaturelle*, c. VI.

« Sicut ab essentia animæ, *ait S. Th.*, effluunt ejus potentiæ quæ sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus. » *(Q. 110, a. 4, ad 1).*

Gratiam sanctificantem secum conjunctas habere virtutes theologicas, constat *ex Trid., Sess. VI, cap. 7*, ubi legitur: « In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem »[1].

Ipsam conjunctas etiam habere virtutes morales, testatur *Catech. Rom., P. II. c. II, n. 51:* « Huic autem (gratiæ) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. » — Idem ratione suadetur: sicut per virtutes theologicas homo supernaturaliter ordinatur immediate in Deum, ita « oportet quod per alias virtutes infusas perficiatur anima circa alias res, in ordine tamen ad Deum. » *(S. Th., 1. 2, q. 63, a. 3).* Sed virtutes, quæ perficiunt animam circa res creatas, sunt virtutes morales.

Quod de virtutibus, illud etiam de donis Spiritus Sancti dicendum est: quippe quæ etiam una cum gratia infundantur.

1242. — Quæritur. *An gratia producatur creatione*[2].

Resp. Si cum scholasticis, præsertim recentioribus, creationem definiamus *productionem totius entis ex nihilo*, dicendum est gratiam non creari, nec proprie concreari, sed educi ex potentia obedientiali animæ. — *Non debet dici creari:* creatio enim est rei subsistentis, gratia vero est accidens, non substantia. — *Nec proprie debet dici concreari:* formæ inhærens dicitur concreari, quando per actionem ipsius subjecti creativam producitur. Sed actio Dei, qua gratia producitur, animam, subjectum gratiæ, non creat, sed præsupponit. — *Sed educitur ex potentia obedientiali animæ:* illa forma de potentia subjecti educitur, quæ cum in fieri tum in conservari a subjecto dependet, atque producitur per actionem agentis transmutantis subjectum, ita ut subjectum fiat actu relate ad formam, ad quam antea erat in potentia. Jamvero gratia sanctificans, cum sit accidens, in suo fieri atque conservari dependet ab anima, et producitur actione Dei transmutantis

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 62, a. 2. — [2] Cf. Isamb. q. 112, Disp. 2; *Phil. a SS. Trin.*, Disp. V, dub. 4, p. 522.

animam, eamque reducentis ad actum relate ad gratiam, ad quam ipsa antea erat solum in potentia.

Nonnulli tamen, præsertim ex antiquioribus scholasticis, gratiam creatione produci dicunt. Hi enim nomine creationis intelligunt non solum alicujus rei subsistentis productionem ex nihilo, sed etiam productionem cujuscumque rei, quæ, utpote virtutem omnem creatam superans, extra sphæram agentium naturalium posita est, et in subjecto solam potentiam receptivam obedientialem prærequirit, et Dei solius actione producitur. « Gratia, *ait ipse S. Thomas,* cum non sit forma subsistens, nec esse nec fieri ei proprie per se competit: unde non proprie creatur per modum illum quo substantiæ per se subsistentes creantur. Infusio tamen gratiæ accedit ad rationem creationis in quantum gratia non habet causam in subjecto nec efficientem, nec talem materiam in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus. » *(De Pot., q. 3, a. 8, ad 3).*

ARTICULUS II.

DE FORMALIBUS GRATIÆ SANCTIFICANTIS EFFECTIBUS.

1243. — Gratia sanctificans sui unione cum anima præclaros producit effectus. Primus effectus formalis est justificatio et peccatorum remissio, de qua in capite sequenti specialis sermo instituetur. — Alii effectus ejus formales in eo positi sunt, quod homo per gratiam reddatur consors divinæ naturæ, justus et sanctus, Deo gratus et amicus, filius Dei adoptivus, et hæres vitæ æternæ.

Sint ergo sequentes propositiones.

1244. — **Prop. I.** *Per gratiam sanctificantem homo naturæ divinæ particeps efficitur.*

Fide certa, ex S. Scriptura et ecclesiasticis documentis.

« Hæc propositio, *ait Contenson,* veritatem continet, quæ totius christianismi medulla est et gloria, ac ferme infinitam declarat christiani dignitatem, qua nedum animalibus, sed et Angelis in ordine naturali constitutis, immensum antecellimus; qua filiorum Dei juribus donamur, etc. » *(L. VII, diss. V, c. 1, spec. 1).*

Prob. Propositio ex dictis *n. 1238* probata manet. Si enim gratia est naturæ divinæ consortium quoddam, per eam utique homo ejusdem naturæ particeps efficitur.

Eamdem veritatem Patres laudibus extollunt: « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, *ait S. Leo,* et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. » *(Serm. 1 de Nativ.).*

Eamdem confirmat Ecclesia, quæ in præfatione Ascensionis canit: « Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. »

1245. — Prop. II. *Per gratiam sanctificantem homo justus et sanctus efficitur.*

De fide, ex Trid., Sess. VI, cap. 3 et 7, — et ex verbis Apostoli (I Cor. VI, 11): *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.*

NB. Sanctitas significat perfectam puritatem a peccato. Per justitiam vero intelligimus non specialem illam virtutem, qua reddimus unicuique quod suum est; sed « rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et inferiores vires animæ subduntur supremæ, scilicet rationi » *S. Th., q. 113, a. 1);* quam rectitudinem homo per habitus infusos virtutum et donorum Spiritus Sancti assequitur.

Prob. Prop. **A.** — *Quoad justitiam.* I. Justitia perfectam denotat totius hominis rectitudinem, quæ ex omnium virtutum supernaturalium possessione exsurgit. Atqui in justificatione una cum gratia infunduntur virtutes theologicæ et morales, necnon et dona Spiritus Sancti. Ergo.

II. Ex verbis *Trid., Sess. VI, cap. 7:* « Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet a Deo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes. »

B. — *Quoad sanctitatem.* I. Sanctitas est perfecta puritas a peccato. Sed gratia peccatum expellit, secundum illud (II Corinth. VI, 14): *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* Ergo gratia per se sanctitatem confert.

II. Per peccatum homo constituitur Dei inimicus, ab ipso dissitus et separatus, diaboli filius, atque omne jus ad

cœlestem hæreditatem amittit. Per gratiam autem homo denuo redditur divinæ naturæ particeps; fit Dei filius et amicus, liberatur a jugo diaboli, atque jus ad hæreditatem regni cœlestis recuperat. Ergo gratia peccatum expellit, hominemque sanctum efficit.

1246. — Prop. III. *Per gratiam sanctificantem homo gratus Deo ejusque amicus constituitur.*

De fide, ex Trid., Sess. VI, cap. 7 et 10.

NB. Amicitia est amor mutuæ benevolentiæ, super aliqua communicatione fundatæ. Amicitia, ut animadvertit S. Hieronymus, *(In Mich., l. II, c. 7)*, pares aut invenit aut facit. Quamvis autem gratia, utpote naturæ divinæ consortium, hominem in ordine divino constituat, inter Deum tamen et hominem non inducit amicitiam perfectæ æqualitatis, sed amicitiam excellentiæ, quæ dignitatem tantum, seu proportionem ejusdem ordinis, nempe divini, requirit. — Esse Deo gratum est idem atque amari a Deo.

Prob. I. **Ex Script. S.** Dixit Christus discipulis suis (Joan. XV, 15): *Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos.* — (Joan. XV, 14): *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* — Et apud Apost. (Eph. I, 6) legimus: *Gratificavit nos in dilecto filio suo.*

II. **Ex Ratione.** 1. Gratia habitualis est vera justitia. Atqui vera justitia est maxime grata et amabilis illi, qui per essentiam est justus; unde dicitur: *Ego diligentes me diligo.* Ergo.

2. Deus naturam divinam et necessario amat, et sibi necessario in ea complacet. Porro gratia sanctificans est divinæ naturæ consortium atque participatio. Ergo ubicumque Deus gratiam videt, eam amat sibique in ea complacet. Gratia ergo hominem Deo gratum et amicum reddit.

1247. — Prop. IV. *Per gratiam sanctificantem homo filius Dei adoptivus, atque hæres cœlestis hæreditatis efficitur.*

De fide, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus: (I Joan. III, 1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* — (Rom. VIII, 14, 15): *Quicumque Spiritu*

Dei agantur, ii sunt filii Dei... Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. — (ibid. 17): *Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

II. **Ex Ratione.** Cum adoptio sit « gratuita et liberalis assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem, » tria ad adoptionem requiruntur, nimirum: *a)* Ut adoptatus sit extraneus, et non filius naturalis: *b)* ut inter adoptatum et adoptantem adsit similitudo naturæ: *c)* ut adoptato jus ad paternam hæreditatem gratiose conferatur.

Atqui hæc tria in justo reperiuntur, vel ei per gratiam conferuntur. Etenim: *a)* « Homo in sua natura consideratus non est extraneus a Deo quantum ad bona naturalia quæ recipit: est tamen extraneus quantum ad bona gratiæ et gloriæ. » *S. Th. (P. 3, q. 23, a. 1, ad 1).* — *b)* Justus cum Deo similitudinem habet per gratiam, quippe quæ est naturæ divinæ consortium, (II Petr. I, 4): *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* — *c)* Justus ad paternam hæreditatem jus habet (Rom. VIII, 17): *Si autem filii et hæredes.* Hæreditas autem Dei est ipsa sua beatitudo, ad quam homo ex suis naturalibus nullum jus habet « Et ideo, *ait S. Th.*, in quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare. » *(Loc. cit.)*

1248. — **Corollarium I.** « Per adoptionem efficimur fratres Christi, quasi eumdem Patrem habentes cum ipso. » *S. Th., (loc. cit. a. 2, ad 2).* — Christum igitur fratrem vere appellare possumus, atque ab eo fratris nomen audire. *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.* (Hebr., II, 11). — *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater est.* (Matth. XII, 50).

Coroll. II. Hæc nostra adoptio in filios Dei, alio et nobiliori modo fit, quam adoptio inter homines. « Hoc autem plus habet adoptio divina quam humana, *ait S. Th.*, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat; sed potius eum jam idoneum eligit adoptando. » *(Loc. cit. a. 1).* — Et re quidem vera, quando homo alium hominem in filium adoptat, adoptatus eamdem specie naturam cum adoptante jam possidet; ac proinde adoptans adoptato aliquid physicum et reale de sua substantia communicare

nequit; sed aliquid civile et morale, scilicet jus ad hæreditatem, unice confert. Talis igitur filius, est filius *nomine, sed non re*. Nos autem cum Deo eamdem specie naturam non habemus; ac proinde quando Deus per gratiam nos in filios adoptat, in nobis aliquid physice et realiter producit, consortium scilicet naturæ suæ, per quod filii Dei, non solum nomine, sed et re, constituimur: *ut filii Dei nominemur et simus* (I Joan. III, 1).

1249. — Scholium. Ex dictis in hoc Capite ea intelligi possunt nomina, quibus gratia sanctificans in S. Scripturis insignitur. Gratia videlicet vocatur: *habitualis,* quia per modum habitus animæ permanenter inhæret; *sanctificans,* quia hominem sanctum Deoque gratum efficit; *justificans,* quia ex natura sua peccatum ab anima expellit, hancque justam reddit; *adoptio, filiatio,* quatenus per eam in filios Dei adoptamur; *unio cum Deo, amicitia Dei,* quatenus ipsa nos Deo confœderat; *semen Dei,* quatenus per illam nascimur filii Dei, divinæque naturæ consortes efficimur; *pignus hæreditatis,* quia nobis jus tribuit ad æternam beatitudinem; *renovatio interior,* quia per eam homo renovatur, secundum illud Apostoli (Ephes. IV, 23): *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem,* etc.

—

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE [1].

1250. — Definitio. — Justificatio impii, de qua nunc agitur, a Tridentino definitur (Sess. VI, cap. 4): *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum.*

Cum justificatio impii sit « quidam motus quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum justitiæ, » duplex in ea invenitur terminus, scilicet terminus *a quo*, qui est status peccati, in quo homo nascitur filius iræ; et terminus *ad quem*, qui est status justitiæ, et interior hominis renovatio. « Et quia motus denominatur magis a termino *ad quem*, quam a termino *a quo*, ideo hujusmodi transmutatio, qua aliquis

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 113; S. Alph., *Cont. hær.,* sess. III.

transmutatur a statu injustitiæ ad statum justitiæ per remissionem peccati, sortitur nomen a termino *ad quem*, et vocatur *justificatio impii.*» *(S. Th., q. 113, a. 5).*

1251. — Divisio. — Justificatio accipi potest *active* vel *passive*. *Active* considerata, justificatio est actio, qua Deus creaturam intellectualem de statu peccati ad statum gratiæ transfert: de qua loquitur Apostolus dicens (Rom. VIII, 30): *Quos vocavit, hos et justificavit.* — *Passive* accepta, justificatio est ipsa justitiæ receptio, secundum illud (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Justificatio dividitur adhuc in *primam* et *secundam*. *Prima justificatio* est infusio gratiæ in subjectum quod ea caruit, sive *per simplicem carentiam*, qualis erat justificatio Angelorum, Adami et B. Virginis Mariæ, qui ex natura gratiam non habuerunt, sed una cum natura acceperunt; vel *per positivam privationem*, cujusmodi est justificatio peccatoris. Hujus meminit Apostolus dicens (I Cor. VI, 11): *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu-Christi.* — *Justificatio secunda* est infusæ justitiæ augmentatio, secundum illud (Apocal. XXII, 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc.*

1252. — Errores. — Protestantes errant tum circa justificationis naturam, tum circa dispositiones ad eam consequendam requisitas, tum denique circa ipsius proprietates.

Circa justificationis naturam docent: hominem per solam externam meritorum Christi imputationem justificari, qua peccata veluti pallio tegantur, et ad pœnam non imputentur; ipsa vero peccata reipsa ab anima non expelli; neque ullam etiam gratiam aut justitiam interius in animam, qua formaliter Deo grata existat, infundi.

Quoad dispositiones ad justificationem requisitas docent: nullam, præter solam fidem, qua homo justitiam Christi sibi appropriet, requiri dispositionem. Per fidem autem intelligunt, non assensum intellectus veritatibus revelatis, sed firmam fiduciam peccata nostra ex meritis Christi nobis esse remissa.

Demum circa proprietates justificationis docent: justitiam in omnibus esse æqualem, ipsam nec bonis operibus augeri, nec peccatis amitti posse, vel saltem non nisi peccato infidelitatis amitti posse; denique hominem posse certitudine fidei scire se esse justificatum.

Circa justificationem tria sunt igitur inquirenda: I. ipsa natura justificationis; II. dispositiones ad justificationem requisitæ; III. justificationis proprietates.

ARTICULUS I.

DE JUSTIFICATIONIS NATURA.

1253. — Cum, teste Tridentino, justificatio impii sit translatio a statu peccati in statum justitiæ, duo in ea essentialiter includuntur, scilicet, vera peccatorum remissio, et vera justitiæ infusio.

Prop. I. *In justificatione impii peccata vere remittuntur, et prorsus delentur* [1].

De fide, ex Trid., Sess. V, can. 5: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, A. S. » — et Sess. VI, cap. 7, ubi legimus quod *vere justi nominamur et sumus.*

Quod autem dicitur de peccato originali, de aliis etiam peccatis affirmandum est.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. I, 29): *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* — (Act. III, 19): *Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* — (Joan. XX, 23): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quod autem tollitur, deletur, remittitur, illud non remanet, nec tantum tegitur. Ergo in justificatione peccata vere remittuntur.

Præterea, anima per gratiam dicitur mundata, abluta, dealbata, sanctificata, liberata a peccato. (Ps. L, 9): *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem deal-*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Conf. XI, a. 4.

habor. — (I Cor. VI, 11): *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* — (Rom. VI, 22): *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, etc.* Jamvero hæc omnia, in justificatione peccata vere tolli, manifeste indicant.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.*: « Dicimus baptismum omnium dare indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere. » *(Lib. I, cont. duas Ep. Pelag., c. 13).* — Et *S. Greg.*: « Qui dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. » *(Lib. IX, Epist. 39).*

III. **Ex Ratione.** 1. Si in justificatione peccata non vere tollerentur, Deus justificatos simul amaret et odio haberet. Ipsos amaret quidem, sicut constat ex dictis *n. 1246*; eos odio haberet, secundum illud (Sap. XIV, 9): *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Atqui prorsus fieri nequit ut Deus aliquem secundum idem simul amet et odio habeat. Ergo vel peccata vere tolluntur, vel nulla datur justificatio.

Neque dici potest justificatos, etsi peccata in eis non vere deleantur, a Deo tamen propter justitiam Christi, qua vestiuntur, vere diligi: siquidem, non obstante hac extrinseca imputatione justitiæ Christi, peccatum et semper a Deo cernitur, nam, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (Hebr. IV, 13), et ab eo necessario detestatur.

2. *In renatis nihil odit Deus*, ait Trid., Sess. V, can. 5. Porro, Deus semper et ubique odit peccatum. Ergo in renatis peccatum non amplius existit.

3. Si in justificatione peccata non vere et realiter delerentur, dicendum foret: vel nullum justificatum in cœlum ingressurum esse, quod aperte falsum est; vel aliquid coinquinatum in sanctam civitatem Jerusalem intrare posset, quod etiam est contra fidem, teste Apocal. XXI, 27: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Ergo in justificatione peccata vere delentur.

1254. — Prop. II. *Impii non justificantur formaliter vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione pecca-*

torum, sed per gratiam et caritatem, quæ ipsis formaliter inhærent [1].

De fide, ex Trid., Sess. IV, can. 10 et 11.

Hæc prop. ex iis, quæ supra *(n. 1231)*, de natura gratiæ sanctificantis dicta sunt, jam ex parte probata manet. Præterea:

Prob. I. **Ex Tridentino.** Legimus, Sess. VI, cap. 7: « Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum... Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult... Per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et caritatem; etc. »

II. **Ex Script. S.** Legimus (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius.* — (Ephes. IV, 23): *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Sed interior mentis renovatio per extrinsecam justitiæ Christi imputationem fieri nequit. Ergo justificatio, qua homo interius renovatur, non fit formaliter nisi per donum inhærens in anima.

III. **Ex Traditione.** Scribit *S. August.:* « Quid est aliud justitia, cum in nobis sit, quam interioris hominis pulchritudo? » *(Ep. 85 ad Consent.).* — Et *S. Cyrill. Alex.:* « Formatur in nobis Christus, Spiritu Sancto nobis quamdam formam per sanctificationem et justitiam imprimente. Sic enim in animis nostris elucet character substantiæ Dei ac Patris, reformans Spiritu Sancto nos per sanctificationem in ipsum. » *(Lib. IV in Is., Or. 2).*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.,* Conf. XI, a. 4; et *Cont. hær.,* sess. VI, (T. VI, p, 142); Gibbon, Disp. 37, dub. 1.

IV. **Ex Ratione.** 1. Per justificationem constituimur filii Dei, regeneramur et renascimur, secundum illud (Tit. III, 5): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Atqui filiatio, sicut et generatio, communicationem formæ intrinsecæ, qua natura Patris communicetur filio, expostulat. Ergo justificatio communicationem alicujus formæ nobis intrinsece inhærentis expostulat, qua formaliter filii Dei constituamur, et in filios Dei regeneremur; et ideo justificati dicuntur *renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili* (I Petr. I, 23). Hæc autem forma intrinseca homini in justificatione communicata, est gratia sanctificans.

2. Justitia, per quam homo formaliter justificatur, suscipit magis et minus, secundum illud (Apoc. XXII, 11): *Qui justus est, justificetur adhuc;* et (II Petr. III, 18): *Crescite in gratia.* Sed, neque justitia Dei, neque justitia Christi crescere possunt. Ergo justitia, qua homo formaliter justificatur, a justitia Dei et Christi distincta sit, oportet.

1255. — Scholium. Ex dictis deduces, unicam causam formalem justificationis hominis esse gratiam sanctificantem, quæ unicuique intrinsece inhæret, interioremque hominem renovat, et in filium Dei regenerat. — Alias causas nostræ justificationis enumerat Tridentinum, Sess. VI, cap. 7: « Hujus justificationis causæ sunt, *finalis* quidem, gloria Dei et Christi ac vita æterna; *efficiens* vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat:... *meritoria* autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus,... *instrumentalis* item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio. » Ad causam instrumentalem etiam referri potest sacramentum Pœnitentiæ, ut notat Trid., eadem Sess., cap. 14.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM REQUISITIS.

1256. — Nonnullas ad justificationis gratiam acquirendam in adultis requiri dispositiones, est *de fide* ex Trid., Sess. VI, can. 4, et cap. 5 et 6. Etenim, ut ait *S. August.:*

« Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. » *(Sermo 15 de verbis Apost.).*

Quæ quidem præparatio ad justificationem est rectæ rationi omnino consentanea; justificatio quippe Deum inter et hominem veram inducit amicitiam; porro, amicitia inter eos, qui ratione utuntur, libero consensu contrahitur; congruum est igitur ut et homo ad hanc amicitiam cum Deo ineundam adlaboret. — Præterea, homo libera voluntate a Deo per peccatum recessit; decet igitur ut libera etiam voluntate ad Deum redeat.

Dispositio vel præparatio ad justificationem duplex distinguitur, *ut ait S. Th. (q. 112, a. 2 ad 1)*, una *proxima et immediata*, et est ea, quam statim sequitur gratiæ infusio: talis est actus contritionis perfectæ; — altera *remota et mediata*, de qua loquitur Trid., Sess. VI, cap. 6; et est ea, quæ cum gratiæ infusione non immediate conjungitur; sed est vel via ad proximam dispositionem, vel saltem sufficiens dispositio, ut, accedente Sacramenti susceptione, gratia conferatur: v. gr., attritio.

Quas omnes hominis dispositiones esse supernaturales, et a præveniente Spiritus Sancti gratia oriri debere, *de fide* est, ex Trid., Sess. VI, can. 3, et cap. 5 et 6; — et constat etiam ratione: acquisitio enim gratiæ est ordinis supernaturalis, ad quam vires naturales nullatenus sufficiunt.

Demum quasdam dispositiones cum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis prærequiri, ex eo manifestum est, quod homo est agens per intellectum et voluntatem. Duplex igitur hæc facultas, ut cum divino adjutorio ad gratiæ receptionem sese præparet, omnino necesse est.

Protestantes, ut jam dictum est *(n. 1119)*, præter fidem, fiduciam scilicet peccata ex meritis Christi sibi esse remissa, nullam aliam præparationem expostulant.

Sint igitur sequentes propositiones.

1257. — Prop. I. *Ad justificationem requiritur actus fidei*[1]

De fide, ex Trid., Sess. VI, cap. 7, ubi legimus: « Sine qua (fide) nulli unquam contigit justificatio. » Et cap. 8: « Per

[1] Cf. Gibbon, Disp. 39, dub. 1, p. 510; Gotti, *De justif.*, q. II, dub. 2,

fidem ideo justificari homines, quia fides est salutis humanæ initium, fundamentum, et radix omnis justificationis. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Marc. XVI, 16): « *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* » Et (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo.*

II. **Ex Ratione.** Ad justificationem requiruntur motus liberi arbitrii[1], ut infra dicetur *(n. 1259)*. Porro, liberum arbitrium, cum de se sit facultas cæca, luce et directione intellectus objectum proponentis indiget. Deus autem, quatenus finis supernaturalis, absque fide cognosci nequit. Ergo, ad actus liberi arbitrii necessario prærequiritur actus fidei; quod signanter expressit Apostolus (Hebr. XI, 6): *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

1258. — **Prop. II.** *Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia peccata sibi esse remissa, sed est fides catholica*[2].

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 12: « Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, A. S. » — Cf. etiam can. 13 et 14; et cap. 6, ubi legitur: « Disponuntur (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt. »

Prob. **Ex Script. S.** Fides ad justificationem necessaria est ea, quam jubente Domino, Apostoli prædicaverunt. (Marc. XVI, 15, 16): *Prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Jamvero hæc fides non est fiducia protestantium, sed est firmus assensus veritatibus revelatis, teste Apostolo (Rom. X, 8, 9): *Hoc est verbum fidei, quod prædi-*

[1] Cf. S. Th., q. 113, a. 4. — [2] Cf. Isamb., q. 113, Disp. IV, a. ult.; Conc. Vatic. *Const. Dei Filius*, c. 3; Gotti, q. II, dub. 2.

camus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Quocirca, enumeratis in suo symbolo nostræ fidei mysteriis, addit *S. Athanasius (Symb.).* « Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. »

1259. — Prop. III. *Præter fidem aliæ requiruntur ex parte hominis dispositiones, ut ad justificationem perveniat*[1].

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 9: « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, A. S. »

Et in cap. 6, ejusdem Sessionis, plures enumerantur actus, qui ad justificationem impii concurrunt, scilicet: timor, spes, dilectio, pœnitentia, propositum suscipiendi baptismum, propositum inchoandi novam vitam et servandi divina mandata.

I. **Timor.** Actum timoris necessarium esse ad justificationem, testatur Scriptura (Eccli. I, 27, 28): *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* — Et (Prov. XIV, 27): *Timor Domini fons vitæ.* — Consonat *S. August.:* « Rarissime quippe accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo modo Dei timore perculsus. *(De catechis. rud., c. 5).*

Notandum est tamen, actum timoris non esse ad justificationem absolute necessarium, cum contingere possit, secundum communem theologorum sententiam, aliquem amore divino ita fortiter tangi, ut absque timore pœnarum ad Deum perfecte convertatur, sicuti in conversione S. Pauli et B. Magdalenæ contigisse creditur. Quare Tridentinum timorem *utilem,* non necessarium, dicit. — In iis vero adultis, qui secundum ordinarium providentiæ cursum justificantur, timor pœnarum justificationem præcedere solet; et ratio est quia homo, propter innatam inclinationem ad proprium bonum, a malo ex timore pœnarum perfectius, quam ex virtutis amore, removetur.

II. **Spes.** De spe legimus (Ps. XXXVI, 40): *Salvabit eos qui speraverunt in eo.* — (I Joan. III, 3): *Omnis qui ha-*

[1] Cf. Gotti, q. II, dub. 4: Gibbon, Disp. 39, dub. 2.

bet hanc spem in eo, sanctificat se. — Consonat traditio: « Domus Dei, *ait S. August.*, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » *(Sermo de verbis Apost.).* — Et *S. Ambros.*: « Nemo potest agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » *(De Pœnit., l. II, c. 1).*

Cujus ratio hæc est: cum finis agentem moveat, si homo spem veniæ obtinendæ non haberet, ad eam obtinendam nullatenus adlaboraret.

III. **Caritas.** Caritatis actum esse ad justificationem necessarium, docet Trid., Sess. VI, cap. 7: « Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » Et constat ex Scripturis. Legimus (I Joan. III, 14): *Qui non diligit, manet in morte.* — (Luc. VII, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Si homo per sacramenti susceptionem justificatur, satis ei est ut amorem initialem habeat, teste Tridentino, Sess. VI, cap. 6: si vero extra Sacramentum gratiam justificationis adipiscitur, omnino necesse est ut actum perfectæ caritatis eliciat. *(De quibus cf. tractatum de Pœnitentia).*

IV. **Pœnitentia,** quæ est motus « adversus peccatum per odium aliquod et detestationem » ut ait Trid., Sess. VI, cap. 6. — De qua legimus (Luc. XIII, 5): *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

V. **Votum suscipiendi baptismum,** si justificandus est infidelis; vel *suscipiendi sacramentum pœnitentiæ,* si justificandus est homo jam baptizatus.

VI. **Propositum** *inchoandi novam vitam,* et *propositum servandi mandata;* de quibus sermo erit in tractatu de pœnitentia.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

Tres sunt justificationis proprietates, quas Tridentinum contra errores protestantium definivit, nimirum: *Incertitudo, inæqualitas,* et *amissibilitas.*

1260. — **Prop. I.** *Nullus absque speciali revelatione scire potest certitudine fidei, vel certitudine scientiæ, se esse in gratia; sed notitia tantum conjecturali id scire valet*[1].

Pars I, quæ procedit *de certitudine fidei*, est *de fide*, ex Trid., Sess. VI, can. 13, 14, 15; et cap. 9, in quo legimus: « Quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. »

Prob. 1. **Ex Script. S.** Legimus (Prov. XX, 9): *Quis potest dicere: Mundum est cor meum: purus sum a peccato?* — (Eccles. IX, 1): *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Basilius:* « Itaque ne te ipse præ alio justificaveris, nequando Dei sententia, etsi tua justificatus, condemnere. » *(Sermo de humil. n. 4).* — Et *S. August.:* « Quantalibet enim justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. » *(De perf. just., c. 15, n. 33).*

III. **Ex Ratione.** Ea sola sunt fide divina credenda, quæ a Deo revelata sunt, et sive in Scripturis, sive per traditionem, sive per Concilia, sive per infallibilem SS. Pontificis auctoritatem, nobis credenda proposita sunt tanquam divinitus revelata. Atqui nullo horum modo aliquis scire potest se esse in gratia. Ergo absque speciali revelatione nullus scire potest certitudine fidei se esse in gratia.

Pars II, quæ procedit *de certitudine scientiæ*, est *certa* et communis.

Prob. I. **Ex Trident., et Script. S.** Legimus in Tridentino *(loc. cit.)*, quod quilibet « de sua gratia formidare et timere potest. » Certitudo autem scientiæ formidinem et timorem de opposito excludit. — Idem eruitur ex Scriptura, ex textibus videlicet proxime jam citatis.

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. VI, c. 9; *Hist. hær.*, Conf. XI, a. 5; Philipp. a S. Trinit., Disp. V, dub. 6; Isamb., q. 113, Disp. 12.

II. **Ex Ratione.** Certitudo scientifica de aliqua re vel a priori vel a posteriori acquiritur: nimirum vel per causam illius rei; vel per effectus, qui cum causa necessariam connexionem habent. Atqui, præsentia gratiæ in anima nec per causam nec per effectus certitudinaliter innotescere potest:

a) Non per causam: « Principium gratiæ et objectum ejus, *ait S. Th.*, est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud (Job. XXXVI, 26): *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Et ideo ejus præsentia in nobis et absentia per certitudinem cognosci non potest, secundum illud (Job. IX, 11): *Si venerit ad me, non videbo eum: si autem abierit, non intelligam.* » *(1. 2, q. 112, a. 5).*

b) Non per effectus: quia in nobis nullum experimur effectum, qui cum gratia necessariam connexionem habeat, vel qui ab altera causa provenire non possit.

Pars III, quæ procedit *de notitia conjecturali*, seu de quadam *certitudine morali*, quæ omnem formidinem non excludit, est *communis* doctorum sententia.

Prob. **Ex Script. S.** Ait *S. Paulus* (Rom. VIII, 16): *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. (Cf. S. Th., q. 112, a. 5).*

Quæ conjecturalis cognitio, seu moralis certitudo, quamvis non omnem formidinem tollat, secundum illud (I Cor. IV, 4): *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, sufficiens tamen est ad nimiam anxietatem auferendam, et ad conferendum homini unde possit gloriari in spe filiorum Dei (Rom. V, 2), et legitima pace perfrui, secundum illud (I Joan. III, 21): *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

1261. — Prop. II. *Accepta justitia coram Deo per bona opera augetur, et in omnibus justis æqualis non est.*

De fide, ex Trid. Sess. VI, can. 24: « Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera.... A. S. » — Cf. etiam cap. 10.

Prob. I. Pars: *Augetur per bona opera.*

I. **Ex Script. S.,** quæ de augmento justitiæ sæpius loquuntur. Legimus (Apoc. XXII, 11): *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc.* — (II Cor. IX, 10): *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* — (Prov. IV, 18): *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

II. **Ex Traditione et Liturgia.** « Justificati sumus, *inquit S. August.*, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit. » *(Serm. 158, n. 5).* « Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.* » *(Trid. Sess. VI. cap. 10).*

Prob. II. Pars: *justitia est inæqualis.*

I. Justitiam in diversis hominibus esse inæqualem, ex dictis manifeste sequitur: etenim, justitia ex operibus augetur; sed diversorum hominum inæqualia sunt opera bona. Ergo et justitia erit inæqualis.

II. Sed jam in ipsa justificatione gratia plerumque inæqualiter adultis infunditur. Cujus inæqualitatis duplex a Tridentino, *(Sess. VI, cap. 7),* assignatur ratio: Ratio *proxima* est gradus perfectionis in præparatione, quacum aliquis ad justificationis gratiam recipiendam accedit. Cum enim gratia cuilibet juxta propriam dispositionem infundatur, ideireo qui se perfectius ad justificationem disponit, majorem etiam gratiam accipit, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum justificetur. — Ratio vero *primaria* est ipsa voluntas Dei, qui gratias, quibus homines ad justificationem se præparent, inæquali mensura, juxta sapientiæ suæ decreta, distribuit.

« Præparatio ad gratiam, *ait S. Th.*, non est hominis nisi in quantum liberum arbitrium ejus præparatur a Deo. Unde prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. » *(Q. 112, a. 4).*

1262. — Prop. III. *Accepta justitia amitti potest, et per quodlibet peccatum mortale revera amittitur.*

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 23 et 27. — Legimus can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere,... A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Ezech. XXXIII, 12); *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit.* — (Ibid. XVIII, 26): *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.*

II. **Ex Ratione.** « Unum contrarium, *ait S. Th.*, per aliud contrarium superveniens tollitur. Quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur caritati. » *(2. 2, q. 24, a. 12).* Ergo, concludit S. Doctor, per quodlibet peccatum mortale caritas amittitur. Sed sicut Deus diligentes se diligit, et diligendo gratiam habitualem infundit, ita eos, qui eum cessant diligere, et ipse diligere cessat: et consequenter effectus hujus divinæ dilectionis, scilicet gratia, destruitur in anima. Igitur quolibet peccato mortali justitia amittitur.

1263. — Quæritur. *Utrum gratia semel accepta possit imminui* [1].

Resp. *Negative.* Cum peccatum mortale gratiam totaliter auferat, si gratia minui posset, hæc diminutio vel per simplicem cessationem ab actibus, vel per peccatum veniale proveniret. Sed:

a) Nec simplex cessatio ab actibus gratiam minuere potest: soli enim habitus, qui actibus acquiruntur, per cessationem ab actibus minui et paulatim totaliter extingui possunt. Porro, gratia et caritas ab actibus non causantur, sed a solo Deo infunduntur. Quamobrem, actibus etiam cessantibus, habitus cum gratiæ tum caritatis nec diminuitur, nec corrumpitur.

b) Neque peccatum veniale gratiam minuere potest. — Et quidem *non effective:* peccatum veniale, cum sit deordinatio circa media ad finem, non autem circa ipsum finem, contrariatur fervori caritatis, non autem habitui caritatis; ac proinde habitum caritatis nec tollere nec minuere potest effective. — *Non meritorie:* qui enim in minori delinquit, non meretur detrimentum pati in majori. Si igitur Deus in peccati venialis punitionem habitum gratiæ vel caritatis minueret, hominem supra condignum puniret.

Dici tamen potest, gratiam imminui *improprie loquendo*, quatenus scilicet tum peccata venialia, tum cessatio ab actibus, sint via ad ipsius corruptionem; disponunt enim ad mortale, quo gratia expellitur ab anima.

[1] Cf. S. Th., 2. 2, q. 24, a. 10; et *De Malo*, q. 7, a. 2.

PARS III.

DE MERITO.

Ut doctrina de gratia omni sub respectu absolvatur, post considerationem gratiæ actualis et habitualis, restat ut effectus utriusque gratiæ proprius, meritum scilicet, consideretur: de quo tria sunt investiganda, videlicet: I. Notio meriti; II. Ejus existentia atque bonorum operum necessitas; III. Ipsius objectum.

CAPUT I.

DE NOTIONE MERITI.

1264. — Definitio. — « Meritum, *inquit S. Thomas*, proprie dicitur actio qua efficitur, ut ei qui agit, sit justum aliquid dari. » *(4 Sent., D. 15, q. 1, a. 3, ad 1).* — Hoc nomen *meritum* de se indifferens est ad actionem moraliter bonam vel malam; utraque enim efficitur ut sit justum operanti aliquid retribui. Usu tamen theologorum receptum est ut meritum, absolute et sine additione sumptum, in bonam partem intelligatur, et significet *opus bonum mercede dignum.*

Meritum aliud est *naturale*, quod a solius naturæ viribus procedit; aliud *supernaturale*, quod a gratia ortum habet. De solo merito supernaturali agimus: hoc, *concrete* sumptum, definitur: *Opus bonum in obsequium Dei factum, ex se potens Deum movere ad doni supernaturalis retributionem.* — Si vero in *abstracto* sumitur, meritum est *valor* seu *qualitas quædam moralis* operi inhærens, vi cujus opus Deum ad donum supernaturale retribuendum movet.

1265. — Divisio. — Duplex distingui solet meritum, *de condigno* scilicet, et *de congruo* [1].

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. XI, n. 14; *Cont. hær.*, sess. VI, n. 36; S. Th., 2 *Sent.*, D. 27, q. 1, a. 3.

I. *Meritum de condigno* est illud, quod talem habet valorem et æqualitatem cum præmio, ut hoc ei ex justitia debeatur. Hujusmodi meritum est duplex: *a)* Si inter opus et mercedem perfecta et absoluta adest æqualitas, meritum de condigno est ex rigorosa justitia. Istud est solius Christi meritum, cujus opera, propter infinitam personæ dignitatem, infinitam et absolutam æqualitatem cum præmio habent. Illud Christi meritum vocatur etiam *essentiale, imparticipatum;* nostrum vero vocatur *participatum*, quia opera nostra ex meritis Christi virtutem merendi participant.

b) Si inter opus et mercedem non adest perfecta et absoluta æqualitas, sed tantum æqualitas proportionis, cujusmodi est inter semen et fructum, qui ex semine nascitur, meritum est quidem de condigno, et merces ei ex justitia, saltem supposita promissione præmiantis, debetur; non est tamen meritum ex rigore justitiæ. Hujusmodi est meritum justorum, quia « non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam æqualitatem, sed secundum proportionem quamdam. » *S. Th. (Q. 114, a. 1).*

Justorum meritum de condigno perfectam meriti rationem habet, atque justitia innititur; ita ut absque injustitia merces merentibus denegari non posset.

II. *Meritum de congruo*, quod improprie tantum meritum vocatur, est illud, cui, vel ex defectu æqualitatis cum præmio, vel saltem ex defectu promissionis, jus ad mercedem deest. Merces proinde absque læsione justitiæ homini de congruo merenti denegari posset; illi tamen præmium aliquod ex decentia quadam atque congruitate debetur. — Meritum istud non justitia, sed decentia atque liberalitate præmiantis innititur.

Duplicis hujus meriti exemplum cernere est in milite, qui contra hostes præclarissime dimicavit. De condigno solum stipendium, quod ei absque injustitia denegari non posset, meretur; de congruo vero meretur aliquam honoris distinctionem: decet quippe principis liberalitatem, ut fortiter pugnantes aliquo honore insigniat; quod tamen præmium, illæsa justitia, omittere potest.

Meritum de congruo aliud est *de congruo infallibili*, aliud *de congruo fallibili*. Meritum *de congruo infallibili*, est illud,

quod vi divinæ promissionis infallibilem habet retributionem, quale, v. gr., est meritum actus contritionis perfectæ, qua peccator justificationem meretur. — Meritum *de congruo fallibili* est illud, cui nulla facta est divina promissio, et quod proinde infallibilem retributionem non habet; quale, v. gr., est meritum in dispositionibus remotis ad justificationem.

1266. — NB. Meritum, cum de condigno tum de congruo, ab oratione differt, in quantum hæc est impetratio. Meritum enim est opus factum in Dei obsequium, et innititur vel justitia, vel saltem decentia quadam, atque Dei liberalitate; dum contra, oratio, quatenus impetratoria, non denotat obsequium factum in Dei obsequium, sed simplicem petitionem alicujus boni, et sola Dei misericordia innititur. Attamen, cum quælibet oratio sit actus religionis Deum honorificans, ipsa semper etiam vim merendi possidet. « Oratio, *ait S. Th.*, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, et virtutem impetrandi. » *(2. 2, q. 83, a. 15).*

Si igitur oratio consideratur quatenus est opus bonum, de ea relate ad mercedem non secus ac de quolibet alio opere meritorio disserendum est; si vero consideratur quatenus est petitio, specialem virtutem impetratoriam sibi propriam habet, quæ longius quam meritum se protendit. « Opera nostra, *ait S. Thomas*, non sunt sufficientia a seipsis ad obtinendum omne illud quo indigemus; et ideo oportet quod illud quod nobis deest, ex divina misericordia suppleatur; et hanc oratio pulsat; et ideo orationis meritum exigitur ad supplendum defectus omnium aliorum meritorum. » *(4. Sent., D. 15, q. 4, a. 7, q. 1, ad 3).*

Impetratio, quæ fit oratione, juxta modum loquendi Patrum et scholasticorum, *meritum de congruo*, sed sensu quodam lato, etiam denominatur; dum contra, meritum de congruo alicujus operis in Dei obsequium facti, meritum de congruo stricte sumptum nuncupatur.

1267. — Conditiones Meriti[1]. — **A.** Ad meritum de condigno quædam requiruntur conditiones, cum ex parte subjecti merentis, tum ex parte operis meritorii; tum ex parte Dei præmiantis.

I. Ex parte subjecti duo requiruntur:

a) Ut subjectum sit in statu viæ. « Mereri et demereri, *ait S. Thomas*, pertinet ad statum viæ. » *(2. 2, q. 13, a. 4, ad 2).*

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. VI, c. XVI, § 1. (T. 6, p. 178).

Cujus ratio est sola voluntas Dei, qui præsentem tantum vitam ad mercedem ordinavit, sicuti ex Scripturis manifeste colligitur. Legimus (Eccli. XIV, 17): *Ante obitum tuum operare justitiam.* — (Eccle. IX, 10): *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio.... erunt apud inferos quo tu properas.* — (Joan. IX, 4): *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.* — Et Apostolus (Gal. VI, 10) ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

b) Ut subjectum sit in statu gratiæ. — Constat ex verbis Christi (Joan. XV, 4): *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.*

Cujus rei duplex a S. Thoma assignatur ratio: Prior ea est, scilicet: inter objectum meriti et opus meritorium quædam æqualitas intercedat necesse est. Porro inter gloriam, quæ est objectum meriti de condigno, et opus, quod a solius naturæ principiis ortum habet, nulla æqualitas intercedere potest, cum nullum opus proportionem sui principii activi excedere valeat. Ut ergo prædicta æqualitas adesse possit, omnino requiritur ut principium naturale supra seipsum elevetur, et reddatur consors naturæ divinæ: quæ per solam gratiam sanctificantem ei præstantur. Posterior ratio ex impedimento peccati mortalis desumitur, in quo peccato existit quisquis gratia careat. « Cum enim peccatum, *ait S. Th.*, sit quædam Dei offensa excludens a vita æterna, nullus in statu peccati existens potest vitam æternam mereri, nisi prius Deo reconcilietur dimisso peccato, quod fit per gratiam. » *(1. 2. q. 114, a. 2).*

1268. — II. Ex parte operis meritorii tria requiruntur:

a) Actus meritorius debet esse liber, tum libertate a coactione, tum libertate a necessitate; quod est *de fide*, ex tertia propositione Jansenii condemnata tanquam hæretica. « Ubi non est libertas, *ait S. Hieronymus*, ibi nec damnatio, nec corona est. » *(L. 2. cont. Jovinianum).* Quæ conditio ex Scriptura colligitur. Legimus enim (Eccli. XXXI, 10): *Qui po-*

tuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.

Eadem conditio ratione evincitur.— « Cum mereri, *ait S. Th.*, respectu mercedis dicatur, proprie mereri est aliquid sibi magis acquirere pro mercede: quod quidem non fit nisi cum aliquid damus quod est condignum ei quod mereri dicimur: dare autem non possumus nisi id quod nostrum est, cujus domini sumus. Sumus autem domini nostrorum actuum per voluntatem;... unde ad hoc quod aliquis actus sit per se meritorius, oportet quod sit actus voluntatis vel imperantis vel elicientis. » *(De Verit., q. 26, a. 6).*

Ad meritum autem non requiritur libertas contrarietatis: sed sufficit libertas contradictionis seu quoad exercitium, sicut ex merito Christi Domini manifestum est.

b) Actus debet esse moraliter bonus, saltem in individuo, tum ratione objecti, tum ratione finis atque circumstantiarum. In Scripturis enim merces nonnisi bene operantibus promittitur; male vero agentibus Deus pœnam comminatur.

Quæ operis bonitas non tantum naturalis, sed supernaturalis sit, oportet; cum de ordinatione operis ad finem omnino supernaturalem agatur. Necesse est igitur ut actus, non solum ab homine justo, sed etiam ex supernaturali fidei motivo, atque ex prævia gratiæ actualis motione, ponatur.

c) Actus debet fieri in obsequium Dei. — Opus meritorium ordinatur ad retributionem. Jamvero, ut aliquis ab alio retributionem jure exigere valeat, necesse est ut in hujus obsequium opus ponatur. Proinde, ut homo apud Deum per sua opera jus ad boni supernaturalis retributionem habeat, necesse est ut ejus opera in Dei obsequium, id est ad Dei gloriam, referantur.

1269. — III. Ex parte Dei remunerantis *requiritur promissio*[1].

Cum gratia ex intrinseca sua natura ad vitam æternam ordinetur, omne opus in statu gratiæ et ex gratia factum, jam ex se, in actu primo remoto, antecedenter ad omnem

[1] Cf. S. Th., q. 114, a. 1; S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. XI, n. 14.

extrinsecam Dei ordinationem, valorem condignum ad vitam æternam habet: sicut, v. gr., labor alicujus, qui per diem in vinea alterius laboravit, in se valorem ad præmium habet.

Hæc vero intrinseca actionis ordinatio se sola non sufficit ad inducendam completam et proximam rationem meriti de condigno: sed insuper extrinseca Dei ordinatio per pactum vel promissionem requiritur, qua ordinatione Deus ad mercedem bene operantibus reddendam sese obligat. Meritum quippe quamdam justitiæ obligationem inducit, hominique jus ad mercedem confert, secundum illud (Rom. IV, 4): *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Porro, Deus erga nullam creaturam, quantumvis perfectam, ex justitia obligari potest, nisi ipse pacto vel promissione sese prius ad hoc obligaverit; sicut, v. gr., nec Dominus vineæ tenetur ex justitia reddere pretium operario, nisi prius conventio intervenerit. Ergo, ut adsit meritum de condigno, requiritur ex parte Dei promissio vel pactum, quo fit ut Deus non « efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantum debitum est ut sua ordinatio impleatur. » *(S. Th., q. 114, a. 1, ad 3).*

Eadem hæc conditio ex Scripturis colligitur. In Scripturis enim merces vitæ æternæ illis, quibus eam Deus repromisit, dicitur retribuenda: teste Jacobo, I, 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* « Debitorem Dominus ipse se fecit, *ait S. August.*, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur: *Redde quod accepisti*, sed: *Redde quod promisisti.* » *(In Ps. LXXXIII, n. 16).*

1270. — **B.** Conditiones meriti de congruo[1]. Plures ad meritum de congruo requiruntur conditiones.

a) Ex parte subjecti una requiritur conditio, scilicet, necesse est ut qui meretur, sit in statu viæ. Status autem gratiæ in eo non expostulatur.

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. VI, n. 90.

b) Ex parte actus, seu operis meritorii, eædem requiruntur conditiones ac pro merito de condigno, nimirum, necesse est ut actus sit liber, undequaque bonus, et supernaturalis.

c) Ex parte Dei remunerantis, requiritur repromissio, si agitur de merito de congruo infallibili; si vero agitur de merito de congruo fallibili, nulla ex parte ipsius expostulatur conditio.

1271. — Quæritur. *Utrum ad meritum de condigno requiratur ut opus in Deum per imperium caritatis referatur*[1].

NB. Triplex datur actionum ordinatio in Deum sub imperio seu influxu caritatis. Una est *habitualis*, quæ et *concomitans* vocari potest; in eo sita est, quod aliquis, existens in caritate, ex motivo supernaturali operetur, quin caritas actu vel virtute in actionem influat. — Altera est *actualis:* in eo posita est, quod aliquis, dum operatur, hic et nunc de Deo cogitat, actumque suum hic et nunc in Deum, ut in auctorem gratiæ, refert. — Tertia est *virtualis:* in eo consistit quod aliquis, dum operatur, hic et nunc de Deo non cogitat, cujus tamen opus in Deum ordinatur virtute præcedentis actus caritatis, quo omnia sua in Deum ordinavit, et qui actus virtute adhuc perseverat.

Quibus notatis respondetur, plures hac in re adesse sententias.

Prima sententia docet, actuale caritatis imperium ad meritum de condigno semper requiri. *(Ita Durandus, et alii, quos refert Tanner, p. 1386, n. 73).* Quæ sententia est omnino rejicienda, cum certum sit, imperium actuale caritatis in omni opere, ad hoc ut sit meritorium, non requiri: ad impossibile enim nemo tenetur; sed hominem in omni opere semper actualiter de Deo cogitare, nisi adsit speciale Dei privilegium, prorsus est impossibile.

Secunda sententia, probabilis, docet, ad meritum de condigno satis esse ut adsit habitualis influxus caritatis; ac

[1] Cf. S. Th., q. 114, a. 4; 2. *Sent.*, D. 40, q. 1, a. 5, ad 6 et 7; 2. *Sent.*, D. 38, q. 1, a. 1, ad 4; Gotti, q. II, dub. 4; Tanner, *De Grat.*, q. VI, dub. 4, p. 1384.

proinde docet, omnes actus omnium virtutum infusarum mereri de condigno essentiale beatitudinis præmium, etiamsi per caritatem nec actualiter nec virtualiter in Deum referantur. — *Ita Suarez, Valentia, Gibbon, Isambert, cum aliis.*

Tertia sententia, probabilior, docet nullum actum cujuscumque virtutis esse de condigno meritorium præmii essentialis beatitudinis, nisi per caritatem virtuali saltem relatione in Deum referatur. *Ita S. Thomas*[1], *S. Bonaventura*[2], *S. Alphonsus*[3].

Huic sententiæ maxime favet Scriptura, quæ vitam æternam bonis operibus promittit, dummodo propter Christum aut propter Deum facta sint. Legimus (Luc. IX, 48): *Quicumque susceperit puerum istum* IN NOMINE MEO, *me recipit.* — (Matth. XIX, 29): *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres,...* PROPTER NOMEN MEUM..., *vitam æternam possidebit.* — (Marc. IX, 40): *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ* IN NOMINE MEO, *quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Idem suadet ratio: Ad meritum requiritur, ut opus sit in obsequium Dei factum. Atqui, opus in Dei obsequium fieri nequit, nisi **per caritatem in Deum referatur.**

Præterea, nulla virtus objectum alterius virtutis attingere potest, nisi ex illius imperio. Porro, sola caritas Deum, quatenus ultimum finem, pro objecto habet. Ergo nulla virtus, nisi mota sit a caritate, Deum ut objectum beatitudinis attingere potest. *Apposite S. Th.:* « Vita æterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a caritate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur. » *(Q. 114, a. 4).*

« Denique, ut hanc sententiam amplectar, *ait Tanner*, suadet etiam hæc ratio, quia hæc sententia in praxi tutior est, nec quicquam incommodi habet. Sive enim vera sit, sive falsa, non potest operanti obesse, sed solum prodesse... E contrario opposita sententia, si quis eam in praxi sequatur, potest esse noxia. Nam si forte divino judicio falsa sit, sane utcumque interim eam probabiliter sibi quis persua-

[1] 1. 2, q. 114, a. 4. — [2] 2 *Sent.*, D. 41, a. 1, q. 3. — [3] *Cont. hær.*, sess. VI, n. 88, et *Mor.*, l. V, n. 44.

deat, nunquam efficiet, ut is præmium pro operibus ex caritatis affectu non procedentibus consequatur. Quo fit, ut si quis ei se in praxi accommodet, aut magnam præmiorum jacturam faciat, aut certe periculo se ejus jacturæ exponat. » *(Loc. cit., n. 95, p. 1392).*

Ad magnam igitur meritorum segetem colligendam, obtemperandum est Apostolo dicenti (I Cor. X, 31) : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et (Colos. III, 17) : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.*

CAPUT II.

DE MERITI EXISTENTIA, ATQUE BONORUM OPERUM NECESSITATE [1].

1272. — Docuerunt *Lutherus* et *Calvinus*, hominem, sicuti sola fide justificatur, ita etiam sola fide salvari. Nulla autem dari opera meritoria, neque ulla opera esse ad salutem necessaria. Et re quidem vera, peccati fœditas, quæ, secundum utriusque perversam doctrinam, in anima etiam justificata remanet, omnia hominis opera ita vitiat, ut vera sint peccata, licet ei propter Christi justitiam a Deo non imputentur. Atque ex hoc inferunt, nullo opere hominem sibi æternam posse promereri vitam ; nec bona opera legisque observantiam esse ad salutem necessaria.

Præterea, bonorum operum necessitatem ex alio quoque capite negant, ne scilicet plenitudini meritorum Christi aliquid detrahatur : si enim merita nostra ad salutem sunt necessaria, consequens est, merita Christi non esse ad nos salvandos sufficientia.

1273. — Prop. I. *Justorum opera sunt vitæ æternæ vere meritoria, et quidem de condigno.*

Prima Pars propositionis est *de fide*, ex Trid., Sess. VI, can. 32 : « Si quis dixerit... justificatum bonis operibus... non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam... A. S. »

Prob. I. **Ex Tridentino.** Sess. VI, cap. 16, ubi legimus : « Hac igitur ratione justificatis hominibus... proponenda sunt Apostoli verba (I Cor. XV) : *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ;* (Hebr. VI, 10), *non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis ves-*

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. VI, c. 16 ; *Hist. hær.*, Conf. XI, a. 3.

tri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et (Hebr. X, 35.): *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa: et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus ex meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus (II Timoth. IV, 7, 8), a justo Judice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus: cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus, Salvator noster, dicat: *Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (Joan. IV, 13) ».

II. **Ex Script.** S. Dixit Deus ad Abraham (Gen. XV, 1.): *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* — Legimus etiam (Matth. V, 12.): *Merces vestra copiosa est in cœlis.* — (I Cor. III, 8.): *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* — (Matth. XVI, 27.): *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.*

III. **Ex Traditione.** Concilia et S. Patres hanc doctrinam unanimi ore semper docuerunt. Legimus in *Conc. Arausic. II, can. 18:* « Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant. » Et in *Later. IV, cap. Firmiter:* « Per rectam fidem, et operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire. » — « Nunquam profecto, *ait S. Chrysost.*, cum justus sit Deus, bonos

hic cruciatibus affici sineret, si non in futuro sæculo mercedem pro meritis parasset. » *(De Prov., l. I).* — Et *S. August.:* « Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, a quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparatur. » *(De perfect. just., c. 8).*

Secunda Pars propositionis [1], quæ de merito de condigno agit, non est quidem de fide, quia verbulo *de condigno* Tridentinum usum non est; est tamen sententia ita theologice *certa*, et *communis* inter Doctores, ut absque periculo hæreseos negari non posset.

Prob. I. **Ex Concil. Tridentino,** in quo justi vitam æternam *vere* mereri dicuntur. Sed *verum* meritum non dicitur nisi meritum de condigno, cum, juxta omnes, meritum de congruo dicatur meritum *secundum quid.*

II. **Ex Script. S.,** in qua vita æterna dicitur *merces. reddi ex justitia, a judice justo, secundum proportionem operum;* quæ omnia meritum de condigno innuunt. — Præterea, justi per bona opera dicuntur *digni* vita æterna. (II Thess. I, 5): *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.* — (Sap. III, 5): *Quoniam tentavit eos Deus, et invenit eos dignos se.*

III. **Ex Ratione.** Omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ, in justorum operibus reperiuntur, sicuti per singulas discurrenti manifestum est. Justorum ergo opera merentur de condigno.

1274. — Prop. II. *Bona opera et legis observantia sunt ad salutem necessaria* [1].

De fide, ex Trid., Sess. VI, can. 19, 20 et 21, et expressis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Jac. II, 14): *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* — (Matth. XIX, 17): *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — (Matth. VII, 21): *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine.*

[1] Cf. S. Th., 2 *Sent.*, D. 27, q. 1, a. 3; S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. X, n. 15. — [2] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. XI, a. 3, n. 13.

intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. — Matth. XXV, 41): *Discedite a me, maledicti... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.* Hæc omnia luce clarius necessitatem bonorum operum indicant.

II. **Ex Traditione.** Omnes S. Patres et Ecclesiæ Doctores necessitatem bonorum operum proclamant. Unus audiatur *S. Leo M.:* « Nemo, *inquit*, de ullis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera caritatis. » *(Serm. X, c. 4).*

III. **Ex Ratione.** Christus non solum est Redemptor, sed etiam legislator *(Trid., Sess. VI, can. 21).* Ergo si fides in Christum Redemptorem ad salutem est necessaria, a pari necessaria est observatio legis a Christo omnibus impositæ.

1275. — Objicitur I. Legimus (Ps. CII, 4): *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* — (Rom. VI, 23): *Gratia autem Dei vita æterna.* Ergo, aiunt hæretici, licet vita æterna sit corona, non tamen propter merita, sed ex pura Dei misericordia atque gratia, confertur.

Resp. Vita æterna vocatur corona simul et gratia: *corona*, quia datur propter merita; *gratia*, quia gratia Dei est ex qua sola homo habet ut mereri possit, et hæc a Deo gratis et misericorditer conceditur. « Sine ulla dubitatione confidendum est, *ait S. August.*, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. » *(De Corrept. et Grat., c. 13).* — Ac proinde, « Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. » *(De Nat. et Gr., c. II, n. 19. — Cf. S. Alph., Hist. hær., Conf. XI, n. 19).*

1276. — Obj. II. Homo illud, quod sibi titulo hæreditatis jam debetur, merito non acquirit. Atqui fidelibus vita æterna titulo hæreditatis debetur, secundum illud: *Si filii et hæredes.* Ergo nullus vitam æternam operibus meretur.

Resp. « Infantulis, *ait S. Alph.*, gloria solo titulo hæreditatis conceditur; adultis vero confertur et tanquam hæreditas, quia sunt filii adoptivi, et tanquam merces operum, quia Deus ipsis hanc hæreditatem ea conditione promisit, ut legem servarent. Et ita eadem hæreditas donum simul est et retributio ipsorum meritis debita. Quod signanter declarat Apostolus dicens (Coloss. III, 24): *A Deo accipietis retributionem hæreditatis.* » *(Hist. hær., Conf. XI, n. 20).*

1277. — Obj. III. Opere, quod est totum a Deo, nullus a Deo aliquid mereri potest. Sed nostrum opus bonum totum est a Deo. Ergo.

Resp. « Opus bonum, *ait S. Alph.*, totum est a Deo, sed non totaliter; sicuti etiam est totum a nobis, sed non totaliter: Deus enim operatur nobiscum et nos cooperamur Deo; et huic nostræ cooperationi Deus gratuito vitam æternam tanquam mercedem repromittere dignatus est. » *(Loc. cit., n. 22).*

1278. — Obj. IV. Merita Christi superabundantia fuerunt ad nostram salutem. Ergo merita nostra non sunt necessaria; si enim essent necessaria, merita Christi non fuissent sufficientia.

Resp. Christi merita fuerunt superabundantia ad nostram salutem *quoad sufficientiam:* sunt enim infiniti valoris; voluit tamen Deus ut *quoad efficaciam* nobis per opera nostra bona, per mandatorum custodiam, et Sacramentorum susceptionem applicarentur. — Nec per hoc dignitati meritorum Christi aliquid derogatur, quia merita nostra efficaciam et valorem unice a Christi meritis et a gratia per Christum nobis collata mutuantur: sicut v. gr., nec divinæ omnipotentiæ aliquid derogatur per hoc quod causæ secundæ, quibus Deus operandi virtutem elargitus est, aliquid de facto operentur. *(Cf. S. Alph., loc. cit., n. 16 et 24).*

Imo per merita nostra magis extolluntur merita Christi, quippe quæ sint tantæ virtutis ut non solum in Ipso Capite sint operatoria, sed etiam in omnibus suis membris, quæ veraciter in ipso manent, tantos fructus afferant; sicuti, v. gr. etiam virtus vitis eo magis magnificatur, quo palmites, quæ ab ea virtutem fructificandi participant, uberiores fructus afferant.

Obj. V. Si vita æterna meritis retribuitur, homo qui salvatur, gloriari potest se suis meritis salvum factum esse; quod est contra Apostolum (I Cor. IV, 7).

Resp. « Licet bonis operibus, (merces) tribuatur, *ait Tridentinum (VI. cap. 16)*... absit tamen ut christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum esse velit merita, quæ sunt ipsius dona. » — Nullus igitur de suis meritis gloriari potest, quandoquidem non a se, sed a gratia habet unde mereri possit; gratia autem cui datur, misericorditer et gratuito, et non ex meritis, datur. Omnis igitur nostra gloriatio in Dei gratia et meritis Christi consistit. *(Cf. S. Alph., loc. cit. n. 15, 16, 21).*

1279. Quæritur. *An retributio vitæ æternæ pro meritis sit in Deo actus justitiæ* [1].

Respondeo: Retributionem præmii pro meritis esse actum justitiæ, non commutativæ, sed distributivæ; in eo tamen servari aliquem modum justitiæ commutativæ.

[1] Cf. S. Th., q. 114, a. 1; et 2 Sent., D. 27, q. 1, a. 3; Grandi, In q. 114, a. 3, dub. 3; Gotti, q. I, dub. 3; Gonet, *Clyp.*, Disp. II, a. 4.

1. Retributionem vitæ æternæ *esse actum justitiæ*, manifestum est ex Apostolo dicente (II Tim. IV, 8): *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et (Hebr. VI, 10): *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

Idem suadetur ratione: Ubi inter duos intervenit pactum vel promissio de mercede sub conditione operis vel laboris, impleta conditione onerosa ab una parte, altera pars ex justitia, quod promisit, reddere tenetur. Sed Deus vitam æternam omnibus justis sub conditione bonæ operationis promisit. Positis igitur operibus meritoriis, Deus vitam æternam, quam promisit, retribuere tenetur.

2. Retributionem vitæ æternæ *non esse actum justitiæ commutativæ proprie dictæ*, ex eo patet, quod justitia commutativa est inter eos tantum, inter quos perfecta existit æqualitas, et « respicit æqualitatem aritlmeticam, quæ tendit in æqualitatem quantitatis. » Sed Deum inter et hominem maxima existit inæqualitas, in infinitum enim distant; et Dei beneficia creaturæ merita in immensum excedunt. Proinde justitia commutativa in Deo existere nequit.

3. Retributionem vitæ æternæ *esse actum justitiæ distributivæ*, ex ipsa ratione justitiæ distributivæ perspicuum est: justitiæ enim distributivæ est unicuique secundum sua merita retribuere. « Ratio justitiæ distributivæ, *ait S. Th.*, Deo proprie convenire potest, in quantum scilicet æqualitatem proportionis servat in communicatione bonorum suorum, dans unicuique proportionaliter secundum suum modum. » (*4 Sent. D. 46. q. 1. a. 1*). Cum igitur Deus in justorum remuneratione æqualitatem inter proportionem præmiorum et proportionem meritorum constituat, atque efficiat ut eadem sit proportio inter præmia quæ est inter merita, proprium actum justitiæ distributivæ exercet.

4. Esse tamen in illo actu quemdam modum justitiæ commutativæ, ex eo innoteseit, quod videlicet Deus æqualitatem inter meritum et præmium constituit, et mercedem cujuslibet merito congruentem retribuit. « Illa forma divini judicii, *ait S. Th.*, attenditur secundum rationem commutativæ justitiæ, prout scilicet recompensantur præmia meritis, et supplicia peccatis. » (*2. 2. q. 61. a. 1, ad 1*).

CAPUT III.

DE OBJECTO MERITI.

1280. — Ea, quæ justus de condigno mereri potest, a Tridentino, Sess. VI, can. 32, indicantur: « Si quis dixerit... ipsum justificatum bonis operibus... non vere mereri augmen-

tum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. »

I. *Primum* igitur ac præcipuum meriti de condigno objectum, est *vita æterna* ipsiusque consecutio, dummodo homo in gratia usque in finem perseveraverit. Qua de re satis jam actum est. *(N. 1273).*

II. *Secundum* ejusdem meriti objectum est *gratiæ sanctificantis augmentum.* — Constat ex Joan. XV, 1, 2, ubi Christus postquam se viti, justos vero palmitibus comparasset, subjunxit: *Omnem* (palmitem) *qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* — Idem patet ex parabola de talentis (Luc. XIX, 26): *Omni habenti dabitur, et abundabit.* Quos textus S. Patres de augmento caritatis intelligunt. — Præterea, scribit Apostolus (Ephes. VI, 15): *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus;* — et (I Thessal. IV, 1): *Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.*

Consonat Traditio. — « Caritas, *ait S. Augustinus*, meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. » *(Tract. V, in Ep. Joan.).* — Et *S. Thomas* scribit: « Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiæ est vita æterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiæ, secundum illud (Prov. IV, 18): *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem*, qui est dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni. » *(Q. 114, a. 8).*

III. *Tertium* ejusdem meriti objectum est *gloriæ augmentum.* — Sequitur ex dictis *(1279)* ubi probatum est mercedem in patria cuilibet dari secundum merita, quæ in via sibi comparavit, juxta illud Apostoli (I Corinth. III, 8): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Præterea, cœlestis gloria cuilibet juxta gradum gratiæ et caritatis præsentis vitæ conceditur. Qui igitur gratiæ augmentum meretur, ille etiam gloriæ augmentum meretur.

1281. — Quæritur I. *Utrum aliquis primam gratiam sibi mereri possit.*

Resp. Prima gratia potest intelligi vel prima gratia actualis, vel prima gratia sanctificans quæ homini in justificatione infunditur.

1. Si agitur *de prima gratia actuali*, qua homo ad justificationem vocatur, de fide est hominem eam nec de condigno, nec de congruo, mereri posse; imo eam nec impetrationis merito posse consequi, ut declaravit Trident., Sess. VI. cap. 5: « justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia, sumendum esse. »

Constat hæc veritas ex iis, quæ supra contra Pelagianos et Semipelagianos dicta sunt. — Probatur etiam ex axiomate ab omnibus recepto: *Principium meriti non cadit sub merito;* id est, illud, quod ad merendum ex parte principii necessario prærequiritur, sub merito illius actus, cujus est principium, cadere nequit. Atqui ad omne meritum supernaturale gratia tanquam principium prærequiritur. Ergo prima gratia actualis nullo merito mereri potest.

2. Si agitur *de prima gratia sanctificante*, dicendum est:

a) Hominem operibus etiam ex gratia actuali positis, eam de condigno nullatenus mereri posse. Constat ex verbis Apostoli (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius;* quæ verba explicat Tridentinum, dicens (Sess. VI, cap. 8): « Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fide, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. » — Ratio autem theologica est, quia principium meriti non cadit sub merito. Porro principium meriti de condigno est gratia sanctificans. Ipsa ergo sub merito de condigno cadere nequit.

b) Hominem de congruo, et quidem de congruo infallibili, per actum videlicet contritionis perfectæ, vel caritatis perfectæ, primam gratiam habitualem merere posse. Ratio est,

quia faciente homine ex virtute gratiæ actualis quod est in se, ut ad Deum redeat eumque ex toto corde diligat, condecens est ut Deus ipsum suscipiat atque diligat; adest igitur in prædictis actibus meritum quoddam de congruo.

Meritum autem illud esse de congruo infallibili, ex divina promissione manifestum est; siquidem Deus caritati vel contritioni perfectæ justificationis gratiam repromisit, teste Scriptura, (Deut. IV, 29): *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* — Et (Psalm. L, 19): *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*

1282. — Quæritur II. *Utrum homo gratias actuales sibi mereri possit.*

Resp. Communis sententia docet, neminem posse sibi *de condigno* gratias aliquas actuales mereri: nulla quippe hac de re adest divina promissio. — Præterea, illud solum cadit sub merito de condigno ad quod gratia ex divina ordinatione ordinatur. Porro, ex divina ordinatione gratia ad ea ordinatur, quæ se habent per modum termini, cujusmodi est vita æterna; non autem ad ea, quæ se habent per modum principii motus. Sed gratia actualis semper se habet per modum principii meriti. Ipsa ergo sub merito de condigno non cadit.

Potest tamen homo merito *de congruo*, præsertim merito impetrationis, gratias actuales promereri, quando scilicet orationes et opera bona hunc in finem ad Deum dirigit, ut ab illo ea uberiora auxilia, quibus in difficilioribus indiget occasionibus, obtineat.

1283. — Quæritur III. *An aliquis perseverantiam sibi mereri possit.*

Resp. I. Communis theologorum sententia tenet: hominem quantumvis justum *non posse de condigno* finalem perseverantiam mereri; deest enim promissio divina; et etiam justi monentur, ut cum metu et tremore salutem suam operentur (Philip. II, 12); et ut qui stare se existimant, videant ne cadant (I Cor. X, 12).

Suadetur hæc doctrina a Tridentino, *Sess. VI. can. 16, et cap. 13*, ubi, agendo de munere perseverantiæ, dicit: « Quod

quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere. »

Accedit ratio. — Perseverantia vitæ non potest haberi nisi a gratia Dei, qui sua motione hominem ad bonum usque in finem inclinat *(n. 1173)*. Sed gratias actuales nullus de condigno sibi mereri potest. Ergo nec perseverantiam. *(Cf. S. Th., q. 114, a. 9)*.

2. Communiter etiam docent theologi, neminem merito *de congruo stricte sumpto* perseverantiam sibi mereri posse: nulla enim hac de re adest divina promissio. — Præterea, leges et jura amicitiæ inter homines stricte non expostulant ut amicus præcaveat, ne alter eum graviter lædat; ac proinde nec amicitia inter Deum et hominem justum postulat, ut Deus justum, concedendo specialissimam perseverantiæ gratiam, a mortali præservet.

3. An autem aliquis sibi merito *de congruo fallibili* perseverantia mereri possit, controvertitur: alii affirmant, negant alii.

4. Certum est hominem *merito impetrationis* perseverantiam sibi promereri posse. « Hoc donum Dei, *ait S. August.*, suppliciter emereri potest. » *(De don. persev., c. 6)*. — Et *S. Thomas:* « Etiam ea quæ non meremur, orando impetramus... Et similiter perseverantiæ donum aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis sub merito non cadat. » *(Q. 114, a. 9, ad 1)*. — Imo, oratione donum perseverantiæ *infallibiliter* impetrari potest, ut docet *S. Alphonsus (Magn. prec. adj., P. I, c. 3, § 4)*; dummodo oratio conditiones requisitas possideat, et sit usque in finem perseverans.

Cum vero, propter innatam liberi arbitrii mutabilitatem, nemo scire possit se ad finem usque vitæ in debita oratione esse perseveraturum, nemo etiam in hac vita absque speciali Dei revelatione de sua perseverantia atque salute securus esse potest.

1284. — Quæritur IV. *Utrum justus possit, dum est in statu gratiæ, illud sibi mereri ut, si postea in peccatum prolabatur, iterum justificetur*[1].

[1] Cf. S. Th., q. 111, a. 7; Gamach., In q. 114, cap. 5.

Resp. 1. Certum est reparationem post peccatum sub merito de condigno non cadere: ratio est, quia per subsequens peccatum omnia merita de condigno mortificantur, secundum illud Ezechielis, XVIII, 24: *Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

2. Certum est etiam, reparationem post peccatum sub merito de congruo infallibili non cadere: de ejusmodi enim reparatione nulla divina exstat promissio. An autem aliquis merito de congruo fallibili proprie dicto suam reparationem mereri possit, controvertitur, alii affirmant, negant alii; utraque sententia rationibus æque probabilibus fulcitur.

3. Si vero de merito impetrationis agatur, sententia communior docet, hominem justum oratione atque aliis operibus bonis suam reparationem mereri posse; licite enim ac utiliter quilibet Deum, ut, cum defecerit, iterum reparetur, adprecari potest. Quæ oratio quamdam in se habet decentiam, ut a Dei misericordia exaudiatur, dummodo sit perseverans, neque præsumptionem conjunctam habeat. Si quis enim orando propositum haberet peccandi sub spe veniæ per suam orationem consequendæ, is omnino cum præsumptione ageret, nec ullum fundamentum reparationis obtinendæ habere posset.

1285. — Quæritur V. *An unus homo possit alteri aliquid mereri.*

Resp. Merito de condigno nullus potest alteri quidquam mereri; de congruo autem fallibili justus, quidquid sibi, hoc et alteri mereri potest, imo et aliquid plus, videlicet primam gratiam actualem.

Ratio primi est, quia illud tantum cadit sub merito de condigno, ad quod gratia sanctificans ordinata est. Porro gratia puri hominis ordinata est ut ipse ad vitam æternam perveniat; ultra quod motio gratiæ ad nihil aliud se extendit. Nullus igitur purus homo alteri de condigno quidquam mereri potest; sed hoc reservatur soli Christo, cujus «anima, *ut ait S. Thomas*, mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam ut alios in eam adduceret, inquantum est Caput Ecclesiæ, et auctor salutis humanæ.» *(Q. 114, a. 6).*

Ratio secundi desumitur ex Scriptura. Legimus enim (Matth. IX, 2): *Videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: confide, fili: remittuntur tibi peccata tua.* – Et (Jac. V, 16): *Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* — Cui doctrinæ consonat praxis Ecclesiæ, quæ pro peccatoribus, hæreticis, paganis, Judæis preces fundit et opera bona Deo offert. — Eamdem insinuat ratio; «quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, *ait S. Th.*, congruum est secundum amicitiæ proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat.» *(Loc. cit.)*

An autem etiam peccator alteri quidquam mereri possit, non adeo constat. Sententia affirmativa videtur probabilior [1]. Et re quidem vera: *a)* Ex parte merentis, ad meritum de congruo status gratiæ non requiritur; si autem status gratiæ non requiritur ad merendum pro se de congruo, ergo probabilius nec requiritur ac merendum pro alio. — *b)* Peccator sibi primam justificationem de congruo mereri potest: ergo probabilius eamdem et alteri potest mereri, cum, juxta communem sententiam, quidquid aliquis sibi, hoc et alteri de congruo mereri potest. — *c)* Deus orationes peccatoris quandoque exaudit; ergo saltem merito impetrationis peccator alteri aliquid potest mereri.

1286. — Quæritur VI. *Utrum bona temporalia cadant sub merito* [2].

Resp. Bona temporalia considerari possunt vel secundum se, vel quatenus ad salutem sunt necessaria aut valde utilia.

Si bona temporalia, quatenus ad salutem sunt necessaria, considerentur, justus ea de condigno mereri potest [3], sicut augmentum gratiæ, et ea omnia quæ ad salutem sunt necessaria et non sunt proprie principium meriti [4]. Fundatur hæc doctrina in Scriptura, in qua legimus bona temporalia justis esse promissa, secundum illud (Ps. XXXIII, 10): *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* — (Ps. XXXVI, 25): *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* — (Matth. VI, 33): *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.*

Si vero hæc bona considerentur secundum se, sub merito de condigno non cadunt: tum quia præmium et meritum de condigno ejusdem ordinis esse debent; tum quia meritum de condigno, cum vitam æternam respiciat, est semper de bono simpliciter; sed bona temporalia in se considerata, ordinis sunt inferioris quam meritum de condigno, nec sunt bona simpliciter, tum saluti etiam nociva esse possint. Sub merito tamen de congruo, cum hominis justi, tum peccatoris, cadere possunt, « in quantum scilicet homines, *ut ait S. Th.*, moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur, Deo favente; ut sicut vita æterna est simpliciter præmium operum justitiæ per relationem ad motionem divinam, ita temporalia bona in se considerata habeant rationem mercedis, habito respectu ad motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad hæc prosequenda; licet interdum in his non habeant homines rectam intentionem. » *(Q. 114, a. 10).*

[1] Cf. Gibbon, Disp. III, dub. 4, n. 4. — [2] Cf. Tanner, *De Grat.*, q. VI, dub. 10, p. 1437. — [3] S. Th., q. 114, a. 10. — [4] Cf. Wenzl, n. 656, p. 263.

EXPLICIT TRACTATUS DE GRATIA.

TRACTATUS SEPTIMUS.[1]

DE VIRTUTIBUS.

Conspectus generalis.

- CAP. PRÆVIUM. De Virtutibus in genere.
  - A. 1. Natura virtutis.
    - § 1. Definitio.
    - § 2. Distinctio.
    - § 3. Subjectum.
  - A. 2. Proprietates virtutum.
    - § 1. Mediocritas.
    - § 2. Connexio.
    - § 3. Perfectio.

- **Pars I.** De Virtutibus theologicis.
  - CAP. I. De Fide.
    - **A. 1.** De fide in genere.
    - **A. 2.** Objectum fidei.
    - **A. 3.** Actus fidei.
    - **A. 4.** Relatio inter fidem et rationem.
  - CAP. II. De Spe.
    - **A. 1.** Spei natura et objectum.
    - **A. 2.** Spei subjectum.
    - **A. 3.** Actus spei.
  - CAP. III. De Caritate.
    - **A. 1.** Natura caritatis.
    - **A. 2.** Objectum caritatis.
    - **A. 3.** Proprietates caritatis.

- **Pars II.** De Virtutibus moralibus.
  - CAP. I. De Virtutibus cardinalibus in genere.
  - CAP. II. De Prudentia.
  - CAP. III. De Justitia.
  - CAP. IV. De Fortitudine.
  - CAP. V. De Temperantia.

APPENDIX. De Donis Spiritus Sancti.

[1] **Auctores comulendi:** *S. Thomas.* — Duval, In II. II, D. Thomæ. — *Gonet,* Clyp., De Virtutibus. — *Gotti.* — *Gibbon.* — *De Lugo,* De fide. — *Mazzella,* De Virtutibus. — *Barré,* De Virtutibus. — *Jaugey,* De Virtutibus infusis.

INTRODUCTIO.

1287. — In superiori tractatu, de gratia egimus. « Huic autem, *ait Catechismus Rom.*, additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. » *(De bapt. n. 51).* — Considerationem igitur de divina gratia aptissime excipit consideratio de eo virtutum comitatu, quæ una cum gratia homini infunduntur, et hominis facultates elevant, eisque tribuunt, ut actus salutares connaturaliter elicere valeant.

Virtutes infusæ aliæ Deum habent pro objecto immediato: *theologicæ* vocantur; — aliæ eamdem habent materiam ac virtutes morales acquisitæ: *morales* nominantur.

Præmissis igitur in capite prævio notionibus quibusdam de virtutibus in genere, tractatus in duas partes dividetur: in parte I. sermo instituetur de virtutibus theologicis; in parte II. de virtutibus moralibus. — Hisce partibus, per modum appendicis, quædam de donis Spiritus Sancti adjicientur.

CAPUT PRÆVIUM.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

De virtutibus in genere, quoad earum naturam et proprietates, ea sola delibanda sunt, quæ scitu sunt magis necessaria, ut dicenda de virtutibus in specie, perfectius intelligantur. Dicendum est igitur breviter: I. de virtutis natura: II. de proprietatibus virtutum.

ARTICULUS I.

DE VIRTUTIS NATURA.

Tria ad virtutis naturam intelligendam, concurrunt: ipsius scilicet definitio, ipsius divisio, atque ipsius objectum.

§ 1. *De Definitione virtutis* [1].

1288. — Virtus, in sensu stricto accepta, definitur: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.*

Virtus dicitur: *qualitas*, id est dispositio de se stabilis et difficile mobilis: genus igitur proximum virtutis est *habitus*, et quidem *operativus*, quia « virtus ex ipsa ratione nominis importat quamdam perfectionem potentiæ. » *(S. Th., 1. 2, q. 55, a. 1 et 2).* Virtus est igitur habitus perficiens facultatem respectu suæ operationis, eamque ad operationem inclinans, eique tribuens ut uniformiter, prompte et delectabiliter operationem bonam elicere valeat.

Dicitur: *qualitas bona*, quia virtus perficit potentiam in ordine ad suam perfectam operationem; perfecta autem operatio cujuslibet potentiæ est ipsius bonum; unde et virtus, perficiens ad bonam operationem, est habitus bonus, et boni operativus. *(1. 2, q. 55, a. 3).*

Dicitur: *qua recte vivitur, qua nullus male utitur*, quibus verbis virtus distinguitur tum ab habitibus vitiosis, qui semper se habent ad malum, tum ab illis habitibus, qui se habent ad bonum et ad malum, ut est, v. gr., opinio, quæ se habet ad verum et falsum.

Dicitur: qualitas *mentis*, ad indicandum virtutis subjectum: subjectum remotum est substantia intellectualis; proximum, est facultas rationalis sive essentialiter sive participative.

Dicitur demum: *quam Deus in nobis sine nobis operatur;* quibus verbis indicatur causa efficiens virtutis infusæ, quæ a solo Deo eam infundente haberi potest.

1289. — Præter hanc definitionem duæ aliæ passim occurrunt apud auctores. Virtus ab aliquibus definitur: *Dispositio perfecti ad optimum;* id est: virtus est qualitas superveniens enti jam perfecto quoad esse, et disponens illud ad optimum, scilicet, ad operationem

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 55 et seq; *De Virt. in communi*, q. 1.

perfectam, quod est optimum cujuslibet facultatis. *(1. 2, q. 110, a. 3).* — Ab aliis definitur: *Habitus, qui bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit.* Etenim « virtus uniuscujusque rei est per quam operationem bonam producit. Quia vero omnis res est propter suam operationem, unumquodque autem bonum est secundum quod bene se habet ad suum finem, oportet quod per virtutem propriam unaquæque res sit bona, et bene operetur. » *(S. Th., De Virt. in com., a. 9).*

§ 2. *De Virtutum distinctione* [1].

Virtutes multipliciter distinguuntur, videlicet:

1290. — I. Ratione objecti, aliæ sunt *divinæ* seu *theologicæ;* hæ pro objecto immediato habent Deum, ut auctorem gratiæ et gloriæ; aliæ sunt *humanæ:* hæ pro objecto immediato habent bonum, quod humana ratione attingi potest.

II. Ratione subjecti, virtutes dividuntur in *intellectuales* et *morales.* « *Virtus intellectualis, ait Gonet,* ea dicitur, quæ perficit intellectum in ordine ad verum, sive speculativum, sive practicum; soletque dividi in quinque species, quæ vocantur intelligentia seu habitus primorum principiorum, sapientia, scientia, ars, et prudentia. Ratio vero hujus divisionis hæc est: cum virtus intellectualis perficiat intellectum in ordine ad verum, tot esse debent virtutes intellectuales, quot sunt habitus infallibiliter attingentes verum: sed habitus infallibiliter attingentes verum sunt tantum quinque enumerati: ergo illi soli sunt virtutes intellectuales. Major patet; minor probatur. Verum quod certo et infallibiliter ab intellectu attingi potest, vel est universale, et consequenter necessarium, vel singulare et contingens. Si universale, vel est attingibile immediate, vel absque medio, et ex sola terminorum notitia, ut sunt prima principia. Et pro illis ponitur habitus primorum principiorum. Vel est attingibile mediate, et per proprias causas; quæ si fuerint particulares, ponitur scientia; si vero fuerint altissimæ et universalissimæ, ponitur sapientia. Si autem tale verum fuerit singulare, vel illud est factibile; et

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 57; Gonet, *Clyp.,* Disp. III; Gotti, *De Virt.,* q. 2; Marc, *Instit.,* n. 380.

pro illo attingendo ponitur ars; vel agibile, et ad illud attingendum ponitur prudentia. » *(Loc. cit. a. 1).*

Virtutes morales perficiunt vires partis appetitivæ ad obediendum rationi in prosecutione boni honesti. Quatuor enumerantur, scilicet: *prudentia*, quæ etiam inter virtutes intellectuales enumeratur; *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*.

III. Ratione causæ efficientis, virtutes sunt vel *infusæ* vel *acquisitæ*. *Infusæ*, seu ordinis supernaturalis, dicuntur illæ, quæ non comparantur per potentiam naturalem, sed a Deo immediate in anima producuntur, ut fides, spes, caritas. — *Acquisitæ*, seu ordinis naturalis, sunt illæ, quæ viribus naturæ per actuum frequentationem comparantur, ut, v. gr., **temperantia.**

Virtutes infusæ aliæ dicuntur *per se infusæ*, quæ nempe a solo Deo eas infundente haberi possunt; hujusmodi sunt omnes virtutes ordinis supernaturalis; aliæ dicuntur *infusæ per accidens*, quæ, licet humano conatu possint acquiri, et ratione objecti sint ordinis naturalis, speciali tamen Dei dono quandoque in animam a Deo infunduntur. Virtus infusa per accidens specie non differt ab acquisita; sicuti nec visus divinitus cæco donatus a visu aliorum videntium specifice differt.

IV. Ratione perfectionis, virtutes aliæ sunt *formatæ*, aliæ *informes*. Virtus *formata* illa est, quæ cum habitu caritatis conjungitur: quia caritas est forma, finis et perfectio cæterarum virtutum, quas omnes in ultimum finem ordinat. — Virtus *informis* est illa, quæ in subjecto caritate destituto existit.

Ratione perfectionis virtus etiam distinguitur in virtutem *secundum quid*, et in virtutem *simpliciter*. Virtus *secundum quid* illa dicitur, quæ dat quidem facultatem ad bonum actum, non autem bonum usum; seu est ea, quæ dat homini facultatem bene agendi, non autem facit ut homo bene agat, « sicut per habitum grammaticæ habet homo facultatem recte loquendi, non tamen grammatica facit ut homo semper recte loquatur. » *(1. 2, q. 56, a. 3)*. Tales sunt virtutes intellectuales. — Virtus *simpliciter* illa dicitur, « quæ non solum facit facultatem bene agendi, sed etiam facit quod aliquis recte

facultate utatur, sicut justitia non solum facit quod homo sit promptæ voluntatis ad operandum, sed etiam facit ut juste operetur. » *(S. Th., loc. cit.)* Tales sunt virtutes morales *(cf. 1. 2, q. 57, a. 4; q. 61, a. 1).*

V. Ratione gradus, virtutes sunt *communes* vel *heroicæ. Communis* dicitur virtus, quæ operatur modo ordinario, seu communi. *Heroica*, quæ operatur expedite, prompte, delectabiliter, et cum abnegatione sui ipsius, supra communem operandi modum.

§ 3. *De Virtutis subjecto* [1].

1291. — Proximum et immediatum virtutis subjectum esse animæ potentiam, non autem essentiam, manifestum est « ex ipsa ratione virtutis, quæ importat perfectionem potentiæ; perfectio autem est in eo cujus est perfectio. » *(S. Th., 1. 2, q. 56, a. 1).*

Non omnis tamen animæ potentia est virtutis subjectum. In homine triplicis speciei existunt potentiæ: aliæ sunt *activæ tantum*, ut intellectus agens, et facultates animæ vegetativæ; — aliæ sunt *passivæ tantum*, ut potentiæ sensitivæ apprehensivæ cum internæ tum externæ; — aliæ sunt *activæ simul et passivæ*, quæ et a suo objecto moventur et libere simul se movent; hæ sunt intellectus possibilis, voluntas, et appetitus inferior.

Jamvero, solæ potentiæ, quæ *passivæ simul et activæ* sunt, virtutibus indigent. Etenim, *ut ait S. Th.*, « cum per habitum perficiatur potentia ad agendum, ibi indiget potentia habitu perficiente ad bene agendum, ubi ad hoc non sufficit propria ratio potentiæ. Omnis autem potentiæ propria ratio attenditur ad objectum. » *(Loc. cit., a. 6).* — Sed in potentiis, quæ activæ tantum, vel passivæ tantum sunt, propria ratio potentiæ sufficit ad bene agendum; in solis potentiis, quæ passivæ sunt et activæ, sola ratio potentiæ non sufficit ad bene agendum. Istæ igitur solæ virtutibus indigent.

[1] Cf. S. Th., *De Virt. in com.*, a. 1; Gotti, q. I, dub. 2.

Et re quidem vera, facultates, quæ *activæ tantum sunt*, intellectus scilicet agens atque vires animæ vegetativæ, si rite sunt dispositæ, hæ tum habent ex se, ut objectum suum perfecte semper attingant, tum sunt in seipsis principia completa bonæ operationis: sicuti patet de intellectu agente, qui, proposito phantasmate, essentiam a conditionibus materialibus prompte et uniformiter abstrahit. Ulteriori igitur perfectione ad bene operandum non indigent.

Facultates vero, quæ *passivæ tantum sunt*, id est potentiæ sensitivæ apprehensivæ, non agunt nisi in quantum a suo objecto moventur; et semel motæ, non libere, sed necessario agunt. Quapropter statim ac moventur, objectum suum determinate, uniformiter et prompte attingunt, nisi aliquid ex parte organi obstet, sicuti manifestum est de oculo. Et ideo istæ potentiæ nulla virtute eas perficiente, sed sola motione ex parte sui activi, indigent.

Potentiæ vero, quæ *passivæ simul et activæ* sunt, a suo objecto moventur quidem ad operandum, sed non determinantur ad unum: et in earum potestate remanet agere vel non agere, ad hoc vel ad illud se ferre. Quamobrem istæ facultates ex ratione potentiæ non habent, ut objectum suum uniformiter, prompte et delectabiliter attingant; et ideo necesse est ut in ordine ad suam operationem per aliquas formas eisdem superadditas, quæ vocantur virtutes, perficiantur.

Potentiæ igitur, quæ in homine possunt esse subjectum virtutis, sunt: intellectus possibilis, voluntas, et appetitus inferior.

1292. — I. *Intellectus possibilis, sive speculativus sive practicus, est virtutis subjectum.*

1. *Quoad intellectum speculativum:* objectum intellectus speculativi est verum in se consideratum, sive sit in se immediate, sive ex suis causis cognitum. Sed ex natura sua intellectus speculativus est indifferens ad verum et ad falsum, nec ex ratione potentiæ determinatur ad aliquod verum uniformiter, prompte et delectabiliter attingendum, licet possit verum aliquo modo attingere; sicut homo, carens habitu

alicujus scientiæ, de aliqua conclusione hujus scientiæ judicare potest, sed imperfecte tantum, difficulter, et cum erroris periculo. Ut igitur intellectus speculativus objectum suum uniformiter, prompte et delectabiliter attingat, virtute superaddita perficiatur oportet; ut, quod ratione potentiæ deest, ei ex habitu superaddito suppleatur.

Relate igitur ad verum connaturale, intellectus speculativus perficitur *intelligentia*, *sapientia* et *scientia:* relate autem ad verum, quod naturales ipsius limites supergreditur, perficitur *fide*, quæ etiam in intellectu speculativo subjectatur. *(1. 2, q. 56, a. 3; De Virt. in com., a. 6 et 7).*

2. *Quoad intellectum practicum:* homini, ut vitam recte instituat, et debito modo in finem ultimum tendat, multa et diversa occurrunt facienda. Appetitus autem rationalis in nihil inclinatur, nisi præeunte practico rationis judicio. Jamvero intellectus practicus ex se non habet, ut in quolibet casu particulari recte semper judicet quid hic et nunc sit faciendum. Debet igitur quibusdam habitibus perfici, quibus suppleatur quod ipsi ex ratione potentiæ deest, ut in omni occasione, quid sit agendum, recte judicare valeat. Qui quidem habitus sunt duo: *ars*, quæ est *recta ratio factibilium*, exterioresque respicit materias, in quibus opus perficitur; et *prudentia*, quæ est *recta ratio agibilium*, actusque internos respicit, ut in finem ultimum debito modo ordinentur. *(Q. 57, a. 3, 4, 5).*

1293. — II. *Voluntas est subjectum virtutis, non quoad prosecutionem boni proprii, sed quoad prosecutionem boni alieni.*

« Virtus ordinat potentias ad bonum, *ait S. Th.*. Voluntas autem hoc, quod virtus facit circa alias potentias, habet ex ipsa ratione suæ potentiæ: nam ejus objectum est bonum... Unde voluntas non indiget aliquo habitu virtutis inclinante ipsam ad bonum quod est sibi proportionatum: quia in hoc ex ipsa ratione potentiæ tendit. » *(De Virt. in com., a. 5).* Voluntas igitur absque virtute superaddita uniformiter, prompte et delectabiliter in bonum proprium tendit.

« Sed si quod bonum immineat homini volendum, *addit S. Doctor*, quod excedat proportionem volentis, sive quantum ad totam speciem humanam (sicut bonum divinum, quod transcendit limites humanæ naturæ), sive quantum ad individuum (sicut bonum proximi), ibi voluntas indiget virtute. Et ideo hujusmodi virtutes, quæ ordinant affectum hominis in Deum vel in proximum, sunt in voluntate sicut in subjecto. » *(1. 2. q. 56. a. 6).*

Tres igitur in voluntate subjectantur virtutes, scilicet: *spes* et *caritas*, quibus voluntas in bonum divinum ordinatur; et *justitia*, qua ad bonum proximi prosequendum perficitur.

1294. — III. *Appetitus inferior est subjectum virtutis.*

Appetitus inferior, irascibilis scilicet et concupiscibilis, si consideratur secundum se, et prout hominibus et brutis est communis, nequit esse virtutis subjectum. Si vero consideratur secundum quod in homine natus est obedire rationi, subjectum est virtutis. Appetitus enim inferior, cum proprios suos habeat motus, qui rationi interdum repugnant, ex se non habet ut in prosecutione boni sensibilis dictamen rationis ad nutum sequatur. Aliqua igitur in eo requiritur perfectio superaddita, quæ est quædam ejus habitualis conformitas ad rationem, qua fit, ut parti superiori in omnibus prompte ac perfecte obediat.

In appetitu inferiori duæ ponuntur virtutes, videlicet: *fortitudo*, quæ in irascibili; et *temperantia*, quæ in concupiscibili subjectatur. *(1. 2, q. 56, a. 4. De Virt. in com., a. 4).*

ARTICULUS II.

DE VIRTUTUM PROPRIETATIBUS.

Tres enumerantur virtutum proprietates, nimirum: *mediocritas, connexio*, et *perfectio*.

§ 1. *De Mediocritate Virtutum* [1].

1295. — Prima et celebratior virtutis proprietas est *mediocritas;* unde tritum illud effatum: *In medio virtus.*

Mediocritas, seu *medium virtutis,* vocatur ille modus aut illa mensura actus virtuosi, quo actus inter duo extrema, excessum scilicet et defectum, distat secundum quod rectæ rationi competit. Cujuslibet enim mensurati et regulati bonitas consistit in ejus conformitate cum sua regula; ejus vero malitia in eo sita est quod a sua regula, sive per defectum sive per excessum, deflectit. Ut igitur actus dici possit virtuosus, necesse est ut conformis sit suæ regulæ, nec ab ea sive per defectum sive per excessum recedat: quamobrem virtus in medio inter duo vitia consistere dicitur.

1296. — Duplex datur medium virtutis, videlicet: *medium rei* et *medium rationis.*

Medium rei illud dicitur, quod ex ipsa rei natura determinatum est; hoc unum est pro omnibus hominibus, et idem pro omni tempore et loco. Sic, v. gr., ex natura rei statutum est, ut qui furto decem abstulit, decem restituat.

Medium rationis illud dicitur, quod ex ipsa rei natura non est determinatum, sed quod a ratione secundum varias loci, temporis, et personæ circumstantias, per prudentem æstimationem determinatur. Medium rationis idem non est pro omnibus, sed variabile secundum circumstantias; sic, v. gr., eadem quantitas cibi vel potus, quæ secundum prudentem æstimationem uni est conveniens, alteri erit insufficiens, alteri vero nimia.

1297. — I. *Virtutes morales consistunt in medio: justitia in medio rei; fortitudo vero et temperantia in medio rationis.*

Prob. 1. *Quoad virtutes morales in genere.* — « Omnes virtutes morales, *inquit Angelicus,* in medio constitutæ sunt.

[1] Cf. S. Th., 3, *Sent.,* D. 33, q. 1, a. 3; Gotti, *De Virt. in gen.,* q. III, dub. 2.

Virtutes autem morales sunt circa passiones et operationes, quas oportet dirigere secundum regulam rationis. In omnibus autem regulatis consistit rectum, secundum quod regulæ æquantur: æqualitas autem media est inter majus et minus; et ideo oportet quod rectum virtutis consistat in medio ejus quod superabundat, et ejus quod deficit a mensura rationis rectæ.» *(3. Sent., D. 33, q. 1, a. 3, q. 1).*

2. *Quoad justitiam.* — Justitiæ proprium est facere æqualitatem rei ad rem; versatur enim circa exteriores operationes, in quibus bonum et malum accipiuntur secundum commensurationem ad alterum, sicut, v. gr., in venditione, emptione, etc., in quibus rectum debet institui simpliciter et secundum se, abstractione facta a circumstantiis loci, temporis et personæ. Et ideo in justitia medium rationis est idem cum medio rei, in quantum justitia dat unicuique quod debet, nec plus nec minus. *(1. 2, q. 60, a. 2; 2. 2, q. 58, a. 10).*

3. *Quoad fortitudinem et temperantiam.* — Fortitudo et temperantia circa passiones moderandas versantur. Sed circa passiones alii aliter afficiuntur: quod uni est nimium, alteri est insufficiens; quod huic est nocivum, illi est innocuum. In hisce igitur virtutibus ex parte rei dari nequit medium invariabile: sed rationis est statuere juxta regulas prudentiæ, quid, perpensis omnibus circumstantiis, faciendum sit, vel omittendum. In fortitudine igitur et temperantia solum datur medium rationis.

1298. — II. *Virtutes intellectuales, cum speculativæ tum practicæ, consistunt in medio.*

Prob. 1. *Quoad virtutes speculativas.* — «Omne regulatum, *ait S. Th.*, in quantum est hujusmodi, habet rationem medii; quod autem a regula discedit, aut superfluum aut diminutum est. Dicitur etiam, quod virtus intellectualis consistit in hoc quod attingat verum, quod est bonum intellectus. Veritas autem intellectus humani regulatur et mensuratur ab essentia rei; et ideo etiam virtus intellectualis circa proprium objectum, in medio consistit: ut scilicet apprehendat homo de re

quod est, non plus nec minus. » *(De Spe, a. 1, ad 7; cf. 1. 2, q. 64, a. 3).*

2. *Quoad virtutes practicas.* — Virtutes intellectuales practicæ sunt *ars* et *prudentia;* utraque in medio consistit. « Ars enim, *ait Gotti*, suas regulas habet, secundum quas si artificium fiat, bene et virtuose fit; et a quibus si recedatur, sive per excessum, sive per defectum, vitium est artefacti. — Prudentia ipsa est quæ præscribit medium aliis virtutibus moralibus, quod est conformitas ad appetitum rectum; a quo declinari potest tam per excessum quam per defectum: si per defectum, erit imprudentia, si per excessum recedatur, erit astutia; ergo et prudentia in medio consistit. » *(De Virt., q. III. dub. 1).*

1299. — III. *Virtutes theologicæ per se non consistunt in medio, sed per accidens tantum ex parte nostri.*

Ratio est, quia objectum et mensura virtutis theologicæ est ipse Deus; sed nemo potest Deum nimis amare, vel in eum nimis sperare, vel ei nimis credere.

Per accidens tamen, ex parte nostri, virtus theologica in medio consistere potest; « quia, etsi non possumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando, et amando secundum mensuram nostræ conditionis. » *(S. Th., 1. 2, q. 64, a. 4).* Sic, v. gr., spes est media inter præsumptionem et desperationem; similiter fides est media inter diversas hæreses: potest enim homo fidem corrumpere sive per excessum, credendo quæ non sunt credenda, sive per defectum, non credendo quæ sunt credenda.

§ 2. *De Connexione virtutum*[1].

1300. — I. *Virtutes intellectuales non sunt inter se connexæ;* versantur enim circa diversas materias inter se non connexas, sicut patet in diversis scientiis et artibus. — *Nec*

[1] S. Th., 1. 2, q. 65; Gotti, q. III, dub. 2; Gibbon, Disp. XII; Gonet, *Clyp.*, Disp. V, a. 2.

sunt connexæ cum virtutibus moralibus aut theologicis; experientia enim constat perditissimos quosque homines non raro scientiam aut artem callere.

1301. — II. *Caritas cum fide et spe ita connectitur, ut sine eis existere non possit.*

Caritas primum in animam infunditur una cum gratia sanctificante. Sed, sicut caritas, ita et fides et spes cum gratia infunduntur. Caritas igitur sine fide et spe infundi nequit; ac proinde in sua infusione caritas est a fide et spe inseparabilis.

Præterea, fides semel infusa, sola infidelitate amittitur; spes, desperatione. Sed, tum infidelitas tum desperatio sunt peccata lethalia, quæ caritatem expellunt. Nequit igitur caritas in homine remanere, fide aut spe pereunte.

Fidem autem et spem sine caritate existere posse, est *de fide*, ex Trid., Sess. VI, can. 28; deficiente tamen caritate, fides et spes rationem perfectæ virtutis non habent, cum ordinatio in finem ultimum, quæ habetur per solam caritatem, eis desit.

1302. — III. *Caritas esse potest sine virtutibus moralibus acquisitis, non autem sine moralibus infusis.*

Ratio primi est, quia virtus moralis acquisita generatur per actuum frequentationem. Sed sæpius contingit, ut ante justificationem vel nulli adfuerint actus virtuosi, sicut in justificatione parvulorum; vel adfuerint actus non sufficientes ad generandum habitum, sicut in justificatione eorum adultorum, qui fere nulla opera bona posuerunt.

Ratio secundi est, quia virtutes morales infusæ radicantur in gratia et caritate, atque ex eis naturali sequela effluunt. Unde positis gratia et caritate, semper etiam in homine adest virtutum infusarum comitatus.

1303. — IV. *Virtutes morales infusæ ita inter se sunt connexæ, ut una sine aliis esse non possit.* — Ratio est, quia omnes virtutes morales infusæ æqualiter in caritate radicantur; nulla autem infusa moralis ab homine tolli potest, nisi tollatur caritas; sed caritate sublata, virtutes morales omnes una cum ea tolluntur.

1304. — V. *Virtutes morales acquisitæ, si sunt imperfectæ, inter se non connectuntur; sed una sine aliis existere potest.* — Virtus moralis imperfecta nihil est aliud, quam quædam inclinatio ad bonum opus faciendum, quæ in nobis vel ex naturali complexione, vel ex quadam assuetudine existit, et se habet per modum dispositionis mobilis, quæ firmam facultatem vincendi omnia impedimenta non tribuit. Sic, v. gr., nonnulli, licet prompti ad eleemosynam elargiendam, tamen ad opera humilitatis prompti non sunt, et proinde levis injuriæ causa, operibus misericordiæ supersedent.

1305. — VI. *Virtutes morales acquisitæ, si sunt perfectæ, ad invicem ita sunt connexæ, ut una absque aliis existere nequeat.* — Ita docent communiter Patres et theologi.

Prob. 1. Virtus efficit, ut aliquis in quavis circumstantia prompte et delectabiliter operetur. Porro, nullus, nisi omnes virtutes morales, saltem quoad statum communem, possideat, potest in quavis occasione opera alicujus virtutis semper bene præstare; utpote cum sæpissime ad actum unius virtutis aliæ virtutes concurrere debeant. Sic., v. gr., si quis possidens justitiam, liberalitate careret et pecuniæ cupiditate flagraret, hic, si occasio se dederit, vel contra justitiam peccaret, vel nonnisi magna cum difficultate alteri debitum redderet.

2. Perfecta virtus moralis dependet a prudentia perfecta, cujus est, non solum in generali, sed in qualibet occasione occurrente, cuilibet virtuti medium assignare. Jamvero, si qua virtus moralis desideratur, prudentia jam nequit esse perfecta, nec proinde aliæ virtutes morales perfectæ esse possunt.

Et re quidem vera: Ut homo in omni casu particulari rectum consilium et judicium, quod est actus prudentiæ, ferre possit, necesse est appetitum ejus quoad appetitionem finis esse rectum: ex prava enim appetitione finis pervertitur judicium intellectus. Atvero cujuslibet virtutis moralis est rectificare appetitum in ordine ad finem; unde ex defectu cujuslibet virtutis moralis adest prava dispositio in appetitu, et consequenter judicium intellectus practici etiam circa alias virtutes perverti potest. Sic, v. gr., qui circa honores male est

affectus, ex ambitione practice judicare potest quædam, justitiæ aut fortitudini adversantia, esse licita.

§ 3. *De Perfectione virtutum.*

1306. — Non agitur in præsenti paragrapho, nec de absoluta cujuslibet virtutis perfectione in se considerata; nec de ea perfectione, qua aliquis virtutes in majori vel minori gradu possidere potest; verum de perfectione relativa, qua una virtus alia dignior est, unice tractatur.

Virtutes speciei diversæ non esse æqualiter perfectas atque nobiles, sed multiplici varietate inter se differre, docent omnes doctores.

Mensura nobilitatis virtutis est nobilitas objecti, circa quod versatur. « Magnitudo virtutis secundum suam speciem, *inquit S. Th.*, consideratur ex objecto. » *(1. 2, q. 66, a. 5).* — Ergo « illa virtus est nobilior quæ habet nobilius objectum. » *(Loc. cit., a. 3).* — Igitur:

1307. — I. *Virtutum nobilissimæ sunt virtutes theologicæ;* respiciunt enim Deum ut proprium objectum. — Theologicarum autem virtutum nobilior est caritas, secundum illud Apostoli (I Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.* — Ratio est, quia caritas propiorem se habet suo objecto, quam fides et spes: fides enim et spes « important in sui ratione quamdam distantiam a suo objecto; est enim fides de non visis, spes autem de non habitis; sed amor caritatis est de eo quod jam habetur. » *S. Th. (loc. cit., a. 6).*

1308. — II. *Post virtutes theologicas, ratione speciei nobilissimæ sunt virtutes intellectuales.* — « Manifestum est, *inquit S. Th.*, quod objectum rationis est nobilius quam objectum appetitus; ratio enim apprehendit aliquid in universali, sed appetitus tendit in res quæ habent esse particulare. Unde simpliciter loquendo, virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sunt nobiliores quam morales, quæ perficiunt appetitum. » *(Loc. cit., a. 3).*

III. *Ratione rectitudinis et directionis in finem, virtutes morales sunt perfectiores intellectualibus.* — « Si consideretur virtus in ordine ad actum, *ait S. Th.*, sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cujus est movere alias potentias ad actum, nobilior est. Et quia virtus dicitur ex eo quod est principium alicujus actus, cum sit perfectio potentiæ, sequitur etiam quod ratio virtutis magis competat virtutibus moralibus quam virtutibus intellectualibus; quamvis intellectuales sint nobiliores habitus simpliciter. » *(Loc. cit., a. 3).*

Et quia vera hominis bonitas desumitur ex ordine actuum ad finem, homo dicitur bonus simpliciter non secundum virtutes intellectuales, sed secundum virtutes morales.

1309. — IV. *Inter virtutes intellectuales nobilissima est sapientia;* quia « objectum sapientiæ præcellit inter objecta omnium virtutum intellectualium: considerat enim causam altissimam quæ est Deus. Et quia per causam judicatur de effectu, et per causam superiorem de causis inferioribus: inde est quod sapientia habet judicium de omnibus aliis virtutibus intellectualibus, et ejus est ordinare omnes, et ipsa est quasi architectonica respectu omnium. » *(S. Th., loc. cit., a. 5).* — Post sapientiam, primum locum occupat intellectus primorum principiorum; secundum, scientia; ultimum vero, ars.

1310. — V. *Inter virtutes morales nobilissima est prudentia,* quæ subjectatur in intellectu, et verum practicum considerat, aliasque virtutes morales in suis actibus dirigit.

1311. — VI. *Inter virtutes pure morales, justitia alias nobilitate superat,* tum quia in voluntate residet, quæ est facultas rationi propior, tum quia nobilius habet objectum, operationes scilicet, quibus homo non solum in seipso, sed etiam ad alterum bene ordinatur. — Post justitiam, nobilior ponitur fortitudo; denique temperantia. *(S. Th., loc. cit., a. 4).*

PARS I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Tres enumerantur virtutes theologicæ: *fides*, *spes*, et *caritas*. Præmissis igitur notionibus quibusdam de virtutibus theologicis in genere, agendum erit I. de fide; II. de spe; III. de caritate.

PRÆNOTANDA.

1312. — Definitio. — Virtus theologica definitur: *Virtus infusa pro immediato objecto habens Deum supernaturaliter cognitum.* — Dicitur *virtus infusa*, quia aliunde haberi non potest nisi a Deo ipsam infundente. — *Pro objecto immediato habens Deum supernaturaliter cognitum*, quia « objectum theologicarum virtutum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostræ rationis cognitionem excedit. » *S. Th. (1. 2, q. 62, a. 2).* — Per hæc definitionis verba virtus theologica a virtute morali infusa distinguitur; hujus enim objectum *immediatum* sunt *media*, quibus homo in Deum ordinatur: Deus vero est tantum ejus objectum *mediatum*, quia per virtutem moralem homo in Deum ordinatur mediantibus actibus, qui directe et immediate sunt virtutis moralis objectum, ut, v. gr., patet de religione, cujus objectum immediatum est cultus Deo exhibendus; objectum vero mediatum est Deus, cui cultus defertur.

1313. — Necessitas virtutum theologicarum. — Homo virtute perficitur in ordine ad actus, quibus beatitudinem consequi debet. Est autem duplex hominis beatitudo, videlicet: *naturalis* una, ad quam homo per suæ naturæ principia pervenire potest; ad hanc consequendam homo virtutibus naturalibus perficitur; *supernaturalis* altera, ad quam principia naturalia non sufficiunt, sed ad quam homo sola virtute di-

vina pervenire potest, secundum quamdam divinitatis participationem. « Unde oportet, *ait S. Th.*, quod superaddantur homini divinitus aliqua principia per quæ ita ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem; non tamen absque adjutorio divino: et hujusmodi principia virtutes dicuntur theologicæ; tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur; tum quia sola divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur. » *(1. 2, q. 62, a. 1).*

1314. — Numerus virtutum theologicarum. — Tres dari virtutes theologicas constat ex Scriptura. Legimus enim (I Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.* — Eumdem numerum approbat Tridentinum (Sess. VI, cap. 7): « In ipsa justificatione, *inquit*, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et caritatem. »

Ternarium istum numerum esse convenientissimum manifestat ipsa ratio. « Virtutes theologicæ, *ait S. Thomas*, hoc modo ordinant hominem ad beatitudem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem. Hoc autem contingit secundum duo: primo quidem secundum rationem vel intellectum, in quantum continet prima principia universalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in speculandis, quam in agendis; secundo per rectitudinem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Sed hæc duo deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud (I Cor. II, 9): *Oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Unde oportuit quod quantum ad utrumque aliquid homini supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primo quidem quantum ad intellectum adduntur homini quædam principia supernaturalia, quæ divino lumine capiuntur; et hæc sunt credibilia, de quibus est fides. Secundo vero est voluntas, quæ ordinatur in illum finem et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem; et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per caritatem. Appetitus enim uniuscujusque rei naturaliter movetur et tendit in finem sibi connaturalem; et iste motus provenit ex quadam conformitate rei ad suum finem. » *(Q. 62, a. 3).*

1315. — Virtutes theologicæ specie ab invicem differunt. — Quamvis omnes virtutes theologicæ Deum pro objecto habeant, specie tamen ab invicem differunt propter diversam rationem formalem sub qua Deo inhærent.

« Potest aliquis, *ait S. Thomas*, alicui inhærere dupliciter: uno modo propter seipsum; alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur. Caritas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo adhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem; credimus enim ea vera esse quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. » *(2. 2, q. 16, a. 6).*

CAPUT I.

DE FIDE.

Cum objectum fidei sit etiam totius theologiæ objectum, de fide multa essent dicenda, quæ tamen in compendio theologiæ silentio præterire necesse est. Præcipua tantum attingemus, et quidem: I. de fide in genere; II. de objecto fidei; III. de ipsius actu; IV. de mutua relatione fidem inter et rationem.

ARTICULUS I.

DE FIDE IN GENERE.

1316. — Nominis significatio. — Vox *fides*, in sacris Codicibus multiplici accipitur significatione: quandoque pro conscientiæ dictamine usurpatur, juxta illud (Rom. XIV, 23): *Omne quod non est ex fide, peccatum est.*; — quandoque pro

fiducia, ut (Jacob. I, 6): *Postulet autem in fide, nihil hæsitans;* — quandoque pro fidelitate in promissis; quo in sensu ait Apostolus (Rom. III, 3): *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* — quandoque pro ipsa re promissa, sicut Apostolus de quibusdam viduis ait (I Tim. V, 12): *primam fidem irritam fecerunt;* — quandoque pro gratia gratis data (I Cor. XII, 9): *Alteri fides in eodem Spiritu.*

Communi tamen sensu, *fides* sumitur pro quacumque cognitione in testimonio alterius fundata, cujus actus dicitur *credere:* quo in sensu de fide sermo est in hocce tractatu. — Fides est *humana* vel *divina,* prout hominis vel Dei testimonio innititur.

1317. — Elementa fidei divinæ. — Fides divina tria necessario involvit, quorum singula, etiam seorsim sumpta, fides vocantur, nimirum: *a) objectum,* quod creditur; vocatur fides *objectiva.* De ea legimus (Eph. IV, 5): *Unus Dominus, una fides;* et in Symbolo S. Athanasii: « Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. » — *b) Actus,* quo Deo testificanti assentimur; vocatur fides *actualis;* de qua legimus (Matth. IX, 28, 29): *Creditis quia hoc possum facere vobis?... Secundum fidem vestram fiat vobis.* — *c) Habitus,* quo homo ad assensum Deo loquenti præstandum inclinatur; vocatur fides *habitualis,* et est virtus theologica. De ea scriptum est (I Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, caritas.* — De his tribus seorsim est agendum.

NB. Cum ex his tribus *objectum* non dicatur fides nisi per respectum ad habitum et actum, ipse autem actus non vocetur fides nisi ex habitu, a quo procedit: ideirco per fidem divinam proprie et antonomastice significatur ipsa *virtus fidei.*

1318. — Definitio virtutis fidei. — Fides a S. Alphonso definitur: *Virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veracitatem omnibus, quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit. (Hom. Ap., Tr. IV, n. 1).*

« Dicitur, *addit S. Doctor,* 1. *Virtus theologica,* id est, Deum respiciens... 2. *A Deo infusa,* quia fides est donum Dei

supernaturale. 3. *Inclinans nos ad firmiter credendum*, nam assensus fidei non potest esse cum formidine, sed debet esse firmus. 4. *Ob divinam veracitatem*, cum infallibilis veritas (quæ est ipse Deus) sit objectum formale fidei. 5. *Omnibus quæ Deus revelavit*, cum omnia a Deo revelata sint objectum materiale fidei. 6. *Et per Ecclesiam nobis credenda proposuit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur, nisi per Ecclesiam, quæ eam proponit... Quare aiebat S. Augustinus *(Ep. fund., c. 5): Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.* »

Prædicta definitio non est aliud nisi explicatio definitionis, quam tradidit Apostolus (Hebr. XI, 1): *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Vocatur fides *substantia*, id est, fundamentum et prima inchoatio *rerum sperandarum*, in quibus consistit nostra beatitudo. « Fides, *ait S. Th.*, dicitur esse substantia rerum sperandarum, quia scilicet prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas. In hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus. » *(2. 2, q. 4, a. 1).* — Dicitur: *argumentum non apparentium*: argumentum, id est, firmus assensus intellectus, seu convictio de veritate occulta. « Per argumentum, *inquit Angelicus*, intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero; unde ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem fidei non apparentem vocatur hic argumentum. Unde alia littera habet *convictio*; quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his quæ non videt. » *(Loc. cit.)*

1319. — Fidei divisio. — Fides cum objectiva tum subjectiva multipliciter distinguitur. De fide objectiva in art. secundo sermo occurret; — fides subjectiva distinguitur:

1. *In fidem divinam et in fidem catholicam.* Fides *divina* simpliciter dicta, ea est qua ob testimonium Dei loquentis ea omnia credimus, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur. — Fides *catholica*, seu *divino-catholica*, ea est, qua credimus eas veritates revelatas, quas Ecclesiæ magisterium nobis explicite credendas proponit *(cf. n. 31, 1)*. — Latius igitur extenditur fides divina quam catholica: omnia enim, quæ in verbo Dei continentur, sunt fide divina, non autem fide catholica, credenda.

2. *In fidem explicitam et in fidem implicitam.* — *Explicita* ea dicitur, qua assentimur veritati, cujus termini a nobis in se concipiuntur et cognoscuntur; v. gr., qui noscit et credit Deum esse trinum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, fidem explicitam habet de SS. Trinitate. — *Implicita* ea dicitur, qua veritatem credimus, cujus termini a nobis in se non concipiuntur nec cognoscuntur; quæ tamen in alia veritate, quam explicite credimus, continetur; v. gr., qui credit quidquid Deus revelavit, vel quidquid credit S. Ecclesia, de omnibus fidem implicitam habet; et qui credit explicite Christum esse verum Deum et verum hominem, implicite credit duas in Christo esse voluntates, etiamsi hoc nesciat.

3. *In fidem internam et in fidem externam.* — *Interna* est assensus animi ad extra non manifestatus; — *externa* est internæ fidei externa manifestatio, per verba, signa, aliosve actus. Utramque indicat Apostolus (Rom. X, 10): *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*

4. *In fidem formatam et in fidem informem.* — *Formata* ea dicitur, quæ in corde hominis cum caritate conjungitur; vocatur etiam fides *viva.* — *Informis*, seu *mortua*, ea dicitur, quæ est in homine existente in statu peccati mortalis. Amissa enim caritate per peccatum, non semper amittitur fides, ut definivit Tridentinum, Sess. VI, can. 28. *(Cf. n. 1301).*

ARTICULUS II.

DE OBJECTO FIDEI.

Quemadmodum cujuslibet virtutis, sic fidei duplex distinguitur objectum: formale scilicet, et materiale.

§ 1. *De formali objecto fidei* [1].

1320. — Objectum *formale quo* fidei est motivum seu medium, quo intellectus ad assensum veritatibus revelatis præ-

[1] Cf. Gibbon, *De fide*, Disp. VI, dub. 1-3; Duval, In II. II, q. I, a. 1; Mazzelta, *De Virt.*, n. 301 et seq.

standum movetur. « Formalis ratio objecti, *inquit S. Th.*, est sicut medium, propter quod tali credibili assentitur. » *(2. 2, q. 2, a. 2).*

Formale objectum fidei est *Deus prima veritas in dicendo*, seu est *auctoritas Dei loquentis seu testificantis*, qui nec falli nec fallere potest.

Triplex distinguitur veritas:

a) Veritas in essendo, quæ est conformitas rei ad sua principia, seu ad ideam divinam: hæc in Deo est ipsa divina essentia, quæ per se est id quod est; ratione hujus Deus dicitur *prima veritas in essendo.*

b) Veritas in cognoscendo, quæ est conformitas intellectus ad rem cognitam, quando scilicet intellectus rem cognoscit prout est in se: huic opponitur *falsitas.* Hæc in Deo est summa sapientia et omnimoda infallibilitas, qua omnes res ita cognoscit, ut eum falli sit prorsus impossibile.

c) Veritas in dicendo, quæ est conformitas dictorum ad mentem dicentis, et vocatur *veracitas*, cui opponitur mendacium. Veracitas seu veritas in dicendo, cum sit perfectio simpliciter simplex, virtus scilicet inclinans ad verum semper dicendum, ita essentialiter Deo convenit, ut ipse sit per essentiam verax, et eum mentiri aut fallere posse omnino repugnet.

1321. — Jamvero: *a) prima veritas in essendo nequit esse ratio formalis fidei.* — Prima enim veritas in essendo, seu Deus in ratione deitatis, cum sit objectum commune cujuslibet virtutis theologicæ, actum vel habitum fidei specificare non potest. — Sed prima veritas in essendo est objectum *formale quod*, seu *objectum materiale primarium per se* fidei.

b) Nec prima veritas in cognoscendo potest esse fidei ratio formalis proxima et immediata: prima enim veritas in cognoscendo per se non dicit ordinem ad alios; licet enim Deus omnia perfecte cognoscat, potuisset tamen nihil hominibus manifestare; unde et fidei locus non fuisset. Attamen, prima veritas in cognoscendo est fundamentum remotum, et quasi remota ratio formalis fidei. Certitudo enim actus fidei

expostulat, ne in revelatis ulla adsit erroris formido. Ad hoc autem necesse est non solum ut Deus fallere nec velit nec possit, sed etiam ut ipse falli nequeat. Deum autem falli non posse, ab infallibili et summa ejus sapientia procedit.

c) Proxima igitur et immediata ratio formalis fidei est ipse Deus prima veritas in dicendo, præsupponens primam veritatem in cognoscendo; seu, est auctoritas Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

1322. — Prop. *Objectum formale fidei est Deus, prima veritas in dicendo, seu auctoritas Dei revelantis.*

De fide, ex Vatic., Const. *Dei Filius, III, can. 2:* « Si quis dixerit... ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, A. S. » — Et *in cap. III* legimus: « Hanc fidem... virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. VIII, 26): *Qui misit me, verax est; et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Quibus in verbis, Judæos ut ad credendum inducat, Christus ad Patris veracitatem et ad suam propriam provocat. (Cf. etiam Joan. III, 32; XII, 50). — (Gal. I, 11, 12): *Notum vobis facio Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Quibus verbis Apostolus revelationem Jesu Christi tanquam fidei motivum allegat.

(I Joan. V, 9, 10): *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* Hisce verbis, fidem in Filium Dei inniti testimonio Dei testificantis, expresse indicatur.

II. **Ex auctoritate D. Thomæ.** « In fide, *ait S. Doctor*, si consideremus formalem rationem objecti, nihil aliud est quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur tanquam medio. » *(2. 2, q. 1, a. 1).* — Et: « formale objectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo ut propter eam creditis assentiatur. » *(2. 2, q. 2, a. 2; cf. De Verit., q. 14, a. 8, ad 16).*

III. **Ex Ratione.** 1. De fide divina philosophandum est per analogiam ad fidem humanam. Sed fides humana non nititur rei evidentia, sed sola veracitate hominis testificantis; qua de causa, quo major æstimatur hominis veracitas, eo firmior ipsius dictis adhibetur assensus. Ergo a pari, fides divina non nititur rei evidentia, sed veracitate Dei testificantis, qui nec falli nec fallere potest. Sed id, in quo nititur intellectus tanquam medio ad veritati assentiendum, est objectum *formale quo*. Ergo.

2. Cum virtutis natura ab objecto *formali quo* specificetur, virtus theologica non potest specificari nisi per aliquod attributum in ipso Deo existens. Atqui, præter veracitatem in dicendo, nullum in Deo cogitari potest attributum, ob quod Deo loquenti firmissime assentimur: non assentimur enim Deo loquenti quia est omnipotens, justus, misericors, etc., sed unice quia nec vult nec potest fallere. Unde si fingeremus Deum cæteras omnes perfectiones habere, sed sola destitui veracitate, tunc ei loquenti absque erroris formidine credere non possemus. Sola igitur Dei veracitas in dicendo assignari potest tanquam objectum formale fidei.

1323. — Quæritur I. *Utrum revelatio sit fidei objectum formale partiale, an solum conditio sine qua non.*

Resp. *Controvertitur.* Alii [1] dicunt revelationem objectivam esse partiale fidei motivum, ita ut homo credat et quia Deus est verax, et quia Deus locutus est. — « Sed communior sententia, *ait S. Alphonsus*, docet totale objectum formale fidei esse veracitatem Dei; et revelationem esse tantum conditionem, sine qua non crederemus, sive medium per quod nobis applicatur notitia eorum quæ credimus. » *(Mor., l. II, Tr. 1, n. 4).*

[1] Gibbon, *loc. cit.*, dub. 5; Mazzella, n. 348.

1324. — Quæritur II. *An auctoritas Ecclesiæ proponentis constituat partiale fidei motivum* [1].

Resp. *Negative.* Licet propositio ab Ecclesia facta sit via ordinaria ad veritates revelatas cognoscendas, ipsa tamen non est semper absolute necessaria; ac proinde sine ipsa haberi potest fides divina. — *Præterea,* motivum fidei divinæ debet adæquate esse aliquid increatum et divinum. Ecclesiæ autem auctoritas est aliquid creatum. Ipsa igitur nequit motivum fidei ingredi. Assentimur ergo veritatibus ab Ecclesia nobis propositis propter auctoritatem Dei loquentis; per propositionem autem Ecclesiæ certificamur tales in specie veritates a Deo vere esse revelatas.

1325. — Corollarium. Ex dictis sequitur actum fidei resolvi: *a) formaliter* in auctoritatem Dei loquentis; ita ut si a fideli petitur, quæ sit ultima ratio, propter quam credit, respondere debeat: credo quia Deus, qui est summe verax, hoc revelavit. Ratio ulterior quæri non potest. — *b) Dispositive,* in motiva credibilitatis, quæ hominem ad revelationem amplectendum inducunt. — *c) Directive,* in auctoritatem Ecclesiæ, quæ, cum sit a Deo constituta custos revelationis, via est ordinaria, ex qua, aliquid esse a Deo revelatum, certo cognoscimus. — *d) Effective,* in habitum infusum fidei, et in ipsum Deum, qui hominem gratia sua ad credendum movet et adjuvat.

§ 2. *De materiali objecto fidei.*

Objectum materiale fidei vocantur veritates, quibus ob Dei loquentis auctoritatem assensum præbere tenemur: complectitur omnia, quæ in Verbo Dei tam scripto quam tradito continentur.

1326. — Divisio. — Licet omnia, quæ in Verbo Dei continentur, ob Dei revelantis aut loquentis auctoritatem credi debeant, et objectum fidei constituant, non omnia tamen eodem modo dicuntur esse fidei objectum. Aliud siquidem est objectum fidei primarium, aliud secundarium; aliud etiam est objectum fidei directum, aliud indirectum.

1. Objectum *primarium materiale* fidei est *solus Deus,* prima veritas in essendo, seu Deus sub ratione deitatis. Ob-

[1] Cf. Gibbon, *loc. cit.,* dub. 7 et 8; Gotti, *De fide,* q. I, dub. 2, § 4.

jecta *secundaria* sunt omnia alia, quæ præter Deum in verbo Dei continentur; dicuntur *secundaria*, quia a fide non attinguntur, nisi secundum quod habent ordinem ad Deum.

« Si consideremus materialiter ea quibus fides assentit, *ait S. Thomas*, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte objectum fidei est quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide nisi in ordine ad Deum; sicut etiam objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat nisi in ordine ad sanitatem. » *(2. 2, q. 1, a. 1).*

Objectum materiale primarium vocatur etiam objectum *formale quod* fidei, quia ratione sui a fide attingitur, cætera vero ab ea non attinguntur nisi in ordine ad objectum primarium: dicitur etiam *objectum attributionis*, quia omnia secundaria ad illud ordinantur.

2. In Scripturis Sacris veritates continentur, quas Deus superna revelatione homines edocuit, ut per eas immediate in vitam æternam ordinarentur; cujusmodi sunt mysteria fidei. Hæ veritates constituunt fidei objectum *directum et secundum se*.

Aliæ sunt veritates, (præcipue in his quæ ad scientias naturales pertinent), quæ per se ad salutem non adjuvant, et quas Deus homines proprie doceri noluit. « Scriptores Sacros, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII* cum S. August., seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura. » *(Encycl. Providentissimus).* — Hæ veritates objectum fidei constituunt indirectum et per accidens.

« Aliqua sunt credibilia, *inquit S. Th.*, de quibus est fides secundum se; aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia... Per se ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi, et alia hujusmodi... Quædam vero proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem; sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus

est mortuus, et alia hujusmodi.» *(2. 2, q. 1, a. 6, ad 1: cf. q. 2, a. 5, et P. 1, q. 32, a. 4).*

1327. — **Prop. I.** *Objectum materiale fidei est illud omne et solum, quod in verbo Dei scripto vel tradito continetur.* — Certa.

Prob. Objectum materiale alicujus virtutis est illud omne et solum, quod induitur ratione formali illius virtutis; sicut, v. gr., objectum materiale visus est omne et solum corpus coloratum. Sed ea omnia et ea sola, quæ in verbo Dei continentur, induuntur ratione formali fidei; cum enim ratio formalis fidei sit auctoritas Dei revelantis seu loquentis, ea omnia et ea sola, quæ Deus locutus est, admitti possunt et debent propter divinam veracitatem. Quidquid igitur in Scripturis Sacris continetur, etiam res minimæ, quia dictatum est a Deo, fide divina credendum est; et qui vel minimum pertinaciter ut falsum rejiceret, Dei veracitatem destrueret. « Et ideo, *inquit De Lugo,* æque esset hæreticus, et amitteret fidem, qui negaret Tobiæ canem, ac qui negaret incarnationem.» *(De fide, disp. III. n. 4).*

1328. — **Prop. II.** *Primarium fidei divinæ objectum materiale est solus Deus, prima veritas in essendo, seu Deus sub ratione Deitatis*[1]. — Certa.

Duo in propositione sunt probanda, scilicet: Ipsum Deum esse objectum fidei primarium: et illum esse objectum fidei sub ratione primæ veritatis in essendo.

Prob. I. Pars: Primarium et principale obiectum alicujus habitus illud dicitur, quod primo et per se ab habitu attingitur, et ad quod omnia alia, quæ ab eo attinguntur, ordinantur; sicut, v. gr., « objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat nisi in ordine ad sanitatem.» *(S. Th., 2. 2, q. 1, a. 1).* Jamvero:

a) Fides, cum sit virtus theologica, per se et primo respicit solum Deum. « Fidei primum et maximum officium est,

[1] Cf. S. Th., *De Verit.*, q. 14, a. 8; Gibbon, Disp. VI, dub. 1; Gonet, Disp. I, § 2.

ait S. August., ut in unum credatur Deum. » *(De Civit. Dei, l. IV, c. 28).* — Et *S. Thomas:* « Fides, *inquit,* quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale objectum. » *(De Verit., q. 14, a. 8).*

b) Cætera vero omnia fides non respicit nisi in ordine ad Deum. « Ea quæ pertinent ad humanitatem Christi, *ait S. Th.*, et ad sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascumque creaturas, cadunt sub fide, in quantum per hæc ordinamur ad Deum, et eis etiam assentimus propter divinam veritatem. — Et similiter dicendum est de omnibus illis quæ in Sacra Scriptura traduntur. » *(2. 2, q. 1, a. 1, ad 1).*

Prob. II. Pars: « Fides, *ait S. Th.*, cum S. Dionysio, est circa simplicem et semper existentem veritatem. Hæc autem est prima veritas. Ergo objectum fidei est prima veritas. » *(Loc. cit., sed cont.).* — Sed veritas simplex et semper existens, est prima veritas in existendo.

Suffragatur ratio: Fides est virtus in intellectu existens. Sed objectum intellectus non est nisi verum. Cum igitur Deus sit objectum fidei, non potest esse ejus objectum nisi sub ratione primæ veritatis in essendo.

1329. — Prop. III. *Objectum materiale fidei divinæ catholicæ est illud omne et solum, quod in Verbo Dei continetur, et ab Ecclesia tanquam divinitus revelatum omnibus credendum proponitur.*

De fide, ex Vatic., Const. *Dei Filius*, c. 3: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. » *(Cf. n. 31. 1).*

Hæc Vaticani verba duplicem indicant conditionem, ut aliqua veritas sit fidei catholicæ objectum.

Prima conditio est, ut veritas in verbo Dei, in Sacra scilicet Scriptura, aut in traditione, contineatur. Quocirca: *a)* nihil unquam potest ab Ecclesia definiri ut fide divina credendum, nisi quod est a Deo revelatum: fides enim unice testimonio Dei loquentis nititur. *b)* Nec sufficit ut veritas sit re-

velata revelatione privata alicui Sancto decursu temporis facta; Ecclesia enim non accepit magisterium pascendi ovile Christi veritatibus, quæ privatis personis revelatæ sunt, sed solum veritatibus, quæ in deposito fidei, hoc est, in Scriptura et traditione continentur. *(S. Th., P. 1, q. 1, a. 8, ad 2)*[1].

Secunda conditio est, ut veritas *tanquam divinitus revelata ab Ecclesia omnibus credenda proponatur:* ad solam enim Ecclesiam pertinet, quid sit a Deo revelatum, infallibiliter judicare. Quæ veritatis propositio, docente Vaticano, duplici modo fieri solet, scilicet: *a) sive solemni judicio*, qui modus est extraordinarius, et habetur quando a S. Pontifice ex cathedra loquente, aut a Concilio œcumenico aliqua veritas definitur; — *b) sive ordinario et universali magisterio*, qui modus est ordinarius, et in eo consistit quod Ecclesia per suos pastores et doctores per orbem diffusos universaliter affirmat, aliquam veritatem esse a Deo certe revelatam et in deposito fidei contentam, tametsi nullis sit Romanorum Pontificum aut Conciliorum decretis definita[2].

1330. — Scholium. *De veritatibus implicite in revelatione contentis.*

Duplici modo aliqua veritas a Deo nobis revelari potest, *explicite* scilicet et *implicite*. — *Explicite* revelata dicitur illa veritas, quæ ex terminis, quibus revelatur, clare innotescit: ut, v. gr., *Verbum caro factum est.* — *Implicite* revelata ea dicitur, quæ ex terminis clare non innotescit, continetur tamen in propositione quadam explicite revelata; ut, v. gr., Virginis Mariæ conceptio immaculata continetur verbis Genesis III, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem.*

Quod implicite est revelatum, potest in explicite revelato dupliciter contineri, *formaliter* scilicet et *virtualiter*[3].

Implicite formaliter in revelatione contentum illud dicitur, quod adest in revelatione ex intentione Spiritus Sancti,

[1] Cf. Bened. XIV, *De servor. Dei beatif.*, l. III, c. 53, n. 15. — [2] Cf. Mazzella, n. 364; Berthier, *De locis theol.*, n. 377; Vacant, *Le magistère ordinaire de l'Eglise.* — [3] Cf. De Lugo, *De fide*, Disp. III, n. 65.

ac proinde est vere a Deo dictum, quamvis ex terminis clare non manifestetur, ut, v. gr., immaculata Virginis Conceptio, in verbis Genesis supra relatis.

Implicite virtualiter in revelatione contentum illud vocatur, ad quod intentio Spiritus Sancti non fertur, et quod proinde non est a Deo proprie dictum; attamen vinculo aliquo metaphysico cum veritate revelata connectitur, ex qua ope ratiocinii evidenter deducitur; hujusmodi sunt, v. gr., proprietates ab essentia rei, quæ revelatur, necessario fluentes. Eo ipso enim quod Deus aliquam veritatem explicite revelat, virtualiter ea etiam revelat, quæ cum prædicta veritate necessariam connexionem habent, quamvis illa proprie manifestare non intenderit. *(Cf. dicta n. 29).*

Veritas, quæ *implicite virtualiter* in revelatione continetur, et ex propositione revelata stricto et proprie dicto ratiocinio deducitur, secundum communiorem opinionem, non est objectum fidei nec quoad se, nec quoad nos; quia taliter revelatum non est proprie a Deo dictum, eique assentimur non ob solam Dei loquentis auctoritatem, sed etiam ob demonstrationis evidentiam. Quare, si conclusio stricte theologica ab Ecclesia definitur, ipsa, secundum communiorem sententiam, credenda est non fide divina, sed fide ecclesiastica.

Veritas vero, quæ implicite formaliter in explicite revelato continetur, atque ex eo per ratiocinium late sumptum, seu per simplicem terminorum explicationem deducitur, est *quoad se* objectum fidei divinæ, quia est a Deo intenta et prolata, et ideireo ob solam Dei loquentis auctoritatem credi potest: et *quoad nos* fit objectum fidei, statim ut sufficienter innotescit, fideque divina simpliciter, aut fide divino-catholica credi debet, prout sive per privatam inquisitionem aut per publicam Ecclesiæ propositionem innotescit [1].

1331. — Veritatem quamdam formaliter contineri in altera revelata, per ratiocinium quadrupliciter manifestari potest: vel ope alterius propositionis revelatæ; vel ope propositionis physice vel metaphysice certæ; vel ope propositionis certæ certitudine morali ab-

[1] Cf. Tournely, *De locis theol., de censuris,* art. 2.

soluta, quæ omnem formidinem excludit; vel demum ope propositionis certæ certitudine morali minori, quæ omnimodam certitudinem non præbet.

a) Conclusio, quæ ex veritate revelata ope alterius revelatæ eruitur, est ipsa revelata, et fide divina credenda. V. gr., omnes Apostoli receperunt Spiritum Sanctum; atqui Petrus est Apostolus; ergo Petrus accepit Spiritum Sanctum.

b) Conclusio, quæ eruitur ex veritate revelata ope alterius physice vel metaphysice certæ, secundum communem sententiam, censenda est revelata, et fide divina credenda. V. gr., omnes homines in Adamo peccaverunt; atqui Petrus est homo; ergo Petrus peccavit in Adamo. Ratio est, quia talis propositio singularis continetur in universali revelata, tanquam pars in toto.

c) Conclusio, quæ eruitur ex veritate revelata ope propositionis certæ certitudine morali absoluta, secundum communiorem sententiam censenda est revelata, et fide divina credenda; quia censetur contineri in universali, sicut pars in toto. V. gr., omne Concilium œcumenicum legitime congregatum est infallibile; atqui tale fuit Concilium Vaticanum; ergo Concilium Vaticanum fuit infallibile. — Alii tamen dicunt hujusmodi conclusiones, non fide divina, sed fide ecclesiastica esse admittendas [1].

d) Conclusio, quæ eruitur ex veritate revelata ope propositionis certæ certitudine morali minori, licet possit esse de fide quoad se et implicite credi, non est tamen objectum fidei quoad nos, nec fide divina explicita creditur; quia non omnimoda certitudine constare potest talem conclusionem in revelata certo contineri. V. gr., omnis hostia rite consecrata continet corpus Christi. Atqui *hæc* hostia est rite consecrata. Ergo continet corpus Christi. — Quo in argumento propositio: *hæc hostia est rite consecrata,* neque omnimodam neque infallibilem habet certitudinem; quocirca, nec conclusio infallibilem certitudinem habere potest.

1332. — Quæritur I. *An fides et scientia possint esse in eodem subjecto de eodem objecto.*

NB. *a)* In deposito revelationis continentur cum veritates, quæ captum humani intellectus undequaque superant: hæ sunt mysteria proprie dicta; — tum veritates, quæ ab intellectu humano per se attingi possunt; quas tamen Deus etiam revelare dignatus est; cujusmodi est, v. gr., existentia Dei. De his solis movetur quæstio.

b) Evidentia naturalis duplex datur: una *immediata,* quæ habetur per objecti visionem sive corpoream sive intellectualem; v. gr., cognitio primorum principiorum; — altera *mediata,* quæ per demons-

[1] Cf. Mazzella, *De Virt. inf.,* n. 431 et seq.

trationem acquiritur, v. gr., existentia Dei. Ea, quæ evidentia mediata cognoscuntur, *scita* vocantur.

c) Ratio dubitandi, an de objecto evidenti possit dari fides, est, quia ut communiter docent doctores [1], objectum terminativum fidei debet essentialiter esse obscurum, secundum illud Apostoli (Hebr. XI, 1): *Est autem fides... argumentum non apparentium.* Ubi igitur est naturalis evidentia objecti, ibi ratio fidei tolli videtur.

Quibus notatis respondetur:

1. *Thomistæ* [2] et *Scotistæ* [3] docent, de objecto evidenter cognito, sive viso sive scito, non posse in eodem intellectu dari actum fidei: ratio est, quia objectum evidens quacumque evidentia, per se movet intellectum ad assensum, nec proinde illud potest credi ob solam auctoritatem alterius.

2. *Durallius* [4] contra, *Suarez* [5], *de Lugo* [6], *Tanner* [7], *Mazzella* [8], aliique, præsertim e Soc. Jesu, theologi, docent de objecto evidenti, sive viso visione tam corporali quam intellectuali, sive scito per strictam demonstrationem, dari posse in eodem intellectu actum fidei et actum scientiæ, *non quidem simultanee* propter intellectus imperfectionem, qui nequit duos actus diversos ex diversis motivis formalibus simul elicere, *sed successive;* aliquando tamen fieri posse ut tanta sit evidentia naturalis, ut actus fidei amplius elici nequeat [9].

3. Alii denique cum *Magistro Sententiarum* [10], *S. Bonaventura* [11], *Alberto Magno* [12], *Gamachæo* [13], docent, de objecto *viso* non posse dari actum fidei; ratio est, quia tale objectum per se et necessario attrahit intellectus assensum, statim ac facultati est sufficienter propositum; de objecto vero *scito,* qualis est, v. gr., existentia Dei, dari posse et actum scientiæ et actum fidei; ratio est, quia id, quod per demonstrationem habetur, non tanta fulget evidentia, qua major haberi nequeat; ac proinde, cum testimonium Dei testificantis majorem, quam demonstratio naturalis, pariat certitudinem, nihil prohibet quin intellectus eidem rei assentiatur cum propter rei evidentiam, tum propter testimonium Dei loquentis. — Quæ opinio videtur probabilior.

Scientiam et fidem de eodem objecto haberi, ex Vaticano probari potest. Ait enim Concilium, *(Const. Dei Filius, c. 2):* « Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali humanæ rationis lumine ex rebus creatis certo cognosci

[1] Cf. Wenzl, T. 3, p. 340. — [2] Cf. S. Th., 2. 2, q. 1, a. 4 et 5; Gonet, Clyp., *De fide,* Disp. I, a. 6, n. 147. (T. 5, p. 141). — [3] Cf. Panger, *De fide,* disp. II, q. 6. (T. 2, p. 259). — [4] *De fide,* q. I, a. 5, p. 36. — [5] *De fide,* Disp. 3, 109. — [6] *De fide,* Disp. II, sect. 2. — [7] *De fide,* q. I, dub. 6. — [8] *De Virt. inf.,* n. 394. — [9] De Lugo, *loc. cit.,* n. 67. — [10] III. Dist. 24, n. 3. — [11] III. Dist. 24, a. 2, q. 1 et 3. — [12] III. Dist. 24, a. 9. — [13] *De Virt. theol.,* q. I, c. 6 et 7. (T. II, p. 463).

posse;... attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum... revelare.» Et *c. 3 docet* «hanc fidem (esse) humanæ salutis initium»; et «fide divina et catholica ea omnia credenda (esse) quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur.» Ex quibus sequitur, omnes, etiam doctos, qui veritates revelatas lumine naturali certo cognoscunt, ad easdem veritates fide divina credendas teneri. Istas igitur veritates fide simul et scientia cognoscunt.

1333. — Quæritur II. *An objectum materiale fidei decursu temporis creverit?* [1].

Resp. 1. «Quantum ad substantiam articulorum fidei, *inquit S. Th.*, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium patrum, licet implicite.» Etenim: «omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud (Hebr. XI, 6): *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* In esse enim divino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiæ includuntur omnia quæ temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem.» *(2. 2, q. 1, a. 7).*

2. A mundo condito ad Apostolorum tempora, objectum fidei crevit quoad veritates particulares, quæ sunt quasi evolutiones et explicationes earum, quæ antea quoad substantiam jam erant revelatæ. Constat enim ex S. Scripturis, in lege scripta multa fuisse explicite revelata, quæ in lege naturæ implicite tantum credebantur; et multa etiam explicite fuisse revelata Apostolis, de quibus in lege scripta fides tantum erat implicita, teste Apostolo, qui de Incarnationis mysterio agens, ait (Ephes. III, 5): *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus.* «Plus Moyses, quam Abraham, *inquit S. Gregorius*, plus prophetæ, quam Patriarchæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt.» *(Hom. 16 in Ezech.).*

3. Cum Apostolorum morte omnino clausa est series revelationum publicarum; ipsos enim Spiritus S. docuit omnia, quæ ad religionem christianam pertinent (Joan. XIV, 26): *Paracletus autem Spiritus vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Et (XVI, 13): *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* — Crescere tamen potest objectum fidei in hoc sensu, quod, revelatione profundius expensa, quædam fide explicita creduntur, quæ antea implicita tantum credebantur.

[1] Cf. Gibbon, Disp. VII, dub. 3.

ARTICULUS III.

DE ACTU FIDEI.

1334. — Definitio. — Actus fidei, qui *credere* dicitur, definiri potest: *Actus intellectus imperatus a voluntate, quo, ob testimonium Dei, veritatibus revelatis assentimur.* — « Credere, *ait S. Thomas*, est actus intellectus assentientis vero ex imperio voluntatis. » Igitur « ad actum fidei requiritur actus voluntatis, et actus intellectus. » *(2. 2, q. 4, a. 5).*

Actum fidei, qui dicitur assensus, esse *formaliter actum ab intellectu elicitum*, per se manifestum est: solius enim intellectus est veritati assentiri.

Eumdem fidei actum esse *a voluntate imperatum*[1], seu ad actum fidei requiri piam voluntatis affectionem, vel motionem quamdam positivam, qua intellectus moveatur et quasi captivetur ad credendum et obediendum fidei, communis est doctorum sententia.

Enimvero: *a)* In S. Scriptura fides non solum intellectui, sed et voluntati adscribitur. Legimus (Rom. I, 5): *Accepimus gratiam et Apostolatum ad obediendum fidei.* — (Rom. X, 16): *Non omnes obediunt Evangelio.* Sed obedientia actum voluntatis importat. — Item. (Rom. X, 10): *Corde creditur ad justitiam.* — (Luc. XXIV, 25): *O stulti et tardi corde ad credendum.* Sed in his, *cor* pro voluntate ponitur; nullus enim justificatur, nisi volens; nec increpatur, nisi ob id, quod in ipsius voluntate positum est.

b) Idem docent S. Patres. — « Credere aut non credere, *inquit S. Ambrosius*, voluntatis est: neque enim cogi potest (intellectus) ad id quod manifestum non est. » *(Ad Rom. c. 4).* Et *S. August.* « Multa facere potest homo non volens; credere autem non potest nisi volens. » *(Tr. 26 in Joan.).*

c) Denique, ex ipsa ratione colligitur, necessariam esse ad actum fidei voluntatis motionem: fides enim est assensus

[1] Cf. Duval, *De fide*, q. II, a. 2; Gibbon, Disp. X, dub. 3.

certus, excludens omnem formidinem de opposito. Jamvero assensus certus intellectus haberi non potest nisi vel propter evidentiam objecti, quæ cogit intellectum; vel propter imperium voluntatis, quæ intellectum ad firmiter adhærendum objecto proposito determinat. Objectum autem fidei est inevidens; et quantacumque sint credibilitatis motiva, semper in se remanet inevidens: quocirca non potest intellectus ad actum fidei eliciendum ab objecti evidentia determinari. Restat igitur ut voluntas, inclinata per motiva credibilitatis, quæ *ea credere* tanquam aliquid honestum et bonum exhibent, intellectui imperet, ut propter Dei loquentis auctoritatem objectum revelatum amplectatur. *(Cf. 2. 2, q. 1, a. 4).*

1335. — Proprietates actus fidei. — Plures recensentur proprietates actus fidei: est enim *liber*, *supernaturalis*, *obscurus*, *immediatus*, *certus*, et *necessarius*.

1. *Actus fidei est liber*, id est ab omni coactione vel necessitate immunis; ut contra Hermesium definitum est in Conc. Vatic. dicente *(Const. Dei Filius, III, can. 5)*: « Si quis dixerit assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci,... anathema sit. » — Liberum omnino esse fidei assensum ex iis evincitur, quæ modo dicta sunt de motione voluntatis in intellectum, ut hic objecto divinitus revelato adhæreat.

2. *Actus fidei est supernaturalis*, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, adeo ut per solius naturæ vigorem haberi nequeat, et ad eum eliciendum necessaria sit interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis. *(Cf. De Grat., n. 1146 et seq.).*

3. *Actus fidei est obscurus* et inevidens, versatur enim semper circa objectum inevidens, secundum illud Apost. (Hebr. XI, 1): *fides est... argumentum non apparentium*. Licet autem probabile sit aliquid naturaliter scitum posse etiam esse objectum fidei, attamen illud scitum non est objectum fidei quatenus scitum, sed quatenus obscurum, intellectusque per fidem illi assentitur non ob evidentiam intrinsecam, sed unice propter motivum extrinsecum, testimonium scilicet Dei revelantis.

4. *Actus fidei non est discursivus, sed immediatus*, ad modum assensus, quo intellectus primis veritatibus per se notis assentitur. Si enim actus fidei haberetur non per simplicem apprehensionem veritatis a Deo propositæ, sed per discursum, intellectus non ob solam Dei revelantis auctoritatem, sed etiam ob vim sui ratiocinii assentiret [1].

5. *Actus fidei est certus* [2]. Certitudo datur objectiva et subjectiva: utraque actui fidei convenit.

a) Certitudo *objectiva* est infallibilis et necessaria connexio assensûs cum veritate. Porro Deus, cujus testimonio fides nititur, nec falli nec fallere potest, nec proinde aliquid falsum ut verum revelare. Fides igitur ex parte sui objecti est omnino certa.

b) Certitudo *subjectiva* est firmitas adhæsionis absque ulla dubitatione aut formidine de opposito. Hanc assensui fidei essentialiter convenire, constat ex Scriptura et ratione. Legimus (Act. VIII) Philippum Eunucho baptismum petenti respondisse: *Si credis ex toto corde.* Sed credere *ex toto corde*, est absque ulla hæsitatione assensum præbere. *(Cf. etiam Act. II, 37).*

Suffragatur ratio: Certitudo assensus dependet a motivo, quo intellectus ad assentiendum innititur. Sed fides, (ut ait Vaticanum, *Const. Dei Filius, c. III*), firmissimo fundamento, ipsa scilicet Dei loquentis veracitate, nititur. Ergo et assensus fidei est firmissimus et certissimus; imo, ut docent communiter doctores, est omni scientia naturali certior et firmior. « Certitudo duo importat, *inquit S. Th.*, scilicet firmitatem adhæsionis et quantum ad hoc fides est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quæ causat fidei assensum, est fortior causa quam lumen rationis, quod causat assensum intellectus vel scientiæ. » *(De Verit., q. 14, a. 3). Cf. etiam prop. 21 ab Innocentio XI proscripta. Denzing., n. 1038.*

6. *Actus fidei est ad justificationem et salutem necessarius* [3], non solum necessitate præcepti, sed necessitate medii.

[1] Cf. Gotti, *De fide,* q. I, dub. 4; Gibbon, *De fide,* disp. XII, dub. 2. — [2] Cf. 2. 2, q. 4, a. 8; Duval, q. IV, a. 5, p. 267. — [3] Cf. 2. 2, q. 2, a. 3 et seq. — Duval, q. II, a. 3; Gibbon, Disp. XII, dub. 2.

Actum aliquem fidei supernaturalis fuisse quovis tempore omnibus adultis ad salutem necessarium necessitate medii, ex Scripturis manifeste colligitur. Legimus (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Verba *impossibile est, oportet,* omnimodam necessitatem arguunt; quo in textu sermonem esse de fide supernaturali, constat ex verbis, quæ Apostolus præmiserat *(v. 1),* nimirum quod fides sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* — Et (Marc. XVI, 16) legimus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

His accedit Conc. Tridentini declaratio, Sess. VI, cap. 8: « Fides, *inquit,* est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. » — Idem docet Vaticanum, *Const. Dei Filius,* c. III.

ARTICULUS IV.

DE MUTUA RELATIONE FIDEM INTER ET RATIONEM [1].

1336. — Ad propriam suam excellentiam extollendam, ratio humana nihil unquam intentatum reliquit, ut jugum, quo in obsequium fidei captivari debet, a se abjiceret. Qui rationem jugo fidei subducere, eique majores, quam par est, vires tribuere conantur, *rationalistæ* vocantur, quorum pater et antesignanus non immerito prædicatur *Abailardus* qui, ut testatur S. Bernardus *(Epist. 88),* « quidquid sibi non invenit pervium, id putat nihilum, credere dedignatur. »

In nefariis suis dogmatibus, rationalistæ alii aliis longius progressi sunt. Alii enim fidem radicitus tollunt, solamque rationem statuunt tanquam supremam veri et falsi, boni et mali normam *(cf. n. 53).* Alii revelationem quidem ad-

[1] Cf. Mazzella, *De Virt. inf.,* n. 1011; Theol. Claramont., T. I, *De locis theol.,* Pars II.

mittunt; ast rationi facultatem concedunt de revelatis mysteriis judicandi, utrum admittenda sint an rejicienda; alii rationem in sua sphæra ita a fide independentem prædicant, ut, etiamsi conclusiones scientificæ adversentur fidei, rationi nihilominus liceat eas ut veras amplecti, quin Ecclesia in ipsam animadvertere possit. Alii aliter adhuc erraverunt.

1337. — Horum omnium errores compendiose refert Syllabus hisce proscriptis propositionibus:

Prop. III. « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. »

Prop. IV. « Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat. »

Prop. V. « Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat. »

Prop. VI. « Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni. »

Prop. VII. « Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio. »

Prop. VIII. « Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt. »

Prop. IX. « Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. »

Prop. X. « Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; et philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati. »

Prop. XI. « Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. »

Prop. XIV. « Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione. »

1338. — Quid de *rationalismo absoluto*, qui nullam revelationem, nullave admittit mysteria, sentiendum sit, ex theologia generali jam didicimus. *(Cf. n. 53 et seq.)*

Quid vero de *rationalismo moderato*, quem amplectuntur etiam non pauci, qui christiano gloriantur nomine, tenendum sit, et quænam fidem inter ac rationem existant relationes, ex Vaticano discimus Concilio, in *Const. Dei Filius, c. 3 et 4.*

Docet I. *Mysteria fidei, posita etiam eorum revelatione, a ratione nec demonstrari nec penetrari posse.*

« Hoc, *ait Concilium Vat., c. 3.* perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt... Nunquam (ratio) idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: *per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (II Cor. V, 7) ».

Igitur *(IV, can. 1):* « Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari: A. S. »

Concilio Vaticano præiverat *Pius P. IX*, qui in suis litteris *Gravissimas inter*, die 11 Dec. 1862, ad Archiep. Frising. doctrinas a Jacobo Frohschammer evulgatas reprobavit.

1339. — **Docet II.** *Mysteria, etsi sunt supra rationem, non esse tamen contra rationem; et fidem inter et rationem*

si videatur esse apparens contradictio, fidei semper esse obsequendum.

« Verum etsi fides sit supra rationem, *ait Vatic. c. 4.* nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem seipsum negare non potest, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus » [1].

1340. — Docet III. *Assensum fidei, etsi est de mysteriis, esse tamen rationi consentaneum.*

« Ut fidei nostræ obsequium, *ait Vatic. c. 3,* rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. »

Igitur, *can. 4:* « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse.... nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; A. S. »

Et *Pius IX:* « Humana quidem ratio, *inquit,* ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat. Quis enim ignorat vel ignorare potest omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhærere, quæ a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit? » *(Encycl. Qui pluribus; cf. Cont. Gent. I, c. 6).*

[1] Cf. etiam Pium IX, *Qui pluribus,* 9 Nov. 1846. (Raulx, I, p. 55), et S. Alph., *Ver. fid.,* P. II, c. 1, n. 12 (T. 1, p. 118), et *Consider. de ver. revel.,* c. I, T. I, p. 484-487; S. Th., *Cont. Gent.,* l. I, c. 7.

1341. — **Docet IV.** *Fideli non licere de fide semel suscepta unquam dubitare.*

« Minime, *ait Vat., c. 3*, par est conditio eorum, qui per cœleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. »

Igitur, *can. 6:* « Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint: A. S. »

1342. — **Docet V.** *Rationem in scientiis philosophicis non esse a fide independentem.*

« Nec sane, *ait Vatic., c. 4*, ipsa (Ecclesia) vetat ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propris utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent.

« Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam *(Coloss. II, 8)*. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino. »

Igitur, *can. 2*: « Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, neque

ab Ecclesia proscribi possint; A. S. » — Cf. etiam Pium IX, *Gravissimas inter*, 11 Dec. 1862.

1343. — Docet VI. *Sensum dogmatum ab Ecclesia definitum, secundum progressum scientiæ nunquam mutari posse.*

« Sacrorum dogmatum, *ait Vatic., c. 4,* is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum. »

Igitur. *can. 3:* « Si quis dixerit fieri posse ut, dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ, sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; A. S. »

1344. — Docet VII. *Fidem et scientiam sibi mutuam opem ferre.*

« Neque solum, *ait Vatic., c. 4,* fides et ratio inter se dissidere unquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. »

Multipliciter recta ratio fidei opitulatur:

1. *Ratio fidei fundamenta demonstrat,* præbendo motiva credibilitatis, quibus fides innititur. De his in theologia generali sermo fuit institutus.

2. *Ratio veritates revelatas in unum corpus redigit, argumentis corroborat, et de eis uberiorem assequi potest intelligentiam.*

« Solidissimis ita positis fundamentis, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiæ usus ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque veræ scientiæ suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum partes in unum veluti

corpus colligantur, ut suis quæque locis convenienter dispositæ, et ex propriis principiis derivatæ apto inter se nexu cohæreant; demum ut omnes et singulæ suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio prætereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quæ creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquando lucidior intelligentia, quam S. Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus *(cap. 4)* fructuosissimam esse decrevit. » *(Encycl. Æterni Patris).*

« Ac ratio quidem, *ait Vatic., c. 4*, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo. »

3. *Ratio fidem contra adversarios tuetur atque defendit.*

« Postremo, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiæ laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. *Est quidem*, sicut Clemens Alexandrinus testatur, (*Strom.*, l. I, c. 20), *per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem græca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes et vallus.* » (Loc. cit.)

1345. — Sed et ratio a fide præclare juvatur: « Etenim cum humana mens, *inquit Leo XIII*, certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiæ studium cum obsequio fidei christianæ conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divina-

rum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. » *(Loc. cit.)*

CAPUT II.

DE SPE [1].

Quæ ad virtutem spei pertinent, tribus absolventur articulis. In I. de spei natura atque objecto agetur; in II. de ejus subjecto; in III. de ejus actu.

ARTICULUS I.

DE SPEI NATURA ATQUE OBJECTO.

1346. — Vocabuli significatio. — « Spes multis modis dicitur, *ait S. Th.* Quandoque enim nominat passionem; et sic non est virtus. Quandoque nominat habitum inclinantem ad actum voluntatis similem spei quæ est in parte sensitiva, quæ est passio: et sic est virtus. Quandoque vero nominat ipsum actum: et sic est actus virtutis. Quandoque autem nominat ipsam rem speratam (Tit. II, 13): *Exspectantes beatam spem;* et sic est objectum virtutis. Quandoque autem nominat certitudinem, quæ consequitur spem (Rom. V, 4): *Probatio vero spem,* id est, spei certitudinem; et sic nominat statum perfectionis in virtutem, quantum ad certitudinis intentionem. » *(3. Sent., D. 26, q. 2, a. 1, ad 3).*

1347. — Definitio. — Spes, qua virtus theologica, definitur: « *Virtus, per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem et media illius assequendæ exspectamus per Dei auxilium.* » (S. Alph., *Hom. Ap.,* Tr. IV, 6).

[1] Cf. S. Th., 2. 2, q. 17 et 18; *Quæst. disp. De spe*; 3 *Sent.* D. 26; S. Alph., *Mor.*, l. II, Tr. 2, et *De spe christ.*, T. 8, p. 495, et *Magn. precat. adj.*, P. II, c. IV, § 3; Jaugey, *De Virt. theol.*, sect. II.

Spem virtutem esse theologicam ex supradictis *(n. 1314)* constat; ejus enim objectum immediatum, tum materiale tum formale, est ipse Deus. Cætera, quæ in definitione ponuntur, ex dicendis manifesta erunt.

1348. — Objectum materiale spei est id, quod exspectamus. Materiale objectum spei duplex existit, *primarium* et *secundarium*.

Objectum spei materiale primarium, quod etiam objectum *formale quod* nuncupatur, est æterna beatitudo, seu ipse Deus a nobis in cœlesti gloria possidendus. Illud enim est primarium spei objectum, quod nobis a Deo principaliter promittitur in præmium; quod nihil est aliud quam ipse Deus, secundum illud (Genes. XV, 1): *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* — (Tit. I, 2): *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus.* « Spes, *ait S. Th.*, recipit speciem a suo objecto principali; objectum autem principale ejus est beatitudo æterna, secundum quod est possibilis haberi ex auxilio divino. » *(1. 2, q. 18, a. 2).*

Objectum spei secundarium sunt omnia creata, sive supernaturalia, sive naturalia in quantum per ea ad Deum possidendum ordinamur. Ejusdem enim virtutis est movere ad finem, et ad media, quæ ad finem obtinendum necessaria aut valde convenientia sunt. Hæc autem bona creata spes non attingit nisi in ordine ad objectum primarium. « Sicut ea quæ creduntur materialiter, *ait S. Th.*, omnia referuntur ad Deum, quamvis aliqua eorum sint creata; ita etiam omnia quæ materialiter sperantur, ordinantur in unum finale speratum, quod est fruitio Dei; in ordine enim ad hanc fruitionem speramus adjuvari a Deo non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficiis. » *(Quæst. disp., de Spe, a. 1).* Et: « Per hanc virtutem spei, sperat aliquis non solum futuram beatitudinem, sed etiam ad hoc ordinata. » *(Loc. cit., a. 3).*

1349. — Objectum formale spei, seu motivum, quo spes nostra nititur, est Dei misericordia, omnipotentia et fidelitas. « Objectum formale, *ait S. Alphonsus*, (sive motivum propter quod sperare tenemur), alii dicunt esse Dei misericordiam; alii divinam omnipotentiam, prout communiter tenent Tho-

mistæ; alii divinam promissionem, sicut sentit Jueninus; alii tandem dicunt esse divinam Bonitatem, etc.... His autem positis, concludendum puto, quod prima tria præfata motiva constituant objectum formale spei, nempe misericordia, et omnipotentia divina, qua Deus nobis auxilia impertitur ad salutis hostes superandos, et hæc duo motiva expresse docentur a S. Thoma in Quæst. Disp. q. unic. de Spe, a. 1, ubi ait: *Formale objectum spei est auxilium divinæ potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei.* Censeo insuper his duobus omnino tertium addendum motivum, nempe divinam promissionem, sive divinam fidelitatem circa promissionem quam exhibuit salvandi nos propter merita Christi; alias sine hac promissione non valeremus salutem cum certa fiducia sperare. » *(Mor., l. II. n. 21; cf. Magn. prec. adj., P. II, c. 4, § 3).*

Quod triplex formale spei objectum ex Scriptura colligitur. De MISERICORDIA legimus, (Ps. XII, 6): *Ego autem in misericordia tua speravi.* — De OMNIPOTENTIA, (Ps. XVII, 3): *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum.* (Is. XXVI, 4): *Sperastis in Domino Deo forti.* (II Reg. XXII, 3): *Deus fortis meus sperabo in eum.* — De FIDELITATE, (Hebr. X, 23): *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit;* et (Tit. I, 2): *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus.*

1350. — Quæritur. *An liceat spem in alio ponere quam in Deo* [1], **Resp.** Cur hæc quæstio ponatur, hæretici in causa sunt. Pelagiani enim asserebant, gratias Dei supernaturales ad salutem non esse necessarias; sed naturales liberi arbitrii vires cum generali Dei concursu tanquam auctoris naturæ, esse ad salutem omnino sufficientes, ac consequenter dictitabant licere nobis spem nostram in auxiliis et viribus nostris naturalibus ponere. Quorum hæresis in tractatu de Gratia refutata est.

Lutherani contra docebant, in Dei gratia et meritis Christi ita esse fidendum, ut nulla ex parte spes vel meritis nostris vel Sanctorum intercessione inniti debeat, secundum illud (Jerem. XVII, 5):

[1] Cf. Duval, *De spe,* q. I, a. 4, p. 403; Gotti, *De spe,* q. I, dub. 2, § 3; Bannez, q. XVII, a. 4.

Maledictus homo qui confidit in homine; et (II Cor. 1, 9): *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.*

Veritas autem catholica docet:

1. Solum Deum per gratiam suam esse causam' principalem et primariam efficientem nostræ justificationis et salutis; et « ita, *ait S. Th.,* non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. » *(2. 2, q. 17, a. 4).* Qui igitur sperant in homine, tanquam in causa principali suæ justificationis et salutis, illi a Domino dicuntur maledicti.

2. Sub Deo, et dependenter ab eo, alias dari causas instrumentales et secundarias, quibus ad salutem consequendam adjuvari possumus, et in quibus proinde etiam spem nostram, ast secundario, ponere possumus. « Licet autem, *ait S. Th.,* sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad Sanctos convertimur, et ab hominibus etiam aliqua petimus. » *(Loc. cit.)*

Igitur: a) Spes christiana potest et debet meritis et satisfactionibus Christi inniti tanquam principali causa secundaria; intuitu enim meritorum Christi Deus nobis tum salutem tum gratias ad salutem necessarias elargitur.

b) Inniti potest et debet nostris meritis bonis; legitime enim spem nostram in iis rebus reponere possumus, quæ a Deo ordinatæ sunt tanquam media ad salutem necessaria, qualia sunt merita nostra. Sic legimus (Tob. IV, 12): *Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna omnibus facientibus eam.* — (II Tim. IV, 7. 8): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ. (Cf. dicta de Merito, in tract. de Gratia, n. 1272 et seq.)*

c) Inniti etiam potest et debet intercessione Sanctorum et speciatim B. V. Mariæ, quæ ab Ecclesia *Spes nostra* salutatur. Propter ipsorum enim intercessionem plurima nobis a Deo conferuntur beneficia, quibus utiliter ad consequendam vitam æternam adjuvamur. *(Cf. S. Alph., Magn. prec. adj., c. 1, § 3; Glor. Mar., P.I, c. 3).*

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO SPEI.

Duplex distinguitur subjectum spei: *proximum* videlicet, quod est ipsa facultas, in qua residet habitus; et *remotum*, quod est ipse homo, qui virtutem spei possidet.

1351. — Proximum subjectum spei. — Apud omnes in confesso est spem in voluntate subjectari; etenim, ut *ait S. Th.*, « habitus per actus cognoscuntur. Actus autem spei est quidam motus appetitivæ partis, cum sit ejus objectum bonum... Actus autem virtutis spei non potest pertinere ad appetitum sensitivum: quia bonum, quod est objectum principale hujus virtutis, non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum. Et ideo spes est in appetitu superiori, qui dicitur voluntas, sicut in subjecto. » *(2. 2, q. 18, a. 1).*

1352. — Remotum subjectum spei. — Quodnam sit remotum spei subjectum, ex duplici principio dijudicari potest.

I. Cum fides sit fundamentum spei, (nihil enim speratur nisi prius cognoscatur), illi omnes, in quibus deficit fides, spe etiam destituuntur, tum quoad actum, tum quoad habitum.

II. Cum spes, sicut quælibet virtus, ex objecto suo principali speciem desumat, ideirco, ubi est objectum spei principale, ibi potest esse spes; ubi vero deficit objectum principale, ibi solvitur ipsa spes. Principale autem spei objectum est *beatitudo æterna*, ut *futura, ardua* et *possibilis*. « Spei objectum, *ait S. Th.*, si spes absolute consideratur, est bonum arduum futurum possibile; unde si cesset aliquid esse bonum, vel esse futurum, vel esse arduum, vel esse possibile, cessabit spes secundum communem rationem spei. » *(De Spe, a. 1).*

1353. — *Ex hisce duobus principiis:*

Deducis I. *In omnibus viatoribus justis* spem adesse, tum quoad actum tum quoad habitum. Hoc per se manifestum est.

Deducis II. *In fidelibus peccatoribus* non desperantibus aut non præsumentibus, spem inveniri, tum quoad actum tum quoad habitum. In eis enim remanet fides, quæ est spei fundamentum. Per fidem autem etiam peccatoribus proponitur beatitudo æterna tanquam possibilis per Dei gratiam: quocirca spes est in ipsis. Attamen in eis spes a ratione perfectæ virtutis deficit, cum in eis actus spei non sit meritorius in ordine ad vitam æternam. — Qui vero desperant aut formaliter præsumunt, spe penitus carent, cum desperatio et præsumptio, utpote spei directe oppositæ, eam penitus tollant.

Deduces III. *In animabus in purgatorio detentis* adesse spem, tum quoad actum tum quoad habitum: *quoad habitum,* quia ubi est caritas, ibi est spes, nisi beatitudo jam actu possideatur; *quoad actum,* quia licet istæ animæ sint de sua salute plene securæ, beatitudinem tamen non possident, sed eam ut bonum arduum futurum possibile apprehendunt. *(Cf. 3 Sent. D. 26, a. 5, sol. 3).*

Deduces IV. *In beatis* spem non adesse, nec quoad actum suum primarium, nec quoad habitum: *non quoad actum primarium,* quia beatitudinem actu possident; quod autem aliquis actu jam possidet, sperare amplius non potest, dicente Apostolo (Rom. VIII, 24): *Spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? — Non quoad habitum:* subtracto primario virtutis objecto, tollitur habitus. *(Cf. 2. 2, q. 18, a. 2).*

Sperant equidem beati, vel potius desiderant cum suæ beatitudinis continuationem, tum proprii corporis glorificationem, tum aliorum hominum salutem. Ille autem actus nec proprie est actus spei, nec ab habitu spei elicitur: *a)* Beati enim « per hoc quod Deo fruuntur, *ait S. Th.*, efficiuntur quodammodo participes æternitatis divinæ, quæ excedit omne tempus; et ita continuatio beatitudinis non diversificatur per præsens, præteritum et futurum. Et ideo beati non habent spem de continuatione beatitudinis, sed habent ipsam rem, quia non est ibi ratio futuri. » *(2. 2, q. 18, a. 2, ad 3).* — *b)* Similiter « gloria corporis, etsi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non habet tamen rationem ardui respectu habentis gloriam animæ... quia habens gloriam animæ jam habet sufficienter causam gloriæ corporis. » *(Loc. cit., ad 4).* — Denique, beati « sperant quidem aliis beatitudinem, sed non virtute spei; sed magis amore caritatis. » *(Loc. cit., ad 3).*

Ex prædictis igitur actibus deducere non licet, sicuti nonnulli faciunt, ipsum habitum spei in beatis remanere.

Deduces V. *In damnatis* spem omnino evacuari. Hi enim carent fide supernaturali, quæ est spei fundamentum: insuper clare cognoscunt se nec a damnatione unquam liberari, nec ad beatitudinem pervenire posse. Apprehendunt igitur beatitudinem ut bonum impossibile; nec ideo eam amplius vel sperant, vel sperare possunt.

Deduces VI. *In hæreticis formalibus*, deistis, materialistis, atheis, aliisque incredulis vel infidelibus, spem non adesse nec quoad actum nec quoad habitum: in omnibus enim id genus hominibus deest spei fundamentum, fides scilicet supernaturalis.

Potest utique in hæreticis aliqualis spes remanere, sicut in ipsis remanet aliqua fides; quæ tamen ad rationem virtutis non pertingit; sed est spes pure humana, ad salutem nihil conferens.

ARTICULUS III.

DE ACTU SPEI.

1354. — Definitio. — Actus spei definitur: *Certa exspectatio æternæ beatitudinis per merita ex gratia Dei provenientia.*

1355. — Concurrentia ad actum spei. — Ad actum spei plures concurrunt actus, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis.

1. *Ex parte intellectus speculativi* requiritur actus fidei, qua Deus tanquam summum bonum et summum appetibile innotescat. Etenim « bonum non est objectum appetitus, nisi prout est apprehensum. » *(S. Th., 1. 2, q. 17, a. 2).*

2. Hanc apprehensionem sequitur *ex parte voluntatis* actus amoris et desiderium. Amor « nihil est aliud quam complacentia appetibilis, et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium. » *(1. 2, q. 17, a. 2).* — Nam « effectus amoris, quando non habetur ipsum amatum, est desiderium. » *(1. 2, q. 25, a. 2, ad 1).* — Ille autem amor est amor concupiscentiæ, quo voluntas in Deum fertur, ut sibi bonum appetat. *(1. 2, q. 26, a. 4).*

3. *Ex parte intellectus practici* requiritur actus fidei, quo firmiter judicat Deum, quem tanquam summum bonum amat et desiderat, posse a nobis per auxilium divinæ gratiæ reapse obtineri.

4. Actum intellectus practici sequitur *motus voluntatis* tendentis in bonum divinum quatenus possibile sibi per gratiam; et hic actus est formaliter actus spei, qui cum sit de

bono futuro arduo possibili, aliquid supra desiderium addit. Etenim « desiderium importat simplicem motum in rem desideratam, » *(1. 2, q. 30, a. 1, ad 2);* sed « spes supra desiderium addit quemdam conatum et quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum. » *(1. 2, q. 25, a. 1).*

5. Cum autem assecutio illius boni, quod nobis tanquam ultimam nostram beatitudinem speramus, non sit nobis possibilis nisi per Dei auxilium, ideirco ex spe enascitur initialis amor ipsius Dei, et in ea essentialiter includitur. « In quantum spes respicit bonum speratum, *ait S. Th.*, spes ex amore causatur; non enim est spes nisi de bono desiderato et amato. In quantum vero spes respicit illum per quem fit aliquid nobis possibile, sic amor causatur ex spe. Ex hoc enim quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum; et sic incipimus illum amare. » *(1. 2, q. 40, a. 7).*

6. Cum spe semper etiam conjungitur timor; ex eo enim quod aliquod bonum arduum vehementer amamus et ardenter desideramus, exsurgit timor ne illud non assequamur. *(1. 2, q. 43, a. 1).*

1356. — **Proprietates actus spei.** — Actus spei formaliter, ut modo dictum est, est *ipse motus voluntatis tendentis in bonum divinum tanquam possibile sibi per Dei gratiam.* Cujus actus quinque enumerantur proprietates, nimirum: est *supernaturalis, summus, licitus* seu *honestus, necessarius*, et *certus* seu *infallibilis.*

1. *Actus spei christianæ debet esse supernaturalis.* — Constat ex Trident., Sess. VI, can. 3: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; A. S. »

In S. Scriptura spes etiam exhibetur ut speciale Dei donum; legimus (Rom. XV, 13): *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe.* — Et (ibid. V, 2): *Per quem* (Christum) *et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Suffragatur ipsa ratio: natura non potest propriis viribus in bonum tendere, quod ipsius limites supergreditur. Sed bonum æternæ beatitudinis, cum ordinis sit supernaturalis, vires naturæ superat. Non potest igitur homo illud sperare sicuti oportet, nisi superna adjuvetur gratia.

2. *Actus spei debet esse appretiative summus,* ita ut homo Deum, objectum suæ beatitudinis, omnibus aliis anteponat, paratusque sit omnia alia amittere, ut ipsum possideat. Rectus enim ordo expostulat, ut quælibet res pro sua bonitate æstimetur et desideretur. Atvero nulla pro homine major dari potest bonitas, quam æterna felicitas. — Debet etiam actus spei esse summus eo sensu quod homo in nullo alio, præterquam in Deo, fiduciam ponat, et libentius vellet omni humano destitui auxilio, quam divino carere adjutorio. Omnipotens enim est Deus, qui repromisit se iis, qui confidunt in ipso, non esse defuturum.

3. *Actus spei licitus est et honestus;* et amor concupiscentiæ, quo Deum nobis desideramus tanquam bonum nostrum ultimum, bonus est atque utilis, caritatique nullatenus contrariatur.

Amorem concupiscentiæ bonum esse atque utilem constat:

a) Ex Trident., Sess. VI, can. 31: « Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. » Et ex prop. 10 ab Alexandro VIII damnata: « Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens. »

b) Ex S. Scriptura, quæ cœlestem mercedem tanquam incitamentum ad bonum operandum proponit. Scribit Apostolus (I Cor. IX, 25): *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* — (Colos. III, 23, 24): *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* — Et ipse Christus ait (Ap. II, 10): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

c) Ex Ratione. Cuilibet licitum est finem suum ultimum desiderare, et ad illum obtinendum adlaborare. Porro, finis ultimus hominis est ipsa Dei possessio. — *Præterea,* hominis beatitudo pondere suo ordinatur in gloriam Dei, qui in beatorum felicitate super omnia lætatur et glorificatur. Desiderando igitur nostram beatitudinem, Deumque ut objectum nostræ felicitatis appetendo, Deum non referimus ad nos tanquam ad finem: quod caritati contrariaretur; sed nostram beatitudinem referimus in Deum tanquam ad finem, ut scilicet ipse in nostra felicitate glorificetur: quod ad caritatem pertinet. Et sic spes cum perfecta caritate optime conciliatur. *(Cf. S. Alph., Praxis amoris, c. 16, et Mor., l. II, n. 24).*

4. *Adultis omnibus actus spei necessarius est necessitate medii.* — Deus neminem justificat aut salvat, nisi per actus proprios in finem ultimum tendat; nullus autem ad finem consequendum operatur, nisi speret fore ut illum assequi possit. — *Præterea,* a Trident., Sess. VI, cap. 6, actus spei inter dispositiones ad justificationem requisitas recensetur; et accepta jam justificatione, adultus, spem nisi foveat, nec gratias ad bene operandum necessarias, nec præsertim magnum perseverantiæ donum expostulare aut obtinere poterit.

5. *Actus spei, in quantum est ex parte Dei, certus est et firmus, excludens omnem formidinem aut dubitationem; in quantum vero se tenet ex parte nostra, timorem habet conjunctum*[1].

a) Spei certitudinem et firmitatem, in quantum se tenet ex parte Dei, mirificis encomiis celebrant S. Scripturæ. Legimus (Ps. XC, 14): *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum... eripiam eum et glorificabo eum.* — (Ecclesi. II, 11): *Scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est.* — (II Tim. I, 12): *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

De eadem spei firmitate nos monet Tridentinum, Sess. VI, cap. 13: « In Dei auxilio firmissimam spem collocare et re-

[1] Cf. S. Alph., *Magn. precat. adj.,* P. II, c. 4, § 3; *De Spe christ.* (T. 8, p. 495).

ponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.»

Suffragatur ratio: Spes nostra Dei misericordia, omnipotentia et fidelitate nititur; de his autem tribus certus est quicumque fidem habet. Quamobrem Apostolus ait (Hebr. VI, 17-19): *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

b) Si ex parte Dei spes est firmissima, ex parte tamen nostra incerta est, et timorem semper habet conjunctum. Divina enim promissio dandi nobis vitam æternam et auxilia ad eam necessaria, huic conditioni subjacet, ut scilicet nos gratiæ non defuerimus, et usque in finem perseveraverimus. Sed incerta est nostra cooperatio cum gratia divina; incerta est nostra justificatio, etenim «*nescit homo utrum amore an odio dignus sit*» (Eccles. IX, 1); incerta præsertim est nostra usque in finem perseverantia. Quocirca illud monemur, ut cum metu et tremore salutem nostram operemur *(Phil. II, 12)*, et ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus *(I Petr. I, 10)*.

Licet vero ex parte nostra spes ea careat certitudine, quæ falli nequeat, non caret tamen certitudine quadam morali, qua judicare possumus nos in Dei gratia vivere, et esse de prædestinatorum numero: quæ moralis certitudo sufficiens est, ne cor nostrum nimia anxietate prematur, et ut ea pace, quæ omnem exsuperat sensum, perfruatur.

1357. — Quæritur. *An in præsenti vita dari possit status perfectionis, a quo actus spei theologicæ excludatur* [1].

Resp. *Negative.*

Sæculo XVII, *Quietistæ*, duce *Michaele de Molinos*, docuerunt hominem, quando in statum christianæ perfectionis pervenerit, non debere amplius nec actus alicujus virtutis exercere, nec aliquam propriam

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Cap. XII, a. 5; et Confut. XIV.

actionem intellectus vel voluntatis, Deo ut uniatur, producere; sed debere *se totum et totaliter in Deo derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.*

Horum perversa doctrina, quæ ad propositum nostrum pertinet, hisce duabus propositionibus ab Innocentio XI, *(in Constit. Cœlestis Pastoris),* damnatis continetur, videlicet: *prop. 7.:* « Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate. » — *Et prop. 12.:* « Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet. » *(Denz., n. 1094 et 1099).*

Doctrinam Molinosii, fœtidis tamen ex ea fluentibus consectariis purgatam, in Gallia divulgavit matrona *de Guyon.* Eidem etiam adhæsit *Fenelonius,* in suo libro: *Explication des maximes des saints,* qui ab Innocentio XII fuit reprobatus. In hoc præsertim erravit Fenelonius, quod in præsenti vita admitteret *statum habitualem* caritatis, a quo exercitium spei et timoris excluditur, ut patet ex 1. prop. ab Innocentio XII reprobata: « Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam. » *(Denz. n. 1193).*

Tenendum est igitur, non posse his in terris dari statum perfectionis, in quo actus spei necessarius non sit. Sicut enim de ratione cujuslibet entis est in finem suum tendere, usquedum illum obtineat, vel usquedum finis adeptio reddatur illi omnino impossibilis, ita de conditione hominis viatoris est in Deum, finem suum ultimum, tendere quamdiu vivit; non potest autem in Deum tendere, illum nisi appetat et desideret. Finem igitur suum ultimum quilibet viator, quantumvis ponatur perfectus et sanctus, appetere et desiderare tenetur.

CAPUT III.

DE CARITATE [1].

Inter virtutes theologicas tertium et principaliorem locum obtinet caritas, quæ vinculum est perfectionis, omniumque

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 26-29; 2. 2, q. 23 et seq.; 3 *Sent.,* D. 27; *Quæst. quodl., de caritate;* S. Alph., *Praxis amoris;* Jangey, *De Virt. theol.,* sect. 3; Duval, *De Carit.,* p. 439; Mazzel., *De Virt. inf.*

virtutum regina. De caritate tria sunt investiganda: I. ejus natura; II. ejus objectum; III. ejus proprietates. — Plura, quæ desiderantur, aptius in morali disciplina tractantur.

ARTICULUS I.

DE CARITATIS NATURA.

1358. — Notio amoris. — « Caritas amor quidam est », *ait S. Th. (2. 2. q. 25, a. 2).* — Amor in genere est *volitio boni.* Statim enim ac per facultatem apprehensivam appetitui proponitur bonum conveniens et coaptatum, appetitus a bono attrahitur, et ad ipsum inclinatur: quæ inclinatio *amor* seu volitio boni dicitur. *(Cf. 1. 2. q. 25, a. 1 et 2; q. 26, a. 2).*

1359. — Divisio amoris. — Amor distinguitur multiplex, videlicet:

I. *Amor complacentiæ:* cum amor sit volitio boni, si appetitus fertur in bonum ratione ipsius boni et non ratione alterius, atque in eo complacet, amor est complacentiæ. Definitur: *Volitio boni in se;* sive: *Unio appetitus ad bonum per se, quod sui non alterius gratia appetitur.* (Polm.)

2. *Amor concupiscentiæ:* si bonum non propter se, sed propter commodum amantis appetitur, amor est concupiscentiæ. Definitur: *Volitio boni in commodum amantis.* (Polm.)

3. *Amor benevolentiæ:* si bonum appetitur nec propter se, nec propter commodum amantis, sed propter commodum alterius cui illud bonum volumus, amor est benevolentiæ. Definitur: *Volitio boni in commodum amati.* (Polm.

1360. — Amor benevolentiæ quadruplex. — Amor benevolentiæ est *velle bonum alteri.* Si quis alteri vult bonum simplici actu voluntatis, quin habeat cum ipso unionem quamdam secundum affectum amantis ad amatum; seu, quin amans æstimet amatum quodammodo ut unum sibi, amor est *simplicis benevolentiæ.* Hoc amore, v. gr., dives diligit pauperem, cui, licet antea ignoto, pinguem elargitur eleemosynam. *(2. 2, q. 27, a. 2).*

Si quis alteri, quem considerat ut unum sibi per unionem affectus ad illum, vult bonum non simplici actu voluntatis, sed actu voluntatis seligentis unum bonum præ alio, amor est *dilectionis*, quasi *delectionis*.

Si voluntas non solum eligit pro amato unum bonum præ alio, sed vult ei bonum quod magni æstimatur, amor est *caritatis*.

Si quis demum vult bonum alteri, a quo et ipse mutuo redamatur, ita ut inter eos bonorum quædam communicatio intercedat, amor est *amicitiæ*. *(1. 2, q. 26, a. 3)*.

1361. — Multiplex caritatis significatio. — Hæc vox *caritas* multipliciter accipitur: 1. Pro amore Dei essentiali et increato, ut (I Joan. IV, 8): *Deus caritas est.* — 2. Pro amore Dei personali, id est, pro Spiritu Sancto: *Fons vivus, ignis, caritas. (In prosa Pentec.)* — 3. Pro actu amoris in Deo, ut (Jer. XXXI, 3): *In caritate perpetua dilexi te.* — 4. Pro dono creato nobis per modum habitus inhærente, vel pro actu illius habitus. De caritate in hunc ultimum sensum accepta præsens disputatio instituitur.

1362. — Caritatis definitio. — Caritas definitur: *Virtus theologica, qua diligimus Deum propter seipsum, ac nos et proximum propter Deum.* (S. Alph., *Hom. Ap.*, Tr. IV, n. 9). — Caritas dicitur *virtus*, habitus scilicet nobis permanenter inhærens, qui, conjungendo hominem Deo, summæ actuum nostrorum regulæ, ipsum bonum facit, ejusque opus bonum reddit. *(2. 2, q. 23, a. 3)*. — *Qua diligimus Deum*, quibus verbis primarium caritatis objectum materiale indicatur; *propter seipsum*, quibus verbis caritatis objectum formale exhibetur; *ac nos et proximum propter Deum*, quibus verbis secundarium caritatis objectum materiale denotatur. — Cum autem caritas sit virtus theologica, ac proinde per se supernaturalis, aliunde haberi non potest nisi « per infusionem Spiritus Sancti, qui est amor Patris et Filii, cujus participatio in nobis est ipsa caritas creata. » *(S. Th., 2. 2, q. 24, a. 2)*. — Unde dicitur (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

Ad naturam caritatis quod attinet, tria præcipua sunt inquirenda, scilicet: *a)* utrum caritas sit aliquid creatum, an ipsa Spiritus Sancti persona: — *b)* an sit vera amicitia Deum inter et hominem: — *c)* qualis amor ad rationem caritatis requiratur. — De reali distinctione caritatem inter et gratiam sanctificantem satis dictum est in tractatu de Gratia *(n. 1235)*.

1363. — Prop. I. *Caritas non est ipsa Spiritus Sancti persona, sed donum creatum, voluntati per modum habitus inhærens*[1]. — Communis.

« Magister sententiarum (1. Dist. 17), posuit, *ait S. Thomas*, quod caritas in nobis sit Spiritus Sanctus. Non autem fuit sua intentio dicere, quod ipse actus dilectionis nostræ sit Spiritus Sanctus; sed quod Spiritus Sanctus movet animam nostram ad diligendum Deum et proximum, sicut etiam ad actus aliarum virtutum: sed ad actus aliarum virtutum movet animam per quosdam habitus virtutum infusarum: ad actum autem dilectionis Dei et proximi movet absque alio habitu mediante. » *(Quæst. quodl.; De Carit., a. 12; cf. a. 1)*. Et hoc dicebat propter excellentiam caritatis. — Sed hæc sententia communiter rejicitur.

Prob. prop. I. **Ex Script. S.** In S. Scripturis caritas exhibetur tanquam aliquid a Spiritu Sancto distinctum; (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*. Quod enim diffunditur, distinctum est a diffundente.

II. **Ex Tridentino,** in quo, *Sess. VI, cap. 7*, legimus: « Per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret. » Quod autem in corde diffunditur eique inhæret, quidquam creatum necessario dicendum est.

III. **Ex Ratione.** 1. De caritate philosophandum est sicut de fide et spe, secundum illud (I Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc*. Sed, teste ipso Magistro, fides et spes sunt habitus creati. Ergo idem de caritate affirmandum est.

2. « Nullus actus, *inquit S. Th.*, perfecte producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per ali-

[1] Cf. S. Th., 2. 2, q. 23, a. 3; Duval, q. I, a. 1, p. 440; Gibbon, Tr. IV, Disp. 25, dub. 1.

quam formam, quæ sit principium actionis. Unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas per quas inclinantur ad fines sibi præstitutos a Deo; et secundum hoc *disponit omnia suaviter* (Sap. VIII, 1). Manifestum est autem quod actus caritatis excedit naturam potentiæ voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiæ, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus ipse imperfectior actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum; nec esset facilis et delectabilis. Quod patet esse falsum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut caritas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Unde maxime necesse est quod ad actum caritatis, in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad caritatis actum, et faciens eam prompte et delectabiliter operari. » *(2. 2, q. 23. a. 2).*

1364. — Prop. II. *Caritas est vera et proprie dicta amicitia Deum inter et homines.*

Ad fidem pertinens, ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Sap. VII, 14): *Quo* (id est, thesauro sapientiæ), *qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* — Ipse Christus ait ad discipulos (Luc. XII, 4): *Dico vobis amicis meis*, etc. — (Joan. XV, 14, 15): *Vos amici mei estis... Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos.*

II. **Ex Ratione.** Ad veram amicitiam, quæ est amor mutuæ benevolentiæ super aliqua bonorum communicatione fundatus, quatuor requiruntur conditiones. Atqui quatuor istæ conditiones in caritate inveniuntur [1].

Prima conditio amicitiæ est, *ut amor sit mutuus.* — Porro caritas est mutua dilectio Deum inter et hominem, secundum illud (Prov. VIII, 17): *Ego diligentes me diligo.* Et (Joan. XIV, 21): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.*

Secunda conditio est, *ut sit amor benevolentiæ*, per quem amicus vult bonum amico. Si quis enim principaliter propter

[1] Cf. Duval, q. I, a. 3; Gibbon, Disp. 21, dub. 2.

suam propriam utilitatem aut delectationem amaret, is non tam amicum quam seipsum diligeret. Hæc etiam conditio in caritate verificatur: Justus Deum diligit propter Deum, siquidem amore complacentiæ vult Deo bona sua intrinseca, quæ possidet, ut bonitatem, beatitudinem, æternitatem, etc.: et amore desiderii vult illi bona extrinseca, quæ nondum habet, scilicet ut ab omni creatura ametur et glorificetur. — Ipse vero Deus justum diligit propter ipsius justi bonum et utilitatem: amore quidem complacentiæ Deus in justo diligit bona supernaturalia, quæ jam donavit, gratiam scilicet, virtutes et gloriam: et amore desiderii vult gloriam iis, qui in via adhuc peregrinantur.

Tertia conditio est, *ut mutua redamatio sit amicis manifesta:* enimvero si quis nescit se ab alio redamari, tollitur ratio amicitiæ. Jamvero Deus, qui scrutatur renes et corda, perfecte cognoscit a quibus diligatur: et homo per fidem certior redditur quod et Deus amantes se redamet. Et licet nesciat homo utrum amore an odio dignus sit *(Eccles. IX)*, quibusdam signis potest tamen moraliter certus esse se a Deo amari, secundum illud (Rom. VIII, 16 : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Quæ moralis certitudo ad veram amicitiam sufficit.

Quarta conditio est, ut inter amicos adsit *quædam bonorum communicatio.* — Deus, in præsenti vita justis gratiam sanctificantem, quæ est divinæ naturæ participatio, communicat: et in altera vita ipsis suam propriam confert beatitudinem. « Caritas, *ait S. Th.*, est amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicatione beatitudinis æternæ. » *(2. 2. q. 24. a. 2: cf. q. 23. a. 1).* Et homo vicissim per caritatem se suaque omnia Deo tradit, ipsique pro acceptis beneficiis laudem, cultum et gratiarum actiones rependit.

1365. — Prop. III. *Ad essentiam caritatis actualis requiritur et sufficit, ut Deus propter se super omnia diligatur amore appretiative summo* [1]. — Communis.

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 442.

NB. Actus amoris dupliciter potest esse summus seu prædominans: *appretiative* et *intensive*. Est *appretiative* summus, quando aliquis ita Deum diligit, ut eum in sua æstimatione super omnia alia et super vitam suam propriam ponat, paratusque sit omnia, imo et vitam amittere, potius quam Deum graviter offendere. — Est *intensive* summus, quando aliquis majori cum ardore et affectu in Deum, quam in quæcumque alia, fertur.

Probandum est igitur: *a)* ad rationem caritatis requiri, ut Deus super omnia diligatur; *b)* ad rationem perfectæ caritatis sufficere, ut amor sit appretiative summus.

Prob. I. Pars. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XXII, 37): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Sed, *ut ait S. Th.:* « Cum mandatur quod Deum ex toto corde diligamus, datur intelligi quod Deum super omnia diligere debemus. » *(2. 2. q. 44, a. 8, ad 2).* — (Matth. X, 37): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Sed amor quo Deum plus quam patrem aut matrem amare jubemur, amor est super omnia.

II. **Ex Ratione.** Rectus ordo expostulat, ut quælibet res secundum gradum suæ bonitatis diligatur. Jamvero divina bonitas, quæ est caritatis objectum, omnem creatam bonitatem infinite superat. Debet igitur Deus super omnia diligi. Qui vero in sua æstimatione Deo aliquid anteponeret vel æquipararet, gravem ipsi injuriam irrogaret. Propria igitur ratio caritatis, ut *ait S. Th.*, « consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia, et quod homo totaliter se ipsi subjiciat, omnia sua referendo in ipsum. » *(2. 2. q. 24. a. 12; cf. q. 23, a. 1).*

Prob. II. Pars: scilicet: *ad rationem perfectæ caritatis non requiri amorem intensive summum, sed sufficere appretiative summum.*

Ad essentialem perfectionem actus cujuscumque virtutis requiritur et sufficit ut objectum suum attingat; major autem vel minor actus intensio ad solam ejus accidentalem

perfectionem pertinet. Sed objectum caritatis est Deus propter se super omnia diligendus. Ergo, dummodo actus caritatis Deum propter se super omnia diligat, quantumcumque sit remissus, essentialem caritatis perfectionem habet, et est perfecta caritas. « Si amor ita est debilis, *ait S. Alphonsus*, ut nondum attingat objectum caritatis, scilicet nondum diligat Deum super omnia, hæc non est vera caritas, sed initium caritatis: si vero sufficit ad rationem caritatis, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, hæc quantumcumque sit remissa, est vera caritas. » *(Mor., l. VI, n. 442).*

ARTICULUS II.

DE CARITATIS OBJECTO.

Sicut fidei et spei, ita caritatis objectum, aliud est formale, aliud materiale.

§ 1. *De formali Caritatis objecto* [1].

1366. — Circa formale caritatis objectum, seu circa motivum, propter quod Deum super omnia et proximum propter Deum diligere debemus, plures proferuntur auctorum sententiæ.

Communior et probabilior sententia docet, formale caritatis objectum esse *bonum divinum supernaturale infinitum in omni genere, ut est in se et ex gratia sui amabile.* — « Caritate diligitur Deus propter seipsum, *inquit S. Th.*, unde sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate, scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia, secundum illud (Ps. CV, 1): *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ, et consequentes ex prima. » *(2. 2, q. 23, a. 5, ad 2).*

« Objectum formale caritatis, *ait S. Alphonsus*, est Deus, quatenus est infinita bonitas, prout est aggregatio omnium

[1] Cf. Gibbon, Disp. 24, dub. 1.

perfectionum, sive infinita perfectio. » *(Mor., l. II, Tr. 3, n. 24).* — « Motivum itaque amandi Deum, *addit S. Doctor*, est ipsius bonitas infinita, propter quam ex seipso amari meretur, quamvis nec præmium amantibus ipsum, nec ultio esset non amantibus. » *(Instit. catech., P. I, c. I, § 3).*

Ratio est: quia habitus et actus caritatis in via et in patria sunt ejusdem generis, ut docent communiter theologi. Sed in patria caritas pro objecto formali habet bonum divinum infinitum in omni genere. Per hoc enim quod beati Deum clare vident ipsumque apprehendunt tanquam simplicissimam et infinitam bonitatem, complectentem in se omne bonum et omnem perfectionem, moventur ad eum propter se super omnia diligendum. Ergo etiam in via motivum caritatis est eadem infinita Dei bonitas per fidem apprehensa.

Quidquid igitur a caritate diligitur, sub illa ratione formali diligi debet, nempe quatenus infinita Dei bonitas in eo relucet, sive per essentiam ut in ipso Deo; sive per participationem eamque supernaturalem, ut in nobis et in proximo.

1367. — Scholium. « Hic dubitatur, *ait S. Alphonsus. (Mor., l. II, Tr. 3, n. 24).* 1: An desiderium possidendi Deum sit objectum caritatis. Et dicimus affirmandum, quia caritas tendit in Deum tanquam ultimum finem, et ideo desiderium possidendi Dei, qui est ultimus quidem finis noster, est proprius actus caritatis, imo perfectior aliis; nam possessio Dei est caritas consummata. Hinc perfectum caritatis actum Apostolus emisit, cum dixit: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (Phil. I, 23). Idque expresse docet S. August. scribens: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* — Nec obstat dicere quod hoc modo objectum caritatis idem evaderet ac objectum spei, quod pariter est possessio Dei sperati. Recte enim respondet Habert dicens, quod spes tendit in possessionem Dei uti bonum nostrum, sed caritas Deum possidere cupit propter ipsius Dei gloriam; dum, ut ait S. Bernardus, *cum homo Deum possidet, sui obliviscitur, et eum totis viribus diligit.*

« Dubitatur 2: An sit caritatis actus, divinam diligere bonitatem, tanquam nobis convenientem, cum hic actus videatur potius esse amoris concupiscentiæ, quam amicitiæ. Bene respondent Juenninus, Habert et Gotti, quod si in hujusmodi actu respicimus nostrum proprium bonum tanquam terminum, talis actus revera est amoris concupiscentiæ, qui ad spem tantum pertinet. Si vero respicimus bonum nostrum ut terminum gloriæ Dei, diligendo divinam bonitatem tan-

quam nobis convenientem, eo quod ipsa nos adjuvat ad Dei voluntatem adimplendam, et consequendum ultimum nostrum finem, qui est diligendi Deum, et propter quem Deus nos creavit, hic est verus actus caritatis. »

§ 1. *De materiali Caritatis objecto.*

1368. — « Cum amare sit velle bonum alicui, *ait S. Th.*, dupliciter dicitur aliquid amari; aut sicut id cui volumus bonum, aut sicut bonum quod volumus alicui. » *(De Carit., a. 7).*

Duplex igitur datur materiale caritatis objectum, videlicet: *objectum quod* volumus alicui; et *objectum cui* bonum aliquod volumus; et hoc est ipsa persona amici. — *Objectum quod* est indirecte tantum caritatis objectum, quia illud non amamus nisi ratione illius, cui bonum volumus: dum *objectum cui* est directe et immediate caritatis objectum.

Objectum *cui* caritatis est etiam duplex: *primarium*, quod propter se et ratione sui diligitur; et *secundarium*, quod non ratione sui, sed ratione objecti primarii diligitur.

1369. — **Prop. I.** *Objectum materiale primarium caritatis est solus Deus, in se summum bonum, et finis noster ultimus.*

Prob. I. Pars: *Est solus Deus, in se summum bonum:*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XXII, 37): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.*

II. **Ex natura caritatis.** 1. Caritatis objectum materiale primarium illud est, in quo principaliter refulget objectum ejus formale. Porro objectum formale caritatis, quod est infinita Dei bonitas propter quam ex seipso amari meretur, principaliter in Deo, in se summo bono, refulget. Caritatis igitur objectum materiale primarium est solus Deus, in se summum bonum.

2. Caritas est amicitia fundata super communicatione æternæ beatitudinis. « Sed unaquæque amicitia respicit prin-

cipaliter id in quo principaliter invenitur illud bonum super cujus communicatione fundatur. Amicitia autem caritatis fundatur super communicatione beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio, a quo derivatur in omnes qui sunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter et maxime Deus est ex caritate diligendus. » *(S. Thom., 2. 2, q. 26, a. 2).*

3. Vera et perfecta amicitia primo et principaliter fertur in amicum, cui bonum volumus; delectatur et gaudet de bono ab amico possesso, et vult illud in amico semper remanere. Porro, caritas est perfecta amicitia hominis ad Deum; et bonum Dei est sua propria et intrinseca bonitas. Caritas igitur primo et principaliter respicit Deum, delectatur et gaudet de bono divino a Deo possesso, et vult illud in Deo semper remanere. Caritatis igitur objectum primarium est solus Deus, in se summum bonum. Unde, *ut ait S. Thomas, (De Carit., a. 2),* amare bonum divinum ut habeatur et possideatur, non est caritas; sed amare illud secundum se, ut permaneat et diffundatur, et ut nihil contra bonum illud agatur, hæc est vera caritas, quæ Deum per se diligit.

Prob. II. Pars: *Et finis noster ultimus:* hoc est, prout Deus est objectiva creaturæ rationalis beatitudo. Caritas facit quidem Deo, summo bono, propter seipsum principaliter et primario inhærere; sed simul adhæret Deo tanquam fini nostro ultimo.

Prob. **Ex natura caritatis.** 1. Caritas est amor; sed amor non est nisi ad bonum conveniens. « Si aliquod bonum proponatur, *ait S. Th.*, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem. » *(De Malo, q. 6).* — Et: « dato per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi. » *(2. 2, q. 26, a. 13, ad 3).*

« Si per impossibile, *inquit S. Alphonsus cum S. Francisco Sales. (Am. de D., l. X, c. 10)*, bonitas existeret infinita (qualis est Deus), cui in nihilo communicaremus, et quacum nullam possemus habere unionem et communicationem, tunc ipsam absque dubio pluris quam nosmetipsos æstimaremus; unde et ejus amandæ desiderium habere

possemus, eam tamen non amaremus, quia amor respicit unionem.» *(Prov. Am., c. XVI, n. 5)*. — Caritas igitur Deo inhæret non solum ut est bonum sibi, sed etiam ut est bonum nostrum. Sed Deus supernaturaliter est bonum nostrum in quantum est objectum nostræ beatitudinis. Unde «caritas non est qualiscumque amor Dei, sed amor Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum.» *(S. Th., 1. 2, q. 65, a. 5, ad 1)*.

2. Caritas est vera amicitia Deum inter et hominem. Sed «amicitia pro fundamento habet communicationem, et pro fine unionem.» *(S. Alph., loc. cit.)*. Bonum autem quod Deus nobis communicat, ipse est, in ratione finis nostri ultimi, cujus unione per lumen gloriæ homines beatificantur. Ergo «dilectio caritatis tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia caritatis fundatur.» *(S. Th., 2. 2, q. 26, a. 1)*.

Caritas igitur, quantumvis ponatur perfecta, semper, saltem implicite, amorem nostræ beatitudinis continet, quæ in Deo possesso consistit, et in qua, si habetur, caritas facit delectari: et quam, si nondum habetur, caritas facit desiderare. «Amicorum est, *ait S. Th.*, quod quærant invicem perfrui; sed nihil aliud est merces nostra quam perfrui Deo, videndo ipsum: ergo caritas non solum non excludit, sed etiam facit habere oculum ad mercedem.» *(3 Sent., D. 29, q. 1, a. 4)*.

1370. — Prop. II. *Caritatis objectum materiale secundarium sunt omnes creaturæ rationales æternæ beatitudinis capaces.*

Dicitur: *omnes creaturæ rationales,* ac proinde *nosmetipsi* secundum animam et corpus, *proximus noster*, et *Angeli;* non autem creaturæ irrationales, quæ non possunt esse *objectum cui* caritatis, cum ex natura sua sint incapaces fruendi supernaturali beatitudine, in cujus communicatione fundatur caritas. Possunt tamen creaturæ irrationales ex caritate diligi ut objectum *quod,* «omnes enim creaturæ sunt homini via ad tendendum in beatitudinem; et iterum omnes creaturæ ordinantur in gloriam Dei, in quantum in eis divina bonitas manifestatur.» *(S. Th., De Carit., a. 7)*.

Dicitur: *æternæ beatitudinis capaces:* quibus verbis a caritate excluduntur cum dæmones tum homines in infernum jam detrusi. Hi, cum divinam beatitudinem participare jam non possint, non sunt am-

plius *objectum cui* illam beatitudinem velle possimus. Possunt tamen ex caritate diligi ut *objectum quod*, sicut aliæ creaturæ irrationales, quia et ipsi sunt Dei, et Deus in eis suo modo etiam glorificatur.

Prob. prop. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XXII, 39): *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* His verbis præcipitur explicite dilectio proximi, et implicite dilectio sui ipsius tanquam mensura dilectionis proximi. Si enim dilectio sui non esset saltem implicite in præcepto, non posset imponi præceptum diligendi proximum sub mensura sui ipsius.

De dilectione proximi præsertim agit S. Joannes, in prima sua Epistola. *Carissimi*, inquit, cap. V, *diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est... Et nos debemus alterutrum diligere... Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est... Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est... Et hoc mandatum habemus a Deo: Ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Ex quibus manifestum est, proximum ex caritate esse diligendum; nosque cum erga Deum tum erga proximum eadem caritate moveri.

II. **Ex Ratione.** Illi ex caritate diligendi sunt tanquam *objectum cui*, in quibus principale caritatis objectum invenitur. Sed « caritas respicit sicut principale objectum, bonum divinum, quod pertinet ad unumquemque secundum quod esse potest particeps beatitudinis. » *(S. Th., De Carit., a. 4, ad 2).* — Ergo omnes, qui divinæ beatitudinis sunt aut possunt esse participes, ex caritate sunt diligendi, ratione scilicet boni divini cujus sunt participes.

« Unde diligendus est ex caritate Deus ut radix beatitudinis; quilibet autem homo debet seipsum ex caritate diligere, ut participet beatitudinem; proximum autem ut socium in participatione beatitudinis; corpus autem proprium, secundum quod ad ipsum redundat beatitudo. » *(S. Th., loc. cit. a. 7).* — Et « amicitia caritatis fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, in cujus participatione communicant cum Angelis homines. Et ideo manifestum est quod amicitia caritatis etiam ad Angelos se extendit. » *(2. 2, q. 25, a. 10).*

1371. — Scholia. I. Caritas, licet multiplex habeat objectum materiale, est tamen virtus *una*, cum unum sit objectum ejus formale. « Ratio diligendi proximum Deus est; *ait S. Th.*, non enim per caritatem diligimus in proximo nisi Deum. Et ideo eadem caritas est qua diligitur Deus et proximus. » *(2. 2, q. 103, a. 3, ad 2; cf. q. 25, a. 1).*

II. Si proximus diligitur propter seipsum, et non propter Deum, dilectio non est caritas. « Caritas, *ait S. Th.*, diligit Deum ratione sui ipsius, et ratione ejus diligit omnes alios in quantum ordinantur ad Deum; unde quodammodo Deum diligit in omnibus proximis; sic enim proximus caritate diligitur, quia in eo est Deus, vel ut in eo sit Deus... Sed si diligeretur proximus ratione sui ipsius, et non ratione Dei, hoc ad aliam dilectionem pertineret, puta ad dilectionem naturalem. » *(De Carit., a. 1).* — In omni igitur actu, quo ex caritate diligitur proximus, diligitur Deus, vel expresse, vel virtualiter; « dilectio proximi, *ait S. Th.*, includit dilectionem Dei. » *(2. 2, q. 27, a. 8; cf. Duval, p. 501).*

III. Caritas, qua aliquis seipsum diligit, non est proprie amor amicitiæ, quia amicitia est ad alterum; sed est amor benevolentiæ, qua aliquis sibi propter Deum vult æternam beatitudinem et bona ad eam conducentia. *(2. 2, q. 25, a. 4).*

IV. Cum amicitiæ proprium sit, amicum amari propter se, et ratione amici omnia, quæ ejus sunt, amari, objectum materiale *quod* caritatis sunt omnia creata; omnia enim Dei sunt, et ad ejus gloriam ordinantur. « Alio modo diligitur aliquid, *ait S. Th.*, sicut quod volumus permanere ad bonum alterius; per quem modum ex caritate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei et utilitatem hominum. » *(2. 2, q. 25, a. 11).*

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS CARITATIS [1].

Plures enumerantur caritatis proprietates.

1372. — I. Caritas est omnium virtutum excellentissima. — Ait Apostolus (I Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.*

Est excellentior virtutibus moralibus tam acquisitis quam infusis: quia, virtus cum sit theologica, ipsum Deum habet pro objecto immediato.

[1] Cf. S. Alph., *Prax. Amor.*

Est excellentior fide et spe; scilicet: *ratione propinquitatis ad Deum:* « Cum tres virtutes theologicæ respiciant Deum sicut proprium objectum, *inquit S. Th.*, non potest una earum dici major altera ex hoc quod sit circa majus objectum, sed ex eo quod una se habeat propinquius ad objectum quam alia. Et hoc modo caritas est major aliis: nam aliæ important in sui ratione quamdam distantiam ab objecto; est enim fides de non visis, spes autem de non habitis; sed amor caritatis est de eo quod jam habetur; est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati. » *(1. 2, q. 66, a. 6).* — « Fides et spes attingunt quidem Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni; sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat; et ideo caritas est excellentior fide et spe. » *(2. 2, q. 23, a. 6); cf. n. 1307.*

1373. — II. **Caritas est omnium virtutum forma, motor, finis et mater** [1]. — Caritas dicitur forma virtutum, non quidem intrinseca aut essentialis; quælibet enim virtus a proprio fine et objecto formam habet specialem, per quam est *hæc specialis* virtus; — sed *extrinseca*, et *forma quasi informans*, per ordinationem scilicet actuum aliarum virtutum in finem suum proprium. Caritas enim sola tendit in finem ultimum sub ratione finis ultimi; aliæ vero virtutes tendunt in bona particularia, ordinabilia tamen ad fruitionem Dei per caritatem.

Illa igitur perfectio, quæ est ordinatio in ultimum finem, in actibus aliarum virtutum esse non potest nisi a sola caritate; sed omnis perfectio, quæ est in effectu ab agente superiori, est veluti forma effectus; quod autem est in effectu ab agente inferiori, est veluti materiale. « Unde manifestum est quod in actibus omnium virtutum est formale id quod est ex parte caritatis; et pro tanto dicitur forma omnium virtutum, in quantum scilicet omnes actus omnium virtutum

[1] Cf. 2. 2, q. 23, a. 7 et 8; *De Verit.*, q. 14, a. 5; *De Carit.*, art. 3.

ordinantur in summum bonum amatum. » *(S. Th., De Carit., a. 3).*

Caritas dicitur *motor* omnium aliarum virtutum « in quantum scilicet imperat actus omnium aliarum virtutum. Omnis enim virtus vel potentia dicitur movere per imperium inferiorem, ex eo quod actus inferioris ordinatur ad finem superioris... Unde cum omnes aliæ virtutes ordinentur ad finem caritatis, ipsa imperat actus omnium virtutum, et ex hoc dicitur motor earum. » *(S. Th., loc. cit.).*

« Caritas dicitur *finis* aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum. — Et quia mater est quæ in se concipit ex alio, ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum, quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos. » *(S. Th., 2. 2, q. 23, a. 8, ad 3).*

1374. — III. **Caritas in suo actu non habet modum.** — « Modus mensurationem quamdam importat, *ait S. Th.* Actus autem ab eo mensuratur quod est ratio agendi... Causa autem diligendi Deum est divina bonitas, quæ est infinita. Actus autem creaturæ est finitus, cum ex finita potentia procedat; et ideirco non potest esse commensuratus rationi dilectionis; et propter hoc in dilectione Dei non ponitur aliquis modus, ultra quem non oporteat progredi: sed quantumcumque diligat, semper ad ulteriora se extendit: et propter hoc dicitur, quod non habet modum, scilicet præfixum, ultra quem non oportet progredi. » *(3 Sent., D. 27, q. 3, a. 3).*

1375. — IV. **Caritas augeri potest.** — Caritatem, quamdiu homo vivit, augeri posse, est de fide, ut constat ex dictis *(n. 1261).* Legimus (Eph. IV, 15): *Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia.* — (Prov. IV, 18): *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.*

« Terminus augmento alicujus formæ, *inquit S. Th.*, potest præfigi tripliciter: uno modo ex ratione ipsius formæ, quæ habet terminatam mensuram, ad quam cum perventum fuerit, non potest ultra procedi in forma... Alio modo ex parte agentis, cujus virtus non se extendit ad ulterius augendum formam in subjecto. Tertio ex parte subjecti, quod non est capax ulterioris perfectionis. Nullo autem istorum modorum imponitur terminus augmento caritatis in statu viæ.

Ipsa enim caritas secundum rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet; est enim participatio quædam infinitæ caritatis, quæ est Spiritus Sanctus. Similiter etiam causa augens caritatem est infinitæ virtutis, scilicet Deus. Similiter ex parte subjecti terminus huic augmento præfigi non potest, quia semper caritate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum. Unde relinquitur quod caritatis augmento nullus terminus præfigi possit in hac vita.» *(2. 2, q. 24, a. 7).*

1376. — V. Caritas semel habita, quoad habitum diminui non potest. — Diminutio habitus caritatis aliter accidere non potest nisi vel per cessationem ab actibus, vel per aliquem actum caritati contrarium. Atqui neutro modo habitus caritatis minui potest.

1. *Non per cessationem ab actibus:* Per cessationem ab actibus diminuuntur solæ virtutes, quæ per actus acquiruntur: sed caritas non causatur ab actibus; cum enim sit virtus per se infusa, aliunde haberi nequit nisi a Deo eam infundente. Unde, cessante actu, propter hoc quoad habitum non diminuitur.

2. *Non per aliquem actum:* actus qui caritatis habitum diminuere posset, est solum peccatum: ast peccatum mortale caritatem non minuit, sed penitus tollit; veniale autem nec effective nec meritorie caritatem minuit. «Effective quidem non, quia ad ipsam caritatem non attingit; caritas enim est circa finem ultimum; veniale autem peccatum est quædam inordinatio circa ea quæ sunt ad finem: non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quæ sunt ad finem... Similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem caritatis; cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in caritate, per quam ordinatur ad ultimum finem. Unde consequens est quod caritas nullo modo diminui possit, directe loquendo; potest tamen indirecte dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius; quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis.» *(S. Th., 2. 2. q. 24, a. 10).*

1377. — VI. **Caritas peccatorem justificat.** — Præstantissima caritatis prærogativa est peccatorem per ipsius actum, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, statim justificari, juxta illud (Ps. VIII. 17): *Ego diligentes me diligo:* et (Joan. XIV, 21): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum.* (Cf. n. 1763).

1378. — **Scholium:** *De augmento caritatis* [1].

Consentiunt doctores catholici caritatem viæ per actus meritorios augeri; si autem moveatur quæstio de *modo quo* augeatur caritas, vel per quosnam actus, aut quanam in proportione augeatur, controversia viget inter eos.

1. *De modo quo augetur caritas*, duæ præcipuæ adsunt sententiæ. *Prima docet:* «caritatem augeri per productionem et additionem alicujus entitatis realiter distinctæ a præcedentibus entitatibus productis, quæ cum inter se conjunguntur, habitum caritatis intensiorem et perfectiorem quam antea faciunt, non minus quam una gutta aquæ addita alteri totam aquam majorem efficit. Cum autem illi gradus, licet reipsa distincti, sint ejusdem omnino rationis, qualitas, quæ ex illis coalescit, et augetur, est totum quoddam homogeneum.» *(Duval)* [2].

Altera, probabilior et communior, quæ est Thomistarum, Valentiæ [3], aliorumque, docet: caritatem non augeri per additionem novi gradus, sed per majorem caritatis radicationem in subjecto, quæ in hoc consistit quod subjectum magis ac magis formæ caritatis subjicitur, atque adeo caritas subjectum magis ac magis actuat. «Caritas, *inquit S. Th.*, augetur solum per hoc quod subjectum magis participat caritatem, id est secundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. Hic enim est augmenti modus proprius cujuslibet formæ quæ intenditur, eo quod esse hujus formæ totaliter consistit in eo quod inhæret susceptibili. Et ideo cum magnitudo rei consequatur esse ipsius, formam esse majorem, hoc est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire... Sic ergo et caritas augetur per hoc quod intenditur in subjecto; et hoc est ipsam augeri secundum essentiam; non autem per hoc quod caritas addatur caritati.» *(2. 2, q. 24, a. 5)* [4].

1379. — 2. *De actibus, quibus augetur caritas*, tres adsunt sententiæ.

Docent *S. Bonaventura* [5], *Durandus* [6], et alii pauci, caritatem augeri per solos actus intensiores vel æque intensos quam habitus cari-

[1] Cf. 1. *Sent.*, D. 17, q. 2. — [2] *De Carit.*, q. II, a. 3, p. 472. — [3] *De Carit.*, q. II, Punct. III, ass. 5. — [4] Cf. 1. 2, q. 52, a. 2; Gotti, *De Carit.*, q. II, dub. 3. — [5] 2. *Sent.*, D. 40, a. 2, q. 3. — [6] 1. *Sent.*, D. 17, q. 8.

tatis ; per actus vero remissiores neminem gratiæ vel caritatis augmentum mereri.

Thomistæ, cum *S. Thoma* [1], *Sylvio* [2], docent, hominem justum per omnes actus caritatis, tam elicitos quam imperatos, sive sint habitu caritatis intensiores sive remissiores, mereri augmentum caritatis ; cum hoc tamen discrimine, quod augmentum, quod quis per actus intensiores meretur, statim conferatur ac ponuntur actus ; augmentum vero, quod quis per actus remissos meretur, non statim conferatur, sed vel tunc, quando agens in actus ferventiores prorumpit ; vel in termino vitæ, si agens nullos actus ferventiores in vita sua eliciat.

Alii demum, quorum sententia probabilior videtur, docent, hominem justum per omnes actus caritatis, etiam minimos, augmentum caritatis mereri, illudque augmentum statim ac ponitur meritum, semper conferri [3].

1380. — 3. *De proportione, qua augeatur caritas per actus meritorios,* duæ adsunt sententiæ.

a) Docent communiter Thomistæ habitum caritatis non augeri secundum totam latitudinem actus meritorii, sed tantum juxta ipsius excessum supra habitum ; ita ut, si quis habens habitum ut sex, operetur actum ut octo, non recipiat nisi duos gradus augmenti. Qui vero antea posuit actus remissos et postea in ferventiorem actum prorumpit, augmentum correspondens excessui diversis titulis recipiet, scilicet cum ob meritum ipsius actus ferventioris, tum ob meritum actuum remissornm [4].

Ratio est, quia de augmento habituum infusorum loquendum est sicuti de infusione habituum acquisitorum. Sed actus habitûs acquisiti habitum non auget nisi secundum proportionem ejus excessus.

b) Alii vero, quorum opinio videtur probabilior, docent quemlibet actum meritorium augere habitum caritatis secundum totam suam latitudinem ; unde, si quis habens habitum ut sex, operetur ut duo, habebit octo gradus caritatis ; si vero operetur ut sex, duplicabit habitum.

Ratio est, quia debet servari proportio præmii ad meritum. Sed quilibet actus caritatis juxta proportionem sui gradus est meritorius augmenti gratiæ et caritatis. Ergo quilibet actus secundum totam suam latitudinem caritatem augere debet.

Præterea, si actus remissi juxta suam latitudinem caritatem non augerent, nullum de facto consequerentur præmium, cum caritatis augmentum ob excessum actus intensioris æque daretur, ac si actus remissi non præcessissent. Retributio autem ob diversos titulos præmium

[1] 2. 2, q. 24, a. 6. — [2] In 2. 2, q. 24. a. 6. — [3] Cf. Gibbon, Tr. IV, disp. 27 ; Duval, *De Carit.,* q. II, a. 4. — [4] Cf. Sylv., In 2. 2, q. 24, a. 6.

essentiale non auget. Et sic consequeretur, majorem partem bonorum actuum, quippe cum homines frequentius actus remissiores ponant, absque mercede remanere.

Nec urget ratio ab auctoribus primæ sententiæ assignata. Actus enim habituum acquisitorum habitum augent *efficienter* et *physice;* qua de causa actus remissior habitum augere nequit; actus autem caritatis habitum non augent efficienter et physice, sed *meritorie;* et Deus ipse est qui pro fervore actus meritorii habitum immediate auget. Unde non valet analogia illa inter habitus infusos et acquisitos.

PARS II.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

1381. — Virtus moralis est *habitus perficiens facultatem appetitivam, et inclinans eam ad constantem boni honesti prosecutionem juxta præscriptum rectæ rationis.* Virtutes morales ad quatuor principaliores reducuntur, quæ cardinales vocantur. Præmissis igitur *in capite primo* quibusdam notionibus circa virtutes cardinales in genere, agendum erit breviter de quatuor virtutibus cardinalibus in specie, scilicet in cap. II. de prudentia; in cap. III. de justitia; in cap. IV. de fortitudine; et in cap. V. de temperantia.

1382. — **NB.** Virtutes morales aliæ sunt acquisitæ, aliæ per se una cum gratia sanctificante infusæ. Acquisitæ et infusæ in eadem subjectantur potentia, et circa idem objectum materiale versantur; specie tamen ab invicem differunt, quia diversa habent objecta formalia, finesque diversos. Virtutes acquisitæ pro objecto formali habent medium a sola ratione humana statutum, atque ad bonum humanum ordinantur, ad finem scilicet naturalem, qui naturæ limites non supergreditur; infusæ pro objecto formali habent medium a ratione fide illustrata præfixum, atque ad bonum, quod naturæ limites transgreditur, ad Deum scilicet in se possidendum, ordinantur.

Quæ in hacce disputatione tractantur, ad virtutes tam infusas quam acquisitas pertinent.

CAPUT I.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS IN GENERE [1].

1383. — Definitio. — Virtus cardinalis est: *Virtus principalis inter morales, earumque cardo.* (Polm.) Enimvero, *ut ait S. Th.,* « cardinalis a cardine dicitur, in quo ostium vertitur; unde virtutes cardinales dicuntur in quibus fundatur vita humana, per quam ostium introitur... Vita proprie humana est vita activa, quæ consistit in exercitio virtutum moralium, et ideo proprie virtutes cardinales di-

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 61; *De Virt. in com.,* a. 12; *De Virt. card.,* a. 1; 3. *Sent.,* D. 33, q. 2, a. 1.

cuntur in quibus quodammodo vertitur et fundatur vita moralis, sicut in quibusdam principiis talis vitæ. » *(De virt. card., a. 1).*

« Virtutes cardinales dicuntur principaliores omnibus aliis, non quia sunt omnibus aliis perfectiores, sed quia in eis principalius versatur humana vita, et super eas aliæ virtutes fundantur. » *(Loc. cit.)*

1384. — Numerus virtutum cardinalium. — Virtutes cardinales quatuor enumerantur, videlicet: *prudentia, justitia, fortitudo* et *temperantia*: de quibus legimus in Scripturis (Sap. VIII, 7): *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*.

Enimvero, cum virtutes ab invicem specifice distinguantur secundum distinctionem objecti formalis, quod est bonum rationis, quot principaliora existunt objecta formalia, tot virtutes principales statui debent. Atqui, quatuor existunt principalia objecta formalia virtutum. « Principium formale virtutis, *inquit S. Th.*, est bonum rationis. Quod quidem dupliciter potest considerari: uno modo secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit; et sic erit una virtus principalis, quæ dicitur prudentia. Alio modo secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo, et hoc vel circa operationes, et sic est justitia; vel circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes », fortitudinem scilicet et temperantiam. *(1. 2, q. 61, a. 2).* Quatuor igitur existunt virtutes principaliores.

Præterea: Quot sunt diversa virtutum subjecta proxima, tot diversæ debent esse virtutes. Sed, « quadruplex, *inquit S. Th.*, invenitur subjectum hujus virtutis, de qua nunc loquimur; scilicet rationale per essentiam, quod prudentia perficit: et rationale per participationem, quod dividitur in tria, id est, in voluntatem, quæ est subjectum justitiæ; et in concupiscibilem, quæ est subjectum temperantiæ; et in irascibilem, quæ est subjectum fortitudinis. » *(Loc. cit.)* Merito igitur quatuor ponuntur virtutes principales seu cardinales.

NB. Quatuor istæ virtutes cardinales, præsertim infusæ, quatuor vulneribus per peccatum originale illatis naturæ humanæ opponuntur. *(1. 2, q. 85, a. 3).*

1385. — Virtutum cardinalium distinctio. — *Virtutes cardinales sunt habitus cum a se invicem tum ab aliis virtutibus realiter distincti.*

Virtutes cardinales dupliciter possunt accipi: *primo,* « prout significant quasdam generales conditiones humani animi, quæ inveniuntur in omnibus virtutibus, ita scilicet quod prudentia nihil sit aliud quam quædam rectitudo discretionis in quibuscumque actibus vel materiis; justitia vero sit quædam rectitudo animi, per quam homo operatur quod debet in quacumque materia; temperantia vero sit quædam dispositio animi, quæ modum quibuscumque passionibus vel

operationibus imponit, ne ultra debitum efferantur; fortitudo vero sit quædam dispositio animæ, per quam firmetur in eo quod est secundum rationem, contra quoscumque impetus passionum vel operationum labores.» *(S. Th., 1. 2, q. 61, a. 4)*. — Si virtutes cardinales in prædicta significatione considerantur, habitus speciales et distinctos non constituunt, sed sunt generales conditiones cujuslibet virtutis. *(1. 2, q. 61, a. 3)*.

Secundo, virtutes cardinales possunt accipi in *sensu proprio et stricto*, quatenus sunt habitus, qui versantur circa materiam, in qua ratio formalis illius virtutis principalem habet laudem atque difficultatem; aliæ vero virtutes, quæ circa eamdem materiam versantur, sed sub alia ratione formali, vocantur virtutes *adjunctæ vel secundariæ*. Sub hoc igitur respectu virtutes cardinales sunt speciales habitus, a se invicem et ab aliis virtutibus distincti. «In passionibus concupiscibilis, *ait S. Th.*, principaliores sunt concupiscentiæ et delectationes quæ sunt secundum tactum, circa quas est temperantia; et ideo in materia ista temperantia ponitur cardinalis... Inter passiones irascibilis, præcipuum est quod pertinet ad timores et audacias circa pericula mortis, circa quæ est fortitudo; unde fortitudo ponitur virtus cardinalis in irascibili... In actionibus autem quæ sunt respectu exteriorum quæ veniunt in usum vitæ, primum et præcipuum est quod unicuique quod suum est reddatur; quod facit justitia,... et ideo justitia est cardinalis virtus. In actibus etiam rationis præcipuum est præcipere sive eligere, quod facit prudentia... Unde prudentia est cardinalis.» *(De Virt. in com., a. 12, ad 26)*.

1386. — Relatio virtutum cardinalium ad alias virtutes. — Virtutes morales omnes reducuntur ad quatuor cardinales, *sive ut partes integrantes, sive ut partes subjectivæ, sive ut partes potentiales. (2. 2, q. 48)*.

Partes integrantes illæ vocantur virtutes, quæ virtutem cardinalem adjuvant, ut ipsius actus undequaque perfectus existat. «Hæ partes, *ait S. Th.*, proprie loquendo, non nominant per se virtutes, sed conditiones unius virtutis integrantes ipsam.» *(3. Sent., D. 33, q. 3, a. 1, q. 1)*. Hujusmodi sunt *memoria* et *intelligentia* relate ad prudentiam.

Partes subjectivæ illæ vocantur virtutes, in quas virtus cardinalis tanquam genus in species dividitur. Istæ virtutes rationem generalem virtutis, cujus sunt species, participant; suum tamen proprium specificativum habent; talis, v. gr., est *sobrietas* relate ad temperantiam.

Partes potentiales illæ dicuntur virtutes, quæ cum principali sunt connexæ, eique adjunctæ, sive quia ordinantur ad secundarios quosdam actus in eadem materia, sive quia versantur circa materiam, quæ cum objecto virtutis principalis similitudinem habet; in hac sua

materia eum imitantur modum, quem principalis virtus in suis actibus conservat. Et ideo vocantur *potentiales*, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Talis, v. gr., est *pietas* relate ad justitiam.

CAPUT II.

DE PRUDENTIA EJUSQUE PARTIBUS [1].

ARTICULUS I.

DE IPSA PRUDENTIA.

1387. — Definitio. — Prudentia a S. Thoma definitur: *Recta ratio agibilium.* — Describi potest: *Habitus intellectus practici ad recte statuendum quid in quolibet casu particulari faciendum sit, ut homo ad finem honestum perveniat.* — Ejus munus est, ex intentione finis, præsertim finis ultimi, applicare particularibus universalia principia agendorum, quæ per synderesim habentur, ut per hanc collationem cognoscat et secundum rectum dictamen rationis præcipiat, quid in quolibet casu particulari, visis omnibus circumstantiis, faciendum sit vel omittendum, ut finis bonus obtineatur.

1388. — Objectum materiale prudentiæ. — *Primarium* et *principale* objectum materiale prudentiæ sunt omnes actus liberi, qui ad mores pertinent, et ad finem moraliter bonum conducere vel ab eo retrahere possunt. — Objectum ejus *secundarium* et *minus principale* sunt alia quædam, quæ ad bonum et commodum vitæ humanæ pertinent; sic, v. gr., prudentia non solum valet ad vitanda peccata, sed etiam ad præcavenda externa pericula contra vitam, et ad licita vitæ commoda quærenda, et similia.

1389. — Formale objectum prudentiæ. — Prudentiæ objectum formale est medium rationis, seu rectitudo practica tanquam forma cuilibet actioni imprimenda. Hoc medium habetur per conformationem intellectus ad suam regulam, quæ est ipsa res; in quantum scilicet intellectus practicus dictat illud esse licitum vel faciendum quod revera licitum vel faciendum est; illud autem non esse licitum nec faciendum, quod revera non est licitum nec faciendum. « Unde idem medium, *inquit S. Th.*, quod est virtutis moralis, etiam est ipsius prudentiæ, scilicet rectitudo rationis; sed prudentiæ quidem est istud medium ut regulantis et mensurantis; virtutis autem moralis ut mensuratæ et regulatæ. » *(1. 2, q. 64, a. 3).*

[1] Cf. S. Th., 2. 2, q. 47, et seq.; 3. *Sent.*, D. 33.

1390. — Prudentia virtus moralis simul et intellectualis. — Hoc præ cæteris virtutibus habet prudentia, quod sit moralis simul et intellectualis virtus. « Prudentia, *inquit S. Th.*, est recta ratio agibilium. Agibilia autem dicuntur moralia opera; et ideo prudentia convenit cum moralibus virtutibus quantum ad sui materiam; et propter hoc connumeratur eis, licet quantum ad sui essentiam vel subjectum sit intellectualis. » *(De Virt. card., a. 1, ad 3)*. Prudentia enim agibilia considerat *sub ratione veri;* virtutes vero morales ea appetunt *sub ratione boni. (2. 2, q. 47, a. 5, ad 3)*.

1391. — Prudentia virtutum cardinalium nobilissima. — Nobilissima virtutum cardinalium est prudentia, utpote aliarum moderatrix. Ipsa aliis medium assignat, eisque indicat *ubi oportet, et quando oportet, et propter quod oportet* actum proprium ponere. « Per prudentiam, *ait S. Th.*, rectificatur via unicuique virtuti, quæ tendit in finem, in quantum per consilium et electionem segregantur utilia a nocivis respectu finis virtutis: et quantum ad hoc moderatrix et custos dicitur virtutum. » *(3. Sent., D. 33, q. 2. a. 5)*.

1392. — Actus prudentiæ. — Tres enumerantur actus prudentiæ. *Primus* est *bene consiliari,* inquirendo scilicet diligenter quæ media et quæ circumstantiæ sint necessaria ut opus fiat honeste. — *Secundus* est *bene judicare;* peracta diligente mediorum consideratione, ratio concludere debet quænam inter inventa media sint bona et ad finem convenientia, et quo modo, quove tempore et loco opus sit ponendum. — *Tertius* est *efficaciter præcipere;* qui actus consistit in applicatione consiliatorum et judicatorum ad operandum, movendo scilicet alias virtutes ad exsequendum ea, quæ judicata sunt. Hic actus est principalior, sine quo prudentia finem intentum consequi minime posset. *(1. 2, q. 57, a. 6; 2. 2, q. 47, a. 8)*.

1393. — Prudentiæ necessitas. — Ex dictis manifestum est, prudentiam esse ad vitam recte instituendam omnino necessariam. Ad rectam enim vitam instituendam duo requiruntur, scilicet ut homo sit bene dispositus tam relate ad debitum finem, quam relate ad media, quæ ad finem conducunt. Ad debitum autem finem homo per virtutes morales, quæ appetitum perficiunt, convenienter disponitur; ad media vero, quibus finis obtinetur, per solam prudentiam convenienter disponitur. Ad recte igitur vivendum prudentia est homini prorsus necessaria.

ARTICULUS II.

DE PARTIBUS PRUDENTIÆ [1].

Prudentiæ, sicut cujuslibet virtutis cardinalis, triplicis generis assignantur partes: *integrales, subjectivæ,* et *potentiales. (2. 2, q. 48)*.

[1] Cf. Marc., *Inst. Mor.*, n. 393.

1394. — I. **Partes integrales,** seu dotes vel proprietates perfectæ prudentiæ, octo enumerantur a *S. Thoma, (2. 2, q. 49)*, nimirum:

1. *Memoria*, quæ est præteritorum recordatio; experimentum enim de præteritis ad bene consiliandum et prudenter de præsentibus vel de futuris judicandum, multum confert. *(Art. 1).*

2. *Intellectus*, qui est tum præsentium notitia, (seu rei hic et nunc agendæ plena cognitio), tum notitia principiorum moralium, quæ, ut de particulari operabili prudens eliciatur judicium, concurrere debent. *(Art. 2).*

3. *Docilitas*, quæ est animi promptitudo ad aliena capessenda consilia. Cum enim in particularibus operabilibus, circa quæ versatur prudentia, quasi infinitæ sint diversitates, nullius sibi sufficit ut de omnibus semper prudenter judicet; et ideo quisque ab aliis, præsertim a senioribus, qui propter longam experientiam sanum circa particularia operabilia adepti sunt intellectum, eruditi indiget. *(Art. 3).*

4. *Solertia*, quæ est aptitudo ad inveniendum per seipsum prompte et faciliter medium conveniens, præsertim in repentinis. *(Art. 4).*

5. *Ratio*, quæ est promptitudo quædam ratiocinandi, applicando universalia principia moralia ad particularia operabilia, et deducendo ex hac collatione judicium de agendis. *(Art. 5).*

6. *Providentia*, quæ finem operis considerat, necnon et futuros eventus contingentes, ut eos in finem intentum ordinet. *(Art. 6).*

7. *Circumspectio*, quæ omnes operis circumstantias attente inspicit, ne aliqua requisita desit. *(Art. 7).*

8. *Cautio*, quæ est cura vitandi mala et impedimenta, quibus ab extrinseco virtutis opus vitiari aut impediri posset. *(Art. 8).*

Ex his actibus solertia et docilitas maxime juvant ad prudentiam acquirendam: memoria, intellectus, providentia et ratio potissimum juvant ad actum prudentiæ, in consultando et judicando; circumspectio et cautio, in operis exsecutione.

1395. — II. **Partes subjectivæ,** seu species prudentiæ, duæ enumerantur. *(2. 2. q. 47, a. 10 et 11; 3 Sent. D. 33, q. 3, a. 3).*

1. *Prudentia personalis* seu *monastica*, qua aliquis circa media ad consequendum bonum proprium, præsertim finem ultimum, bene disponitur. Hæc est proprie et simpliciter dicta prudentia, utpote quæ sola supponat agentem bene dispositum relate ad finem suum ultimum.

2. *Prudentia gubernatrix*, qua aliquis bene consiliatur, bene judicat et efficaciter media præcipit ad bonum multitudinis, cui præest, consequendum.

Personalem et gubernatricem prudentiam specie ab invicem differre, ex eo manifestum est, quod diversa sunt bona ad quæ tendunt: aliud enim est bonum privatum cujuslibet hominis, et aliud bonum commune totius multitudinis.

Prudentia gubernatrix pro diversitate bonorum, ad quæ diversæ communitates ordinantur, in alias subdividitur species, nempe: In pru-

dentiam *domesticam,* quæ ordinatur ad bonum familiæ; in *civilem* seu *regnativam,* quæ ad bonum regni ordinatur; et in *militarem,* quæ ordinatur ad bonum exercitus. *(2. 2, q. 60).*

1396. — III. **Partes potentiales** prudentiæ, seu virtutes adjunctæ, tres enumerantur. *(2. 2, q. 61; 3 Sent. D. 33, q. 3, a. 1).* — Tres, ut notatum est *(n. 1392),* sunt actus prudentiæ, quorum principalior est *præcipere;* prudentiæ proprius est hic actus, ad quem consilium et judicium tanquam actus secundarii ordinantur. — Ad actus illos secundarios debite ponendos tres juvant virtutes: *eubulia, synesis* et *gnome,* quæ ad prudentiam tanquam ad virtutem principaliorem ordinantur.

Eubulia est habitus bene consiliativus; perficit rationem practicam ad inveniendum rectum medium perveniendi ad finem. — Differt a solertia in hoc, quod solertia quasi subito invenit medium in repentinis; eubulia vero, in communiter contingentibus, et ratiocinando et inquirendo.

Synesis est habitus de consultatis bene judicandi secundum communes regulas.

Gnome est habitus de consultatis recte judicandi secundum aliqua altiora principia quam sint regulæ communes, attamen juxta mentem legislatoris.

Conspectus Prudentiæ cum suis partibus.

Prudentia quæ est Recta Ratio Agibilium.

- 1. Cujus partes integrales sunt:
  1. Memoria.
  2. Intelligentia.
  3. Docilitas.
  4. Solertia.
  5. Ratio.
  6. Providentia.
  7. Circumspectio.
  8. Cautio.
- 2. Cujus partes subjectivæ sunt:
  1. Personalis seu monastica.
  2. Gubernatrix cujus partes sunt:
     - Domestica seu œconomica.
     - Regnativa seu civilis.
     - Militaris, etc.
- 3. Cujus partes potentiales sunt:
  1. Eubulia.
  2. Synesis.
  3. Gnome.

CAPUT III.

DE JUSTITIA EJUSQUE PARTIBUS.

ARTICULUS I.

DE IPSA JUSTITIA.

1397. — Definitio. — Justitia, qua virtus cardinalis ab aliis virtutibus distincta, a S. Thoma definitur: *Habitus secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit. (2. 2, q. 58. a. 1).* — Munus justitiæ est statuere æqualitatem quamdam in operationibus quæ sunt ad alterum, perficiendo scilicet et inclinando voluntatem ad reddendum unicuique quod justum est, ad quod scilicet unusquisque juxta legis naturalis aut positivæ ordinationes jus et legitimam potestatem habet. — Actus ipsius proprius est reddere unicuique *quod* debetur, et *quantum* debetur.

1398. — Objectum justitiæ. — *Materiale justitiæ objectum* sunt res et operationes alteri quomodocumque debitæ.

Objectum formale est *ratio debiti*, seu specialis honestas, quæ in eo relucet, ut unicuique, quod suum est, reddatur. *(2. 2, q. 69, a. 1).*

Medium justitiæ a ratione statutum, est *ipsum medium rei*, quædam scilicet æqualitas rei exterioris ad personam exteriorem, ut ei reddatur quod debetur, nec plus nec minus *(2. 2, q. 58, a. 8 et 10)* cf. n. 1297.

1399. — Conditiones ad justitiam requisitæ. — Ad veram perfectamque justitiam tres requiruntur conditiones, nimirum:

1. *Ut sit ad alterum.* – « Cum nomen justitiæ æqualitatem importet, *ait S. Th.*, ex sua ratione justitia habet quod sit ad alterum; nihil enim est sibi æquale, sed alteri. » *(2. 2, q. 58, a. 2).*

2. *Ut versetur circa debitum rigorosum*, tale scilicet, ex cujus omissione stricta oriatur restitutionis aut reparationis obligatio; ratio enim formalis, qua res aut operatio constituitur propria materia justitiæ, est *ratio debiti* juxta statuta legis. Ubi ergo non est debitum rigorosum, ibi nec rigorosa adesse potest justitia.

3. *Ut reddat ad æqualitatem*, tantum scilicet quantum debetur. — Sed cum perfecta æqualitas non possit esse nisi inter æquales, consequenter perfecta justitia nonnisi inter æquales existere potest; ex quo sequitur Deum inter et hominem, patrem inter et filium, dominum inter et servum, justitiam simpliciter et proprie dictam adesse non posse; sed tantum quemdam justitiæ modum. *(2. 2, q. 57, a. 1, ad 3, et a. 4).*

ARTICULUS II.

DE PARTIBUS JUSTITIÆ.

1400. — I. **Partes integrales** justitiæ duæ ponuntur, scilicet *facere bonum* sub ratione debiti, et *declinare a malo* sub ratione injuriæ. Hæc enim duo ad perfectum actum justitiæ requiruntur. « Ad justitiam enim pertinet, *ait S. Th.*, æqualitatem constituere in his quæ sunt ad alterum. Ejusdem autem est constituere aliquid, et constitutum conservare in his quæ sunt ad alterum. Constituit autem aliquis æqualitatem justitiæ, faciendo bonum, id est, reddendo alteri quod ei debetur; conservat autem æqualitatem justitiæ jam constitutæ, declinando a malo, id est, nullum nocumentum proximo inferendo. » *(2. 2. q. 69, a. 1).*

Licet vero facere bonum et vitare malum ad omnem virtutem pertineant, solius tamen justitiæ partes dicuntur, « quia aliæ virtutes morales consistunt circa passiones, in quibus bonum facere est venire ad medium, quod est declinare ab extremis quasi a malis; et sic in idem redit, quantum ad alias virtutes, facere bonum, et declinare a malo. Sed justitia consistit circa operationes et res exteriores, in quibus aliud est facere æqualitatem, et aliud est factam non corrumpere. » *(S. Th., loc. cit. ad 1).*

1401. — II. **Partes subjectivæ** justitiæ tres enumerantur, scilicet: *justitia commutativa*, *distributiva*, et *legalis. (2. 2. q. 61).* — Ratio hujus divisionis in eo fundatur, quod justitia ordinatur ad alterum: hæc autem ordinatio in membris alicujus communitatis triplex est: vel partis ad partem seu privatæ personæ ad privatam; vel totius ad partem; vel partis ad totum. *(Cf. n. 501).*

1. Si justitia consideratur tanquam virtus inclinans hominem privatum ad reddendum privato quod suum est, tunc vocatur *justitia commutativa*, quia in diversis commutationibus et contractibus, quæ inter homines fieri solent, præsertim invenitur. In hac justitia accipitur æqualitas *arithmetica*, quæ est rei ad rem: v. gr., si decem accepisti, decem reddere debes. — Hæc est rigorosa et stricta justitia.

2. Si justitia consideratur tanquam virtus inclinans communitatem vel ejus Caput ut præmia, dignitates et honores, onerave communia membris communitatis, juxta meritorum facultatumve proportionem distribuat, vocatur *justitia distributiva*. In hac justitia accipitur æqualitas geometrica, quæ non est rei ad rem, sed rei ad personam; et in eo sita est quod, sicut una persona aliam merito, vel dignitate, vel facultatibus excedit, ita etiam res, quæ datur uni personæ, excedat rem quæ datur alteri. Justitia distributiva non habet rationem strictæ justitiæ; quia non in jure stricto, sed in debito con-

venientiæ fundatur. — Ipsa in eo, qui bonis communibus præsidet, principaliter invenitur; residet tamen etiam aliquo modo in subditis, in quantum scilicet justa distributione contenti sunt. *(Q. 61, a. 1, ad 3).*

3. Si justitia consideratur tanquam ordinans privatum vel principem ad ea omnia præstanda, quæ communitati debentur in ordine ad bonum commune, vocatur *legalis* seu *generalis*: *legalis* quidem, quia versatur circa omnia legis statuta pro bono communi; *generalis* vero, quia actus omnium aliarum virtutum in bonum commune ordinat. — Est tamen virtus *specialis* ob speciale objectum, bonum scilicet commune, ad quod hominem ejusque actus dirigit. — Deficit a ratione justitiæ rigorosæ, quia non est stricte ad alterum, cum quilibet privatus sit pars communitatis, et bonum commune ad omnia communitatis membra pertineat. *(2. 2, q. 58, a. 5 et 6).*

Justitia legalis in duas species subdividitur: *in legalem specifice dictam*, et *in Epikeiam*. — Justitia *legalis specifice dicta* respicit bonum commune et observantiam legum, attendendo ad verba legis; dirigitur a synesi, quæ est recte judicativa secundum leges et regulas communes. — *Epikeia* respicit bonum commune, assequendo mentem legislatoris in iis, ad quæ littera legis se non extendit, vel in quibus legis applicatio nociva foret: dirigitur a gnome, quæ est recte judicativa per altiora principia præter communes regulas. *(2. 2, q. 120).*

NB. Justitia *vindicativa*, qua reis justa punitio irrogatur, tum ad justitiam legalem, tum ad commutativam pertinet. Ad legalem quidem, quia bonum reipublicæ exigit, ut delicta puniantur; ad commutativam vero, tum quia vindicativa inclinat ad inferendum reis pœnam criminibus respondentem, tum quia judex bonum publicum tueri et servare ex officio tenetur.

1402. — III. **Partes potentiales** justitiæ, seu virtutes annexæ, plures enumerantur, quæ ad tres classes referri possunt [1]. Virtutes enim adjunctæ illæ dicuntur, quæ in aliquo cum principali conveniunt, et in aliquo ab ea deficiunt. Cum igitur justitia sit ad alterum, ut ei reddatur quod ei secundum æqualitatem debetur, omnes virtutes, quæ sunt ad alterum, ad justitiam referuntur: ad cujus tamen perfectionem non pertingunt, quia vel a ratione æqualitatis, vel a ratione stricti debiti deficiunt. *(2. 2, q. 80).* Igitur:

1403. — Prima classis illas complectitur virtutes, in quibus invenitur debitum strictum, sed quæ illud ad æqualitatem reddere non possunt. Hæ virtutes sunt *Religio*, *Pœnitentia*, *Pietas* et *Observantia*.

Religio est virtus inclinans voluntatem ad tribuendum cultum debitum Deo, tanquam primo rerum omnium principio. — Est virtutum moralium excellentissima, quia operatur ea, quæ directe et immediate in honorem divinum ordinantur. *(2. 2, q. 81).*

[1] Cf. 2. 2, q. 80.

Pœnitentia est virtus tendens in destructionem peccati in quantum est Dei offensa, medio dolore et satisfactione. *(P. 3, q. 85, a. 3).*

Pietas est virtus inclinans voluntatem ad exhibendum parentibus, consanguineis et patriæ, officium et cultum debitum. *(2. 2, q. 101).*

Observantia est virtus inclinans voluntatem ad exhibendum cultum debitum superioribus et personis in dignitate constitutis. *(2. 2, q. 102).* — Observantia subdividitur in *duliam* et *obedientiam.* — *Dulia* est virtus, quæ inferiores inclinat ad reddendum personis in dignitate constitutis servitutem et reverentiam debitam ob eorum excellentiam. *(2. 2, q. 103).* — *Obedientia* est virtus inclinans subditos ad superiorum præcepta exsequenda.

1404. — Secunda classis illas complectitur virtutes, quæ a ratione justitiæ deficiunt, quia debitum, quod alteri reddunt, non vi justitiæ, sed solum ex honestate virtutis exigitur: ita tamen exigitur ut sine eo honestas morum conservari non possit, et cujus proinde omissio peccatum constituat. Hujusmodi sunt *veritas, gratitudo* et *vindicatio.*

Veritas est virtus inclinans ad dicendum verum *quando* oportet et *quantum* oportet. *(2. 2, q. 109).* — A veritate, non re sed ratione tantum, differt *simplicitas*, qua quis exterius talem se verbis et factis exhibet, qualis est interius. *(2. 2, q. 111, a. 3, ad 2).* — Ad veritatem revocatur *fides* seu *fidelitas*, qua debitum ratione promissionis redditur.

Gratia seu *gratitudo* est virtus inclinans ad compensandum beneficium receptum. *(2. 2, q. 106).* — Si gratitudo consideratur quatenus ad omnes, ad Deum scilicet, parentes et superiores, extenditur, non est specialis virtus, sed est actus vel religionis, vel pietatis, vel observantiæ; si vero ad eos tantum, in quibus sola invenitur ratio benefactoris, extenditur, specialis est virtus ab aliis distincta.

Vindicatio est virtus qua « homo secundum omnes circumstantias debitam mensuram in vindicando conservat. » *(S. Th., 2. 2, q. 108, a. 2, ad 3).* — Differt a justitia vindicativa, quia hæc est actus justitiæ vel commutativæ vel legalis, atque a legitimo judice exercetur; vindicatio vero est virtus specialis, qua homo privatus ad vindictam pro illata injuria requirendam inclinatur cum justo moderamine.

1405. — Tertia classis illas complectitur virtutes, quæ a ratione justitiæ deficiunt, quia debitum, quod alteri reddunt, non vi justitiæ, sed solum ex quadam honestate virtutis exigitur. Si quod debetur non redditur, hæc omissio per se nullum involvit peccatum; si redditur, hoc ad majorem honestatem pertinet. Sunt *liberalitas* et *affabilitas.*

Liberalitas est virtus moderans amorem pecuniæ, ut eam in nostram et proximi utilitatem Deique honorem libenter et prompte elargiamur. *(2. 2, q. 118).*

Affabilitas est virtus efficiens conversationem cum proximo gratam et decentem. Dicitur etiam *amicitia.* *(2. 2, q. 114).*

Conspectus Justitiæ cum suis partibus.

Justitia qua aliquis jus suum unicuique tribuit.

- 1. Cujus partes integrales sunt:
  - 1. Declinare a malo.
  - 2. Facere bonum.
- 2. Cujus partes subjectivæ sunt:
  - 1. Justitia commutativa.
  - 2. Distributiva.
  - 3. Legalis, cujus partes sunt:
    - Legalis specifice dicta.
    - Epikeia.
- 3. Cujus partes potentiales sunt:
  - 1. Religio.
  - 2. Pœnitentia.
  - 3. Pietas.
  - 4. Observantia, cujus partes sunt:
    - Dulia.
    - Obedientia.
  - 5. Veritas, cujus partes sunt:
    - Simplicitas.
    - Fides.
  - 6. Gratia seu gratitudo.
  - 7. Liberalitas.
  - 8. Affabilitas seu amicitia.

CAPUT IV.

DE FORTITUDINE EJUSQUE PARTIBUS.

ARTICULUS I.

DE IPSA FORTITUDINE.

1406. — Definitio. — Fortitudo, in quantum est virtus cardinalis, definitur: *Habitus dans animo firmitatem in maximis periculis, præsertim in periculis mortis. (2. 2, q. 123, a. 5).* — Ejus essentia consistit in firmitate, qua quis contrariis a bono prohibentibus non cedit. *(2. 2, q. 124, a. 2, ad 1).*

1407. — Objectum materiale. — Duplex est materiale fortitudinis objectum: *remotum* et *proximum*. — *Objectum remotum* sunt pericula ma-

ximi momenti, præsertim pericula mortis. — *Objectum proximum* sunt passiones appetitus irascibilis, timor scilicet et audacia, quas fortitudo dirigere debet, timorem scilicet cohibendo, et moderando audaciam.

1408. — Objectum formale. — Formale fortitudinis objectum est bonum sub ratione ardui, et specialis honestas quæ in hoc relucet, ut homo propter bonum rationis maxima, etiam mortis pericula, sustineat. Fortitudinis est hominem in bono ita firmare, ut ab illa propter timorem cujuscumque mali corporalis non recedat.

1409. — Actus fortitudinis. — Fortitudini duo assignantur actus: *sustinere* et *aggredi. (Q. 123, a. 3 et 6).* — Magno imminente periculo, homo a bono rationis plerumque retrahitur per timorem, qui est recessus a malo difficultatem habente. Necesse est igitur ut fortitudo timorem cohibeat, et homini tribuat ut in periculis immobiliter sistat, omniaque mala corporalia patienter sustineat, ne bonum ordinis superioris amittat: qui actus vocatur *sustinere.* — Sed satis non est ut homo mala patienter sustineat; quandoque etiam ad securitatem sibi procurandam necesse est, ut pericula fortiter aggrediatur, ad ea removenda: ad hoc ordinatur *audacia,* quam moderatur fortitudo. Sic, v, gr., in bello, ad bonum patriæ salvandum, non sufficit inimicorum injurias patienter sustinere, sed eorum etiam aggressiones armis repellantur, necesse est.

Principalior ex his actibus est *sustinere,* quia, *ut ait S. Th., (q. 123, a. 6)*, sustinere difficilius est quam aggredi, cum difficilius sit timorem reprimere quam moderari audaciam. Qua de causa martyrium, quod consistit in sustinendo mortis pericula propter bonum fidei, perfectissimus fortitudinis actus æstimatur. *(Q. 123, a. 2).*

ARTICULUS II.

DE PARTIBUS FORTITUDINIS.

Fortitudini, si sumitur tanquam specialis virtus, nullæ possunt assignari *partes subjectivæ;* versatur enim circa materiam omnino specialem, pericula scilicet mortis, quæ licet sint alia aliis majora, omnia tamen ejusdem sunt generis. *(Q. 128).*

1410. — Partes integrantes et **potentiales** fortitudinis quatuor enumerantur, videlicet: *magnanimitas, magnificentia, patientia* et *perseverantia.*

Hæc quatuor, si considerantur ut coaretata ad propriam materiam fortitudinis, nempe ad pericula mortis, ponuntur *partes integrantes* fortitudinis, sine quibus fortitudo esse non potest: magnanimitas enim et magnificentia ad actum, qui est *aggredi;* patientia vero et perseverantia ad actum, qui est *sustinere,* concurrere debent.

Si vero ad alias referuntur materias, in quibus minor invenitur difficultas, speciales constituunt virtutes, et fortitudini tanquam virtuti principali adnectuntur; tum quia versantur circa arduum, tum quia animæ firmitatem tribuunt ut difficultates, quæ ab illo bono retrahunt, vel patienter sustineat, vel fortiter aggrediatur; et sic istæ speciales virtutes in materia sua propria illum observant modum, quem **fortitudo circa suam materiam ponit.**

1411. — 1. *Magnanimitas*, quæ vi nominis quamdam importat animi extensionem ad magna, est virtus inclinans ad opera magna, heroica, atque honore digna, in omni genere virtutum. — Objectum ejus materiale *remotum* sunt omnium virtutum actus excellentissimi, atque magni honores, non quidem mundani, quos magnanimus parvipendit, sed ii, qui ex omni virtute apud Deum et viros sanctos habentur. — Objectum ejus materiale *proximum* sunt passiones spei et desperationis, quas in magnorum prosecutione moderatur: spem stimulat et erigit, ut ad magna fiducialiter et secure adspiret; desperationem vero comprimit, ne quis propter operis arduitatem et honoris magnitudinem ab eorum prosecutione desistat, pusillanimisque efficiatur. — Objectum ejus *formale* est specialis ratio boni et honesti, quæ in magnorum prosecutione secundum rectæ rationis regulam relucet, *(2. 2, q. 129 et 130)*.

Ad magnanimitatem pertinent: *a) fiducia* seu *fidentia*, quæ est firma opinio de felici successu in aggrediendo magna, et importat quoddam robur spei, ex persuasione superandarum difficultatum adipiscendique boni ardui. Qui enim absque fiducia successus grandia aggrederetur, non magnanimus, sed temerarius existeret. *(Q. 129, a. 6)*. *b) Securitas*, quæ importat quamdam animi tranquillitatem reddentem hominem curis superfluis solutum. Qui enim timore nimis perculitur, vel curis angitur superfluis, adversæ fortunæ faciliter cedit, et magnis aggrediendis impar est. *(Q. 129, a. 7)*.

1412. — 2. *Magnificentia* est virtus inclinans ad magna opera externa magnis sumptibus perficienda, juxta præscriptum rectæ rationis. — Differt a magnanimitate; hæc enim intendit opera magna et maximis honoribus digna in omni genere virtutum, magnificentia vero intendit magnitudinem in operibus externis artefactis, ad quæ magni sumptus sunt necessarii, cujusmodi est ædificatio templi vel monasterii in honorem Dei, vel xenodochii in utilitatem pauperum, vel palatii in usum ipsius magnifici. *(2. 2, q. 134)*.

Objectum *materiale proximum* et intrinsecum sunt passiones spei, timoris et desperationis: magnificentia spem dirigit ne majora, quam decet, aggrediatur, vel ne a magnitudine operum vel expensarum dejiciatur; timorem et desperationem coercet, ne a magnis sumptibus contra rectum rationis dictamen retrahant. — Objectum *materiale remotum* et externum sunt tum ipsa opera externa, tum sumptus ad ea

necessarii. — Objectum *formale* est specialis ratio boni et honesti, quæ in magnorum effectione juxta regulam rectæ rationis relucet.

1413. — 3. *Patientia* est virtus firmans animum in tolerantia afflictionum, ne propter tristitias irruentes a bono virtutis recedat. — Si consideratur ut firmans animam contra tristitias periculorum mortis, patientia est pars integralis fortitudinis; si consideratur ut firmans contra tristitias, quæ ex malis minoris momenti oriuntur, ut sunt exilium, morbi, amissio bonorum, mors parentum, etc., specialis est virtus fortitudini annexa. *(Q. 136).*

Objectum *materiale remotum* patientiæ sunt mala contristantia; objectum *materiale proximum* est passio tristitiæ, cujus motus tam internos quam externos, ut sunt dejectio animi, lacrymæ, verba, etc., moderatur. — Objectum *formale* est specialis ratio boni ardui et honesti, quæ in hoc relucet, quod homo propter diuturnam malorum perpessionem a bono virtutis non recedat.

Patientia, cum versetur circa tristitias, subjectatur in concupiscibili. « Nec hoc impedit, *ait S. Th.*, quin patientia sit pars fortitudinis, quia adjunctio virtutis ad virtutem non attenditur secundum subjectum, sed secundum materiam vel formam. » *(Q. 136, a. 4, ad 2).*

Ad patientiam refertur *longanimitas*, quæ contra tristitias, ex longa boni sperati dilatione nascentes, animam firmat. *(Q. 136, a. 5).*

1414. — 4. *Perseverantia*, quatenus est virtus specialis quæ in irascibili subjectatur, est virtus qua homo in opere bono cujusque virtutis firmiter persistit, non obstantibus molestiis ac difficultatibus, quæ ex actuum diuturnitate proveniunt. *(Q. 137).*

Objectum ejus *materiale proximum* sunt passiones irascibiles, quas moderatur, ne propter defatigationem, quæ ex actuum frequentatione vel diuturnitate oritur, a bono desistant. — Objectum *materiale remotum* sunt actus omnium virtutum sub ratione continuationis. — Objectum *formale* est specialis ratio boni ardui et honesti, quæ in continuatione boni operis non obstante actuum diuturnitate relucet.

Perseverantiæ ex parte affinis est *constantia*, quæ homini etiam tribuit firmiter persistere in bono contra difficultatem; ab ea tamen differt quoad causas quæ difficultatem afferunt; « nam virtus perseverantiæ proprie facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quæ provenit ex ipsa diuturnitate actus; constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quæ provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis. » *S. Th. (loc. cit., a. 3).*

Conspectus Fortitudinis cum suis partibus.

Fortitudo virtus moderans passiones appetitus irascibilis.	Cujus partes integrales et potentiales sunt:	1. Magnanimitas, ad quam referuntur	Fiducia. Securitas.
		2. Magnificentia.	
		3. Patientia, ad quam refertur	Longanimitas.
		4. Perseverantia, ad quam refertur	Constantia.

CAPUT V.

DE TEMPERANTIA EJUSQUE PARTIBUS.

ARTICULUS I.

DE IPSA TEMPERANTIA.

1415. — Definitio. — Temperantia, in quantum est virtus cardinalis, definitur: *Virtus moderans passiones concupiscibiles circa delectationes gustus et tactus, juxta regulam rectæ rationis. (2. 2, q. 141).*

Temperantia inter virtutes cardinales ponitur, quia refrænatio appetitus circa delectationes gustus et tactus maximam et specialissimam habet difficultatem, cum istæ delectationes sint vehementissimæ, et sequantur operationes homini maxime connaturales et ad conservationem individui aut speciei maxime necessarias.

1416. — Objectum temperantiæ. — Objectum *materiale remotum* temperantiæ sunt ipsa objecta delectabilia, cibus scilicet, potus, et res veneræ. — Objectum *materiale proximum* sunt tum usus prædictarum rerum, tum maximæ delectationes, quas in usu istarum rerum omnes naturaliter experiuntur. — Objectum *formale* est specialis ratio boni et honesti quæ in hoc relucet, quod homo his rebus utatur juxta regulam rectæ rationis vel legis divinæ, prout decet humanæ naturæ dignitatem.

1417. — Medium temperantiæ. — Medium seu regula, quam ratio assignat temperantiæ, ex præsentis vitæ necessitate desumitur: omnia enim delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ad aliquam hujus

vitæ necessitatem, tanquam ad finem ordinantur. Recta igitur ratio dictat consentaneum esse humanæ dignitati, ut homo istis rebus unice utatur in quantum ad vitæ necessitatem necessariæ sunt, observatis tamen circumstantiis cujusque personæ, dignitatis, officii. etc. *(Q. 141, a. 6)*.

ARTICULUS II.

DE PARTIBUS TEMPERANTIÆ [1].

1418. — I. **Partes integrantes,** seu conditiones temperantiæ, duæ assignantur: *verecundia* et *honestas*.

1. *Verecundia* est timor turpitudinis et exprobrationis. Verecundia non est virtus, sed passio, scilicet timor de turpi actu; et est conditio ad temperantiam necessaria. *(2. 2, q. 144, a. 1)*.

Objectum, quod verecundia primo et per se timet et refugit, est vituperium seu opprobrium, et ex consequenti, ipsum turpe factum, ex quo opprobrium nascitur. — Verecundiæ effectus est ut homo in turpibus, quæ agit, aliorum conspectus vitet, propter timorem vituperii; si autem propter timorem vituperii homo ab ipsis actibus turpibus abstinet, verecundia vocatur erubescentia. *(Q. 144, a. 2)*.

2. *Honestas* est pulchri et decori amor et prosecutio. Honestas est proprie status honoris; est spiritualis quædam pulchritudo, quæ omnibus virtutibus communis est. Sicuti enim quilibet actus vitiosus propter suam disconvenientiam cum sua regula, turpis est, et indecorus, et vituperatione dignus, ita quilibet actus virtuosus ex conformatione ad suam regulam, spiritualem quamdam habet pulchritudinem atque claritatem, propter quas honore et gloria dignus est: in quo præcise consistit ratio honestatis. *(2. 2, q. 145)*.

Speciali tamen ratione, propter materiam scilicet circa quam temperantia versatur, ipsi spiritualis pulchritudo et honestas attribuuntur. Versatur enim circa delectationes tactus et gustus, quæ hominibus et brutis sunt communes, et ex quibus summa enascitur turpitudo. Quia igitur temperantia cohibendo prædictas delectationes, maximam ab homine tollit turpitudinem, ipsi specialiter attribuuntur et spiritualis pulchritudo, et ex consequenti honestas, quæ est hujus pulchritudinis amor et prosecutio.

1419. — II. **Partes subjectivæ,** seu species temperantiæ, quatuor enumerantur, quia quadruplex existit materia, cujus moderamen temperantiæ incumbit. Sunt: *Abstinentia* et *sobrietas*, quæ usum nutrimenti; *castitas* et *pudicitia*, quæ usum venereorum moderantur.

1. *Abstinentia* est virtus moderans usum cibi, juxta regulam rectæ rationis. Ejus actus principalis est jejunium. *(Q. 146)*.

[1] 2. 2., q. 143 et seq.; Marc., n. 408.

2. *Sobrietas* est virtus moderans affectum usumque potus vim inebriandi habentis. *(Q. 149).*

3. *Castitas* est virtus, quæ cohibet vel moderatur appetitum et usum venereorum, secundum rectam rationem. Dividitur in castitatem juvenilem, conjugalem, vidualem et virginalem. *(Q. 151).*

4. *Pudicitia* est virtus castitati subordinata, quæ pudori humano conformat tum usum venereorum, tum omnia quæ ad venerem ordinantur, ut sunt gestus, aspectus, tactus, oscula, etc.

1420. — III. **Partes potentiales,** seu virtutes adjunctæ, sunt omnes illæ virtutes, quæ in materia faciliori eumdem observant modum, quem virtus principalis circa difficiliorem materiam observat. « Unde quæcumque virtus moderationem quamdam operatur in aliqua materia, et refrænationem appetitus in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta. » *(S. Th., q. 143).*

1. *Continentia,* juxta S. Thomam, *(q. 155, a. 1 et 4),* dupliciter accipi potest: Uno modo pro abstinentia ab omni delectatione venerea; et sic idem est ac castitas et virginitas, et non ponitur pars temperantiæ. — Alio modo, secundum quod importat resistentiam rationis contra pravas concupiscentias, quæ in homine sunt vehementes, quales sunt delectationes tactus et gustus. Hoc sensu accepta, continentia est pars potentialis temperantiæ, et definitur: *Virtus quæ concupiscentiæ motibus ad intemperantiam provocantibus resistit.* — Etenim, *ut ait S. Th.,* « Homo proprie est id quod est secundum rationem. Et ideo ex hoc dicitur aliquis in seipso se tenere, quod tenet se in eo quod convenit rationi... Unde ille solus vere continens dicitur qui tenet se in eo quod est secundum rationem rectam... Rationi autem rectæ opponuntur concupiscentiæ pravæ, et ideo proprie et vere continens est qui persistit in ratione recta, abstinens a concupiscentiis pravis. » *(Q. 155, a. 1, ad 2).*

Continentia non habet rationem perfectæ virtutis, quia bonum opus proprie non operatur, sed malum impedit, refrænando voluntatem ne ab illicitis trahatur concupiscentiis. — Differt a temperantia tanquam imperfectum a perfecto: temperans concupiscentias jam superavit easque sibi subjectas tenet; continens autem easdem concupiscentias adhuc rebelles refrænat, ut voluntas ab eis non vincatur.

2. *Mansuetudo* est virtus moderativa iræ, juxta regulam rectæ rationis. Ejus est efficere ut homo non irascatur nisi quando, quantum, et quomodo oporteat. *(Q. 157).*

3. *Clementia* est virtus moderativa pœnarum intra limites rectæ rationis. Ejus est superiorem inclinare, ut in puniendo aliquid de pœna debita remittat, in quantum permittunt justitia, bonum disciplinæ, delinquentis salus, etc.

4. *Modestia* est virtus, qua quis se continet intra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus internos et externos, et omnium rerum suarum apparatum.

Modestia, secundum diversitatem objectorum, circa quæ modum observat, subdividitur tanquam in species in *humilitatem, philotimiam, studiositatem, modestiam morum, eutrapeliam*, et *modestiam cultus.*

5. *Humilitas* definitur a *S. Bernardo:* « Virtus qua homo verissima sui agnitione, sibi ipsi vilescit. » *(De gradibus Humil., c. 1, n. 2).* — Et a *S. Thoma:* « Virtus temperans et refrænans animum, ne immoderate tendat in excelsa. » *(Q. 161, a. 1).*

Humilitas quamdam laudabilem sui ipsius dejectionem in ima importat, et spei præsumptionem reprimit, ne altiora appetat quam ea quæ sibi competunt secundum gradum, quem quilibet a Deo sortitus est. Cognitionem proprii defectus tanquam regulam præsupponit. *(Q. 161, a. 2).*

Humilitas, in quantum versatur in rationis cognitione, qua aliquis ex consideratione proprii defectus sibi ipsi vilescit, et se excelsis indignum, dignum vero opprobriis existimat, vocatur *humilitas judicii* seu cognitionis; in quantum vero aliquis statum abjectionis amplectitur atque gloriam mundanam calcat, opprobriaque et vilia tanquam sibi convenientia lubenter suscipit, seque aliis subjicit, humilitas vocatur *cordis seu affectus.*

Humilitas subjectatur in appetitu; ast regulam habet in intellectu. « Humilitas, *ait S. Th.*, essentialiter in appetitu consistit, secundum quod aliquis refrænat impetum animi sui, ne inordinate tendat in magna; sed regulam habet in cognitione, ut scilicet aliquis non se existimet supra id esse quod est; et utriusque principium et radix est reverentia quam quis habet ad Deum. » *(Q. 161, a. 6).*

6. *Philotimia* [1] est virtus moderans appetitum honoris mediocris et ordinarii juxta regulam rectæ rationis. Efficit ut homo honores mediocres nimis non appetat, neque eos nimis refugiat. *(Q. 169).* — Objectum philotimiæ sunt honores mediocres, in quibus secundum se invenitur ratio boni delectabilis; magni vero honores, in quibus præsertim consideratur ratio boni ardui, ad magnanimitatem pertinent.

7. *Studiositas* est virtus, quæ appetitum sciendi, et ipsum studium secundum rectam rationem moderatur. Officium hujus virtutis est: *a)* refrænare nimium appetitum sciendi; *b)* incitare ad diligenter addiscendas res conditioni et capacitati cujusvis convenientes; *c)* studium et partam scientiam ad debitum finem referre, nempe ad propriam vel alienam utilitatem, et ad Dei gloriam. *(Q. 166).*

8. *Modestia morum* est virtus, quæ externos motus et gestus corporis juxta præscriptum rectæ rationis componit. Cum enim exteriores hominis actiones et motus sint a ratione dirigibiles, oportet circa illos existere aliquam virtutem. Hujus virtutis objectum ex omnibus externis corporis motibus coalescit, nempe, ex incessu, statione,

[1] Cf. II. II, q. 129, a. 2.

risu, adspectu, verbis, motu capitis etc.; quæ omnia internam animi dispositionem indigitant.

9. *Eutrapelia* est virtus servans modum et decorum, in dictis et factis ad animi recreationem institutis. Hanc virtutem esse necessariam ex eo patet, quod propter defatigationem anima non potest seriis semper esse intenta, sed recreationibus indiget, ut postea labori iterum incumbere valeat. Ut autem his in recreationibus debitum modum servet, eutrapelia dirigitur.

10. *Modestia cultus* est virtus, quæ moderationem rationis adhibet in apparatu exteriori, seu in vestibus, suppellectili, conviviis, juxta conditionem personæ, temporis, loci, etc.

Conspectus Temperantiæ cum suis partibus.

- **Temperantia** virtus moderans passiones appetitus concupiscibilis.
  - 1. Cujus partes integrantes sunt:
    - 1. Verecundia.
    - 2. Honestas.
  - 2. Cujus partes subjectivæ sunt:
    - 1. Abstinentia.
    - 2. Sobrietas.
    - 3. Castitas.
    - 4. Pudicitia.
  - 3. Cujus partes potentiales sunt:
    - 1. Continentia.
    - 2. Mansuetudo.
    - 3. Clementia.
    - 4. Modestia, cujus partes sunt:
      - Humilitas.
      - Philotimia.
      - Studiositas.
      - Modestia morum.
      - Eutrapelia.
      - Modestia cultus.

APPENDIX.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI [1].

Cum dona Spiritus Sancti habitus sint infusi, qui in adjumentum virtutum infusarum homini elargiuntur, post considerationem de virtutibus infusis quædam breviter de donis Spiritus Sancti recte adjicientur.

1421. — Definitio. — Dona Spiritus Sancti sunt: *habitus perficientes hominem ad hoc quod prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti. (S. Th., q. 68, a. 4).*

Dona dicuntur *habitus,* qualitates scilicet permanentes, quæ homini a Deo una cum gratia sanctificante infunduntur; — *perficientes hominem,* eas scilicet facultates, in quibus virtutes resident; — *ad hoc quod prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti:* duplex in homine est principium movens ad operationem, unum interius, ratio scilicet sive sola, sive lumine fidei illustrata; aliud exterius, scilicet ipse Deus. Omne autem mobile quibusdam dispositionibus perfici debet, ut motoris impulsum facile et prompte suscipiat atque opus delectabiliter exsequatur. Sicut igitur ad suscipiendam et exsequendam rationis motionem potentiæ appetitivæ dispositionibus quibusdam sive naturalibus sive infusis, quæ virtutes vocantur, perficiuntur, ita etiam in potentiis hominis dispositiones quædam habituales adesse debent, ut homo Spiritus Sancti instinctum seu motionem prompte suscipiat et delectabiliter exsequatur. Dona igitur sunt perfectiones quibus homo fit facile mobilis a Spiritu Sancto. *(Q. 68, a. 1 et 3).*

Istæ dispositiones vocantur *dona* « non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur et efficitur prompte mobilis ab inspiratione divina, » *(q. 68, a. 1);*

[1] Cf. S. Th., 1. 2, q. 68; 3. *Sent.,* D. 34; Joan. a S. Th., In I. II, disp. 18; Conr. Koellin, In I. II, q. 68; Medina, *in eumd. loc.;* Lallemant, *Doct. spirit.*

quod competit homini ex sola liberalitate donantis, et non ex conditione suæ naturæ. *(3. Sent., 34, q. 1, a. 1).* Quamobrem dona sunt effectus superabundantis Dei liberalitatis erga homines in ordine ad salutem. — Vocantur etiam *Spiritus*, (Isai. XI), quia per dona disponitur anima ad suscipiendum impulsionem Spiritus Sancti specialiter eam moventis, et dirigentis supra regulas communes prudentiæ etiam infusæ.

Circa dona Spiritus Sancti:

1422. — Quæritur I. *An dona sint habitus a virtutibus infusis realiter distincti* [1].

Resp. Docent *Scotistæ* dona et virtutes quoad habitus identificari, donaque nihil aliud esse quam virtutes in statu quodam excellentiori, quatenus scilicet sub speciali Spiritus Sancti impulsu ad actus heroicos et excellentissimos sese extendunt.

Thomistæ vero, cum S. Thoma, *(q. 68, a. 1)* et majori theologorum numero, docent, et quidem merito, dona esse habitus a virtutibus realiter distinctos. Dona enim, ut omnes concedunt theologi, ejusdem sunt speciei in nobis et in Christo. Sed in Christo dona a virtutibus erant realiter distincta, ut manifestum est de dono intellectus et scientiæ, quæ secundum Scotistas ad fidem reducuntur: in Christo enim non fuit fides; in eo igitur dona intellectus et scientiæ a fide erant realiter distincta.

Præterea, ut actio agentis moti eliciatur prompte, suaviter et connaturaliter, eo major debet esse ejus dispositio, quo altior est ejus motor, et quo altior est regula, juxta quam movetur et dirigitur [2]. Sic. v. gr., perfectior in facultatibus appetitivis requiritur dispositio ad suscipiendam motionem rationis illuminatæ lumine fidei juxta regulas prudentiæ infusæ, quam ad suscipiendam motionem rationis naturalis juxta regulas prudentiæ acquisitæ; qua de causa virtutes morales infusæ specie ab acquisitis distinguuntur. Jamvero, virtutes morales infusæ sunt hominis dispositiones ad recipiendum et

[1] Cf. Joan. a S. Th., *loc. cit.*, art. 2, n. 17 et seq. — [2] Cf. Joan. a S. Th., *loc. cit.*, n. 45 et seq.

exsequendum dictamen rationis præcipientis, regulantis et dirigentis juxta regulas communes prudentiæ infusæ, cum ordinaria Spiritus Sancti motione, et juxta modum humanum. id est, prævia consultatione et disquisitione. *(3. Sent., D. 34, q. 1, a. 1, ad 2 et 4).* — Dona autem sunt hominis dispositiones ad suscipiendam et exsequendam motionem ipsius Dei regulantis et dirigentis juxta regulam divinam, supra communes regulas prudentiæ etiam infusæ, et supra modum humanum, id est, subitanee et cæco quodam impulsu, absque prævio rationis judicio. Quo fit, vel ut qui instinctu divino per dona moventur, sæpius quasi inscii opus aggrediantur; vel ut eorum opera videantur vitiosa quasi virtutibus non conformia; sunt tamen maxime laudabilia, quia juxta superiorem regulam sunt posita. Exemplo habemus S. Apolloniam, quæ ad castitatis custodiam sese ex divino instinctu in rogum injecit; — et Samsonem, qui cum maxilla asini in Philistinos irruit; quod juxta virtutem fortitudinis videtur temeritas, quia maxime temerarium est cum armis tam fragilibus in ingentem inimicorum turmam irruere.

Igitur dona, cum hominem bene disponant ad superiorem motorem, et juxta altiorem regulam, quam virtutes infusæ, dicenda sunt habitus a virtutibus infusis realiter distincti.

1423. — Quæritur II. *An dona sint perfectiora virtutibus.*

Resp. Virtutes theologicæ sunt perfectiores donis; dona vero sunt perfectiora virtutibus intellectualibus et moralibus etiam infusis.

Ratio primi est, « quia, *ut ait S. Th.,* dona Spiritus Sancti sunt quibus omnes vires animæ disponuntur ad hoc quod subdantur motioni divinæ. Sic ergo eadem videtur esse comparatio donorum ad virtutes theologicas, per quas homo unitur Spiritui Sancto moventi, sicut virtutum moralium ad virtutes intellectuales, per quas perficitur ratio quæ est virtutum moralium motiva. Unde, sicut virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus, et regulant eas, ita virtutes theologicæ præferuntur donis Spiritus Sancti, et regulant ea. » *(Q. 68, a. 8).*

Præterea, *ut ait Sylvius, (q. 68, a. 8)*, per virtutes theologicas mens humana unitur Deo; per dona autem perficitur ad hoc ut a Deo sit bene mobilis; perfectius vero est uniri Deo, quam esse dispositum ad sequendum ejus motionem.

Ratio secundi est « quia dona perficiunt vires animæ in comparatione ad Spiritum Sanctum moventem, virtutes autem perficiunt vel ipsam rationem, vel alias vires in ordine ad rationem. Manifestum est autem quod ad altiorem motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum. Unde perfectiora sunt dona virtutibus. » *(S. Th., q. 68, a. 8)*.

Hinc, ut notat *Sylvius*, dona dantur in adjutorium virtutum diversimode: moralium quidem et intellectualium, sicut a principe fortior miles datur in adjutorium debiliori; theologicarum autem, sicut servus datur in adjutorium domino imperanti.

1424. — Quæritur III. *Ad quænam opera sese extendant Spiritus Sancti dona.*

Resp. Docent non pauci theologi, dona unice ordinari ad opera heroica et extraordinaria, quæ specialissimam Spiritus Sancti motionem requirunt. Hi autem sphæram activitatis donorum nimis restringere videntur; inde enim sequeretur quod pro majori parte fidelium, quibus nulla extraordinaria occurrunt, dona forent inutilia.

Melius igitur dicendum est cum S. Thoma, eamdem esse materiam virtutum et donorum, licet eam alio modo attingant. « Dona, *ait S. Th.*, excedunt communem perfectionem virtutum, non quantum ad genus operum, eo modo quo consilia præcedunt præcepta, sed quantum ad modum operandi, secundum quod movetur homo ab altiori principio. » *(Q. 68, a. 2, ad 1)*. Et: « Dona a virtutibus distinguuntur in hoc quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona ultra humanum modum. » *(3. Sent., D. 34, a. 1)*.

Virtutes infusæ semper operantur humano modo, id est, prævia rationis deliberatione et electione. Igitur quando homo ab ordinaria Spiritus Sancti motione, per gratiam illustrationis et inspirationis, ad opera virtutum ponenda excitatur, ratio

fide illuminata, prævia deliberatione inquirit an objectum propositum sit prudentiæ infusæ consentaneum, necne; deinde, illud eligit et exsecutioni mandat. Fieri autem potest ut, adhibita diligenti deliberatione, ratio opera etiam difficillima prudentiæ infusæ consentanea judicet, et exsecutioni mandet; quo in casu hæc opera, licet heroica, virtutibus solis, non donis, attribuuntur, quia movens et regulans est ratio [1].

Sed cum homo virtutes infusas imperfecte tantum possideat, *(q. 68, a. 2)*, sæpius contingit, vel ob cognitionis defectum in intellectu, vel ob operis difficultatem aut diuturnitatem, vel ob subjecti imbecillitatem aut tentationum acerbitatem, ut ratio etiam lumine fidei illustrata et gratia adjuta, judicare non valeat quid sit juxta regulam prudentiæ faciendum, ac proinde nec alias virtutes ad opus movere possit, cum ipsis objectum proponere non valeat. Tunc, deficientibus rationis motione et regulatione secundum communem prudentiam etiam infusam, et virtutibus ad opus prodire non valentibus, Deus homini auxiliatur: rationis defectum divino quodam supplet instinctu, et facultates ad opus applicat secundum altiorem regulam quam est prudentia, et supra modum humanum, id est, absque prævia rationis inquisitione, sed subito et cæco quodam impulsu. Et ut facultates hanc extraordinariam Dei motionem connaturaliter et prompte recipere valeant, dispositiones quædam in eis adesse debent, quæ dona vocantur.

Hinc apparet cur dona dicantur dari ad supplendum defectum virtutum, vel ad adjuvandum virtutes in suis actibus [2]. Sic, v. gr., « cum virtutes theologicæ aliquos actus heroicos et extraordinarios eliciunt, ut cum aliquis ex caritate tradit animam suam pro amicis, hoc non faciunt se solis, sed ut adjutæ donis Spiritus Sancti, quibus in similibus casibus conjunguntur. » *(Gotti)* [3].

Sed cum ratio tunc præsertim deficiat, quando opera heroica et difficillima sunt ponenda, speciatim si sunt inopinata, ideo Spiritus Sancti dona ad hujusmodi opera explenda

[1] Cf. Joan. a S. Th., Disp. 18, a. 2, n. 60. — [2] Cf. Joan. a S. Th., a. 2, n. 49, 51, 57. — [3] *De Virt.*, q. IV, dub. I, § 3.

præcipue ordinari dicuntur; at vero, cum ratio in communioribus materiis sæpe etiam deficiat, dona circa materias leviores et communiores etiam versantur. Inde apparet cur Spiritus Sancti dona omnibus adultis sint necessaria, ut ad salutem perveniant.

1425. — Quæritur IV. *Quot dentur Spiritus Sancti dona.* **Resp.** Isaias. (XI, 2, 3) septem enumerat dona: *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* Septenarium illum numerum agnoscit Ecclesia, quæ in liturgia canit: *Tu septiformis munere;* et: *Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.*

Septenarii hujusce numeri rationem indicat S. Th., *(1. 2, q. 68, a. 4; 2. 2, q. 8, a. 6).* Dona, *ait*, sunt dispositiones perficientes hominem ad prompte sequendum instinctum Spiritus Sancti; sed omnes vires humanæ natæ sunt moveri per instinctum Dei, sicut a quadam superiori potentia. Et ideo in omnibus viribus humanis, quæ possunt esse principia humanorum actuum, sicut sunt virtutes, ita etiam sunt dona, scilicet in ratione et in vi appetitiva.

Si Spiritus Sanctus intellectum movet, cum perficit, vel *quoad apprehensionem*, ut divina bene capiat ac penetret, et ad hoc ordinatur *donum intellectus;* — vel *quoad judicium*, quo homo statuat qua ratione erga res omnes tam divinas quam humanas, sive in generali sive in particulari, se habere debeat: si judicium perficiat *in generali circa res divinas*, ad hoc ordinatur *donum sapientiæ;* si perficit *in generali circa res humanas*, ad hoc ordinatur *donum scientiæ;* si *circa particularia agibilia* judicium perficit, ad hoc ordinatur *donum consilii.*

Si Spiritus Sanctus *appetitum* movet, cum perficit vel in his quæ sunt *ad alterum*, et ad hoc est *donum pietatis;* vel in his quæ sunt *ad seipsum*, idque vel ut nulla difficultate a prosecutione boni ardui retrahatur, et est *donum fortitudinis;* vel ut illicitas delectationes respuat, et est *donum ti-*

moris. Quatuor igitur dona pertinent ad intellectum, videlicet: donum sapientiæ, scientiæ, intellectus et consilii; — tria vero ad appetitum pertinent, scilicet: donum pietatis, fortitudinis et timoris [1].

1426. — Ex dictis deduci potest cujuslibet doni definitio.

Donum sapientiæ est habitus, vi cujus homo ex speciali Spiritus Sancti motione, propter quamdam connaturalitatem cum Deo, ex altissima causa recte et sapide judicat de divinis, et secundum divina ordinat et judicat de omnibus aliis. — Donum sapientiæ *respondet caritati,* quia connaturalitas illa cum Deo est per caritatem; atque ipsum caritati subservit, ut Deo propter se dilecto firmius inhæreat. *(2. 2, q. 45).*

Donum intellectus est habitus, vi cujus homo ex speciali Spiritus Sancti illuminatione, movetur ad credibilitatem articulorum fidei clare percipiendam, et ad ipsas fidei veritates penetrandas, quantum patitur præsentis vitæ conditio. *Respondet fidei,* quam adjuvat ut revelatis certius et firmius assentiat. *(2. 2, q. 8).*

Donum consilii est habitus, vi cujus ex speciali Spiritus Sancti motione, prudenter deliberamus et resolvimus quid sit in casibus particularibus optimum factu in rebus ad Dei gloriam salutemque nostram spectantibus. *Respondet prudentiæ* infusæ, cujus munus in his, in quibus ipsa deficit, supplet. *(2. 2, q. 52).*

Donum fortitudinis est habitus, vi cujus homo ex speciali Dei instinctu, propter gloriam Dei et salutem animæ, omnium virtutum opera difficillima aggreditur, et pericula etiam gravissima tolerat, cum divina invictaque fiducia ea omnia ope ipsius divinæ virtutis implendi vel superandi absque animæ suæ detrimento. *Respondet virtuti fortitudinis,* cui in his, in quibus ipsa deficit, auxiliatur. *(2. 2, q. 139).*

Donum scientiæ est habitus, vi cujus homo ex speciali Spiritus Sancti motione, ex causis inferioribus absque studio humano recte judicat de creaturis in ordine ad Dei gloriam

[1] Cf. Sylv. I., II, q. 68, a. 4.

et ad propriam salutem. *Respondet fidei*, tum quia scientiæ est discernere credenda a non credendis; tum præsertim quia ex affectu ad spiritualia, per scientiam secundum regulas fidei de usu creaturarum in ordine ad finem vitæ æternæ judicamus.

Donum pietatis est habitus, vi cujus homo ex speciali Spiritus Sancti instinctu, Deum colit ut Patrem, Sanctosque et homines viatores respicit ut fratres, atque proximo, auxilio indigenti, subvenit. *Respondet justitiæ*, quam perficit dum nos ex altiori motivo adducit, ut cum abundantiori affectu et ferventi desiderio opera justitiæ impleamus. *(2. 2, q. 121; 1. 2, q. 69, a. 3).*

Donum timoris est habitus, vi cujus sub speciali Spiritus Sancti motione, aversamur offensam Dei ut Patris, atque propter Dei reverentiam a malo, præsertim a pravis delectationibus recedimus. *Respondet spei et temperantiæ:* spei quidem, tum quia facit vitare offensam Dei, tum quia ex timore filiali et reverentiali sperantis animus in sua propria parvitate ita comprimitur, ut in præsumptionem non transeat, sed omnia a Dei auxilio exspectet; — temperantiæ vero, quia concupiscentias refrænat, atque a malo ob altius motivum quam virtus temperantiæ retrahit. *(2. 2, q. 19; et q. 141, a. 1, ad 3).*

EXPLICIT TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

INDEX

TRACTATUS III.

DE DEO CREATORE.

PAG.

CONSPECTUS GENERALIS 1
INTRODUCTIO 2

PARS I. De Creatione in genere 4

CAPUT I. DE CREATIONE SECUNDUM SE CONSIDERATA . 4
Definitio; — creatio active et passive; — errores.
Prop. I. Deus per creationem est rerum omnium prima causa efficiens 5
Prop. II. Deus est rerum omnium causa exemplaris. 6
Quæsita. An Deus omnia ex nihilo creaverit; — an creare sit proprium alicujus personæ SS. Trinitatis; — an solus Deus possit creare; — an mundus potuerit ab æterno creari. 7

CAPUT II. DE FINE CREATIONIS 9
ART. I. *De fine Dei creantis* 10
Prop. Finis ultimus Dei in creatione, est ipsa Dei gloria 10
ART. II. *De fine operis producti* 11
Prop. I. Primarius et principalis finis totius creationis est gloriæ Dei externa manifestatio. 12
Prop. II. Finis secundarius principalis mundi visibilis est ipse homo 13
Prop. III. Fines secundarii minus principales sunt propria cujuslibet creaturæ perfectio, atque ejus ordinatio in utilitatem sibi superioris 15

PAG.

CAPUT III. De Cosmogonia mosaica 17
Interpretatio allegorica 17
Interpretatio litteralis antiquior 18
Interpretatio litteralis recentior minus communis . . 19
Interpretatio litteralis recentior communior 19
Conclusio 20

PARS II. **De Angelis** 22

Monitum. 22

CAPUT I. De Angelis in esse naturæ 22
Art. I. *De Angelorum existentia* 23
Prop. Angeli existunt 23
Scholia. De Angelorum numero; — de tempore eorum creationis; — de loco eorum creationis 24
Art. II. *De Angelorum Natura* 25
Prop. Angeli sunt omnino incorporei et spirituales . 26
Coroll. Angeli sunt formæ subsistentes; — sunt incorruptibiles; — non sunt plures in eadem specie; — sunt in loco definitive 26
Art. III. *De Angelorum facultatibus* 27
§ 1. De eorum intellectu 28
I. De medio angelicæ cognitionis 28
II. De objecto angelicæ cognitionis 31
III. De modo angelicæ cognitionis 33
§ 2. De Angelorum voluntate 35

CAPUT II. De Angelis in esse Gratiæ 36
Art. I. *De Gratia et gloria bonorum Angelorum.* . 36
Art. II. *De lapsu dæmonum* 38
§ 1. De peccato Angelorum 38
Scholia. De objecto peccati superbiæ Angelorum; — de possibilitate peccati Angelorum 40
§ 2. De pœna dæmonum 41

CAPUT III. De hierarchiis et ordinibus angelicis . 44
Art. I. *De hierarchiis* 44
Art. II. *De ordinibus* 46
Quæritur. An omnes Angeli mittantur in ministerium. 48

PAG.

CAPUT IV. De actione Angelorum 49
Art. I. *De Angelorum actione in se invicem* . . . 50
§ 1. De illuminatione Angelorum 50
§ 2. De locutione Angelorum 52
Art. II. *De Ang. actione in creaturam corporalem* . 54
Art. III. *De Angelorum actione in homines* 56
§ 1. De actione Angelorum in homines in genere. 56
§ 2. De bonorum Angelorum custodia 58
Prop. Homines custodiuntur ab Angelis 58
Coroll. Omnes homines custodiuntur ab Angelis; — quilibet homo a suo proprio Angelo; — angelica custodia incipit ab hominis nativitate; — nunquam totaliter cessat in hac vita; — cuilibet regno assignatur Angelus custos. . . 59
Scholium. De officiis Angeli custodis 61
Quæsita. Ex quonam ordine sunt Angeli custodes; — an Angelus custos cognoscat futuram hominis sortem; — hominis officia erga Angelum custodem 62
§ 3. De impugnatione dæmonum 63
I. De tentatione 64
Prop. Dæmonis officium proprium est homines tentare. 64
II. De possessione diabolica 65
Prop. Admittenda est veri nominis possessio . . . 66
III. De Magia 67

PARS III. **De Homine** 71

CAPUT I. De hominis productione in esse naturæ . 71
Errores: Transformistae; — poligenistae.
Prop. I. Primi parentes quoad corpus et animam a Deo immediate conditi sunt 72
Monitum. De doctrina transformistarum 74
Prop. II. Universum genus humanum ab Adamo et Eva propagatum est 74

CAPUT II. De hominis elevatione in statum supernaturalem 77
Art. I. *De duplici ordine, naturali et supernaturali,* 77
Art. II. *De diversis statibus* 79
Status naturæ puræ; — naturæ integræ; — justitiæ originalis; — naturæ lapsæ; — naturæ reparatæ 79

PAG.

ART. III. *De statu in quo primus homo conditus est* 83
Prop. I. Primus homo constitutus est in statu justitiæ. 83
Scholium. De instanti, quo primus homo gratiam accepit. 84
Prop. II. Hominis elevatio in statum justitiæ fuit gratuita 84
Prop. III. Protoparentes eximiam acceperunt scientiam. 85
Scholium. De objecto et modo cognitionis Adami innocentis 86
Prop. IV. Adamus innocens a prava concupiscentia fuit immunis 88
Scholium. De integritatis origine 89
Prop. V. Homo innocens habuit perfectum dominium in animalia 89
Scholium. De hujus dominii existentia post peccatum. 90
Prop. VI. Adamus innocens erat impassibilis . . . 90
Scholium. De origine impassibilitatis primi hominis . 90
Prop. VII. Adamus creatus est immortalis 91
Scholium I. De immortalitatis origine in primo homine 91
Scholium II. De radicibus immortalitatis et impassibilitatis 92
Prop. VIII. Status naturæ puræ est possibilis . . . 92
Quæritur. Quomodo nati fuissent pueri in statu innocentiæ 93

CAPUT III. DE LAPSU HOMINIS, SEU DE PECCATO ORIGINALI 94
ART. I. *De ipso protoparentum peccato* 95
Prop. Primi nostri parentes peccaverunt 95
Quæritur. 1. An Adami peccatum fuerit multiplex . 97
Quæritur. 2. An Adamus veniam consecutus sit . . 97
ART. II. *De existentia peccati originalis* 98
Prop. Existit peccatum originale 98
Scholium. De modo quo peccavimus in Adamo . . . 100
Solvuntur objectiones 102
ART. III. *De natura peccati originalis* 104
I. *Opiniones erroneæ*, vel minus communes . . . 104
Prop. I. Peccatum originale non est concupiscentia. 104
Prop. II. Non consistit in reatu pœnæ 105
Prop. III. Non est peccatum actuale Adami nobis extrinsece imputatum 105

PAG.

Corollarium. De natura peccati originalis 106

II. *Opinio communis:* Peccatum originale consistit formaliter in defectu opposito justitiæ originali 107

ART. IV. *De modo propagationis peccati originalis* . 108

Quæstio: De subjecto peccati originalis 111

ART. V. *De effectibus peccati originalis* 111

Amissio gratiæ: — fomes peccati; — vulnera naturæ; — mors et passibilitas; — exclusio e paradiso: ubi de parvulis cum originali peccato defunctis agitur.

PARS IV. **De Gubernatione operis Dei** 116

CAPUT I. DE RERUM CONSERVATIONE 116

Prop. Res creatæ indigent a Deo conservari. . . . 117

Quæsita. An Deus omnia immediate conservet; — an Deus aliquid in nihilum redigere possit 118

CAPUT II. DE RERUM MOTIONE IN FINEM 119

Definitio et divisio divini consursus.

Scholium I. De conciliatione divinæ cooperationis cum operatione creaturæ 121

Scholium II. De concursu divino ad liberas hominis actiones 122

Prop. I. Præter concursum simultaneum admittendus est pro voluntate humana concursus quidam prævius . . . 123

Prop. II. Admitti potest præmotio physica in sensu recentiorum thomistarum; sed melius est eam rejicere . . 124

Prop. III. Deus motione prævia movet hominem ad bonum in genere; et homo ista motione actuatus sese ad bona particularia determinat 126

TRACTATUS IV.

DE INCARNATIONE.

PAG.

Conspectus generalis 129
Introductio 130

PARS I. De ipso Incarnationis mysterio 132

SECTIO I. DE INCARNATIONIS MYSTERIO 132

CAPUT I. De Incarnationis convenientia, necessitate et fine 132
Art. I. *De Incarnationis convenientia* 132
Prop. I. Divini Verbi Incarnatio fuit Deo convenientissima 133
Prop. II. Incarnatio est humanæ naturæ maxime conveniens 135
Prop. III. Incarnatio fuit conveniens toti universo . 137
Prop. IV. Quælibet divina persona incarnari potuisset; convenientius tamen fuit Verbum incarnari quam Patrem aut Spiritum S. 137
Prop. V. Verbum divinum naturam angelicam assumere potuisset; convenientius tamen naturam humanam ex stirpe Adami assumpsit 138
Art. II. *De necessitate Incarnationis* 139
Prænotanda: De gravitate peccati — de satisfactione et merito 139
Prop. I. Supposito peccato, Incarnatio non fuit absolute necessaria 141
Prop. II. Posita voluntate Dei exigendi pro peccato condignam et rigorosam satisfactionem, Verbi Incarnatio fuit absolute necessaria 142
Art. III. *De fine, seu motivo Incarnationis* 143
Prænotanda.
Prop. Si Adamus non peccasset, Christus incarnatus non fuisset 145

PAG.
CAPUT II. De natura Incarnationis 147
Art. I. *Prænotanda* 148
Definitio unionis hypostaticæ; — notio de diversis unionibus; — differentia inter unionem et assumptionem.
Art. II. *De unitate personæ in Christo* 150
Prænotanda: de errore Nestorii.
Prop. Unica est in Christo, eaque divina persona . . 150
Quæritur. Utrum humana natura sit unita Verbo mediante gratia. 154
Art. III. *De naturarum dualitate in Christo* . . . 154
Prænotanda: de errore Eutychetis.
Prop. Duæ sunt in Christo naturæ 155
Art. IV. *De Christi Redemptoris divinitate* 157
Prop. Christus Jesus verus est Deus 158
Art. V. *De humana Christi natura* 163
Prænotanda: de diversis erroribus.
Prop. I. Christus non phantasticum, sed verum corpus assumpsit 163
Prop. II. Christus assumpsit corpus ex substantia Virginis formatum 164
Prop. III. Verbum divinum assumpsit animam rationalem 164
Quæsita. De partibus assumptis in hypostasi; — de indissolubilitate unionis hypostaticæ 165

SECTIO II. DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM. 167

CAPUT I. De consequentibus unionem relate ad ipsum Christum 167
Art. I. *De dualitate voluntatum et operationum in Christo* 168
Prænotanda: de errore Monothelitarum.
Prop. I. Duæ sunt in Christo voluntates 169
Prop. II. Duæ sunt in Christo operationes 170
Scholium. De actionibus theandricis 171
Solvuntur objectiones 172
Quæsita. De voluntate sensualitatis; — de voluntate ut natura et ut ratio; — de conformitate voluntatis Christi cum voluntate Dei; — de contrarietate voluntatum in Christo; — de libero arbitrio Christi. 174

PAG.

ART. II. *De communicatione idiomatum* 177

Prænotanda: definitio communicationis idiomatum; — errores.

Prop. Admittenda est communicatio idiomatum in concreto, non autem in abstracto 178

Scholium. De Regulis pro communicatione idiomatum. 179

ART. III. *De perfectionibus animæ Christi* 181

§ 1. De Gratia et Virtutibus in Christo 181

I. De Gratia Unionis et gratia sanctificante. . 181

Prop. I. Humanitas Christi fuit sancta sanctitate personali 182

Prop. II. Admittenda est in Christo gratia sanctificans. 183

Quæsita. De necessitate gratiæ habitualis in Christo; — an fuerit infinita; — de plenitudine gratiæ in Christo; — de gratia actuali in Christo 183

II. De Virtutibus in Christo 185

Prop. I. In Christo fuerunt Virtutes per se infusæ. 185

Prop. II. Virtutes morales per se acquisibiles fuerunt in Christo. 187

Prop. III. In Christo fuerunt dona Spiritus Sancti . 187

Prop. IV. In Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ. 188

§ 2. De Scientia Christi 188

Prop. I. In Christo fuit scientia creata 189

Prop. II. In Christo fuit scientia beata 189

Prop. III. In Christo fuit scientia infusa 191

Prop. IV. In Christo fuit scientia acquisita 192

§ 3. De Potentia animæ Christi 193

Quid potest anima Christi; — de modo quo humanitas Christi gratiam producit.

ART. IV. *De defectibus a Christo assumptis* 197

§ 1. De defectibus corporis 197

Prop. Christus defectus corporis assumpsit 198

Scholium. Christus libere istos defectus assumpsit; — eos non contraxit; — solos defectus toti naturæ humanæ communes assumpsit; — de Christi pulchritudine 198

§ 2. De Defectibus animæ 199

In Christo nullum fuit peccatum; — nec peccabilitas; — nec fomes peccati; — nec ignorantia. — In Christo fuit dolor sensibilis; — et passiones proprie dictæ.

Scholium. Christus fuit comprehensor simul et viator. 201

pag.

CAPUT II. De his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem 202
Art. I. *De Subjectione Christi* 202
Prop. Christus secundum quod homo est Deo Patri subjectus 202
Scholium I. De servitute Christi 203
Scholium II. De Legibus quibus Christus subjectus fuit 204
Art. II. *De Oratione Christi* 205
Christus ut Deus non orat; — ut homo oravit tam pro se quam pro nobis.
Scholium. De oratione Christi in cœlis existentis . . 207
Art. III. *De Sacerdotio Christi* 208
§ 1. De sacrificio Crucis 209
Prop. Christus in Cruce verum obtulit sacrificium. . 209
§ 2. De excellentia sacerdotii Christi 212
Art. IV. *De Filiatione Christi* 215
Prop. Christus ut homo est filius Dei naturalis, non vero adoptivus 215
Art. V. *De Prædestinatione Christi* 216
Prop. I. Christus fuit prædestinatus 216
Prop. II. Christus est causa nostræ prædestinationis. 217

CAPUT III. De his quæ Incarnationem consequuntur relate ad homines 218
Art. I. *De Christo Mediatore* 218
Prænotanda: de Christo mediatore 218
I. De natura mediationis Christi; — II. de conditionibus mediationis Christi 219
Art. II. *De Christo Capite Ecclesiæ* 222
Prænotanda: de corpore mystico. 222
Prop. I. Christus est Caput Ecclesiæ 223
Prop. II. Christus est Caput Ecclesiæ secundum naturam humanam 224
Prop. III. Christus est Caput totius Ecclesiæ . . . 225
Prop. IV. Unio Christi ad corpus suum mysticum est vera et realis 227
Scholia. I. De gratia Christi capitali; — II. de corpore mystico diaboli 228

PAG.

ART. III. *De Christo Rege* 230
§ 1. De Christo Rege spirituali 231
Prop. I. Christus, quatenus homo, est Rex Ecclesiæ. 231
Prop. II. Christus habet potestatem legislativam. . 231
Prop. III. Christus habet potestatem judiciariam . . 232
§ 2. De Christo Rege temporali 233
ART. IV. *De Cultu Christo exhibendo* 236
Prænotanda: Cultus definitio et divisio 236
§ 1. De Adoratione humanitatis Christi 237
Prop. Humanitas Christi cultu latriæ est adoranda . 238
§ 2. De Cultu SS. Cordis Jesu 239
Prop. Specialis cultus latriæ, qui SS. Cordi exhibetur, pius est et licitus 241
§ 3. De Adoratione Crucis Christi 242
§ 4. De Cultu sanctorum, reliquiarum et imaginum. 243
Prop. I. Cultus Sanctorum est licitus 243
Prop. II. Sanctorum invocatio est licita et utilis . . 244
Coroll. De Sanctorum communione. 246
Prop. III. Cultus sacrarum reliquiarum est licitus . 246
Prop. IV. Cultus sacrarum imaginum licitus est et pius. 247
Scholium. De natura cultus reliquiarum et imaginum. 248

PARS II. **De Opere Redemptionis** 249

CAPUT I. DE PASSIONE CHRISTI IN GENERE 249
Prop. I. Passio Christi non fuit absolute necessaria, sed secundum quid; fuit autem convenientissima 249
Prop. II. Conveniens fuit Christum pati in cruce . 251
Prop. III. Passio Christi fuit generalissima 252
Prop. IV. Dolor Christi patientis fuit maximus inter dolores præsentis vitæ 253
Prop V. In passione anima Christi gaudio beatifico fruebatur 254
Prop. VI. Mors Christi fuit ad nostram liberationem convenientissima 254

CAPUT II. DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI . 255
Prop. I. Causa efficiens directa mortis Christi fuerunt ejus persecutores 255
Prop. II. Causa indirecta suæ mortis fuit ipse Christus. 256

PAG.
Prop. III. Deus Pater Christum morti tradidit . . . 256
Prop. IV. Christus mortuus est ex obedientia . . . 256
Scholium. De conciliatione libertatis Christi cum præcepto moriendi 257

CAPUT III. De Modo efficiendi passionis Christi . 258
Art. I. *De Satisfactione Christi* 258
Prop. I. Passio Christi liberavit nos per modum satisfactionis 258
Prop. II. Christi satisfactio fuit ex rigore justitiæ . 259
Art. II. *De Redemptione* 262
Prop. Christus liberavit nos per modum redemptionis. 262
Scholium. De hominis servitute et solutione pretii . 262
Art. III. *De Merito Christi* 263
Prop. Passio Christi liberavit nos per modum meriti. 264
Scholium. De valore operum Christi meritorio et satisfactorio 265
Quæsita. An Christus pro se meruit; — de tempore quo meruit; — quibus actibus meruit; — an mors ipsius meruit aliquid plus quam alia ejus opera 266

CAPUT IV. De effectibus passionis Christi 268
Art. I. *De effectibus relate ad homines* 268
§ 1. De ipsis effectibus passionis 269
§ 2. De Effectus universalitate 271
Prop. Christus pro omnibus et singulis hominibus mortuus est 271
Scholium. De morte Christi quoad sufficientiam et quoad efficaciam; — de speciali affectione Christi pro aliquibus. 273
§ 3. De Redemptionis applicatione 273
Art. II. *De Effectu passionis relate ad ipsum Christum* 275
§ 1. De Christi Resurrectione 275
§ 2. De Christi Ascensione 277
§ 3. De Sessione Christi ad dexteram Patris . . 278

TRACTATUS V.

MARIALOGIA.

PAG.

CONSPECTUS GENERALIS 281
INTRODUCTIO 282

CAPUT I. DE IPSA DIVINA MATERNITATE 283
ART I. *De divinæ Maternitatis convenientia* 283
ART. II. *De existentia divinæ Maternitatis in Maria* . 286
Prop. B. V. Maria vere et proprie est Mater Dei . . 286
ART. III. *De Merito B. V. Mariæ relate ad dignitatem Matris Dei* 288
Prop. B. V. Maria divinam Maternitatem de condigno non meruit 288
Quæritur. An meruerit eam de congruo 289
ART. IV. *De divinæ Maternitatis excellentia* 290
1. Est radix cæterarum Mariæ prærogativarum. — 2. Pertinet quodammodo ad unionem hypostaticam. — 3. Maria est Dei perfectissima imago. — 4. Divina Maternitas est dignitas infinita. — 5. Maria creatura separata et incomprehensibilis. — 6. Habet dominium in Christum. — 7. Jus ut honoretur a Christo. — 8. Jus ut ametur a Christo. — 9. Habet dominium in omnia bona Filii. — 10. Tota gloria Mariæ est esse Matrem Dei 290
ART. V. *De Divinæ Maternitatis circumstantiis* . . 297
§ 1. De Virginitate Mariæ 297
I. De Virginitate quoad integritatem corporalem. 297
Prop. I. Maria fuit Virgo in concipiendo 298
Prop. II. Maria fuit Virgo in partu 299
Prop. III. Maria post partum Virgo permansit. . . 300
II. De Virginitate quoad virtutem animi . . . 301
1. Maria ab initio habuit propositum servandi Virginitatem. — 2. Illud propositum firmavit voto. — 3. Votum castitatis emisit ipsa die præsentationis in templo 301
§ 2. De Matrimonio B. Virginis cum S. Joseph . 302
1. Convenienter B. Virgo Matrimonium contraxit. — 2. Adfuit verum matrimonium 302

PAG.

CAPUT II. De Persona divinæ Matris prout est singularis persona 305

Art 1. *De donis gratiæ Deiparæ concessis* 305

§ 1. De Gratia Virginis nascente 305

Prop. B. V. Maria in sua conceptione fuit immaculata. 306

Quæritur. 1. An B. V. habuerit debitum peccati originalis. — 2. Quænam fuit perfectio primæ gratiæ in B. V. — 3. Dona Virgini nascenti concessa: perfectus usus rationis; — virtutes heroicæ, gratiæ gratis datæ; — justitia originalis; — exstinctio fomitis; — impeccabilitas; — scientia eximia. 311

§ 2. De Virginis gratia crescente 317

1. Gratia B. V. crevit ex opere operato. — 2. Ex opere operantis.

§ 3. De Virginis gratia consummata 321

1. Gratia Virginis consummata intellectui creato incomprehensibilis. — 2. Superat gratiam omnium Angelorum et hominum. — 3. Est tota intensio gratiæ quæ puræ creaturæ dari potest. — 4. Est quodammodo infinita.

Art. II. *De Deiparæ Virtutibus* 322

Virtutes in gradu heroico. — Martyrium Virginis.

Prop. I. B. Virgo vere et formaliter Martyr dici debet. 323

Prop II. B. Virgo est Regina Martyrum 324

Art. III. *De Virginis Mariæ glorificatione* 325

§ 1. De gloriosa Virginis assumptione 325

Prop. B. V. Maria vere resurrexit et quoad animam et corpus assumpta est in cœlum. 325

§ 2. De gloria B. Virginis in cœlis 328

Prop. Gloria B. Virginis major est gloria Angelorum et aliorum beatorum, etiam simul sumptorum 328

CAPUT III. De Mutuis Relationibus inter B. Virginem et homines 330

Art. I. *De B. Virginis officiis erga homines* 330

§ 1. De Maria Matre hominum 331

Prop. B. V. Maria est vere et realiter Mater christianorum 331

Quæritur 1. Quandonam constituta est Mater hominum. — 2. Ejus tituli ad esse Matrem hominum 333

Scholium. De Amore Virginis erga homines 334

§ 2. De Maria Mediatrice 335

PAG.
I. De Maria Corredemptrice 335
Prop. B. V. Maria cum Filio suo ad opus Redemptionis generis humani vere et realiter cooperata est . . . 337
II. De Maria thesauraria gratiarum. 339
Prop. I. Maria est thesauraria gratiarum et earum dispensatrix 340
Prop. II. Maria est mediatrix quodammodo omnipotens. 343
Prop. III. Proprium mediationis Mariæ est materna misericordia 345
Prop. IV. Maria est spes desperatorum. 346
ART. II. *De Obsequiis nostris erga Deiparam* . . . 348
§ 1. De necessitate devotionis erga B. Virginem . 348
Prop. Devotio erga B. Virginem est hominibus adeo necessaria ut sine ea moraliter impossibile sit aliquem salvari. 348
§ 2. De efficacia devotionis erga B. Virginem . . 350
Prop. Vera devotio erga B. V. Mariam est adeo efficax, ut moraliter impossibile sit sincerum Mariæ cultorem damnari. 350

TRACTATUS VI.

DE GRATIA.

CONSPECTUS GENERALIS 353
INTRODUCTIO 354

CAPUT PRÆVIUM. NOTIONES GENERALIORES DE GRATIA. 355
ART. I. *Definitio et divisio gratiæ* 355
ART. II. *Errores* 359
ART. III. *Canones Concilii Tridentini* 364

PARS I. De Gratia actuali.

CAPUT I. DE GRATIE ACTUALIS DIVISIONE ATQUE NATURA. 368
ART. I. *De Gratia excitante et adjuvante* 368
§ 1. De Gratia excitante 368
1. Definitio. — 2. Elementa. — 3. Nomina. — 4. Munera. — 5. Natura.

PAG.

Quæritur. Undenam proveniat mentis illuminatio et motio voluntatis 375
§ 2. De Gratia adjuvante 376
1. Definitio. — 2. Nomina. — 3. Natura.
Art. II. *De Gratia communi et speciali* 378
Art. III. *De Gratia sufficiente et efficaci* 379
Prop. I. Admittenda est gratia vere et relative sed mere sufficiens 381
Prop. II. Gratia efficax libertatem non tollit . . . 383

CAPUT II. De Necessitate Gratiæ 383
Art. I. *De Necessitate gratiæ ad verum cognoscendum.* 384
§ 1. De necessitate gratiæ ad verum naturale cognoscendum 384
Prænotanda. 384
Prop. I. Homo lapsus potest absque gratia aliquas veritates ordinis naturalis certo cognoscere 385
Prop. II. Homo lapsus non potest absque auxilio gratiæ omnes veritates ordinis naturalis collective sumptas certo cognoscere 386
§ 2. De Necessitate gratiæ ad verum supernaturale cognoscendum 387
Prænotanda 387
Prop. I. Ad salutarem actum fidei requiritur interior Spiritus Sancti gratia tam inspirationis quam illustrationis. 388
Prop. II. Ad salutare initium fidei necessaria est interior Spiritus Sancti gratia 389
Art. II. *De Necessitate gratiæ ad bonum faciendum.* 390
Prænotanda 390
Prop. I. Homo lapsus potest, absque gratia, bona quædam moralia ordinis naturalis exercere 391
Prop. II. Non omnia peccatoris vel infidelis opera sunt peccata. 392
Prop. III. Homo lapsus absque speciali gratiæ auxilio totam legem naturalem servare non potest 394
Quæritur. 1. An hæc hominis impotentia sit physica vel moralis. — 2. Quodnam requiritur gratiæ auxilium . . 395
Prop. IV. Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus S. gratia 396

PAG.

Quæritur. An homini justo etiam necessaria sit gratia actualis 397

ART. III. *De Necessitate gratiæ ad resistendum tentationibus et ad non peccandum* 398

§ 1. De Victoria tentationum 398

Prop. I. Potest homo lapsus absque gratia aliquas leves tentationes vincere 398

Prop. II. Non potest homo lapsus absque gratia gravem aliquam tentationem vincere 399

§ 2. De fuga peccatorum 401

Prop. I. Homo existens in peccato mortali non potest diu manere quin prolabatur in aliud peccatum mortale . . 401

Prop. II. Præter gratiam sanctificantem homo indiget auxilio gratiæ actualis ad hoc ut omnino a peccato mortali abstineat 402

Prop. III. Homo justus potest omnia et singula peccata mortalia vitare 403

Prop. IV. Nemo sine speciali Dei auxilio potest omnia peccata venialia vitare 404

Quæritur. 1. In quo consistit privilegium vitandi collective omnia venialia. — 2. Quibus datum est illud privilegium 405

ART. IV. *De Necessitate gratiæ ad perseverandum* . 406

Prænotanda. 406

Prop. I. Perseverantia parvulorum est speciale Dei donum 407

Prop. II. Justis omnibus datur gratia sufficiens ad perseverandum 408

Prop. III. Ad actualem perseverantiam finalem requiritur speciale Dei donum. 409

Quæritur. 1. Quid est magnum perseverantiæ donum. — 2. Quibusnam conceditur illud donum. — 3. Quid est confirmatio in gratia 411

CAPUT III. DE GRATIARUM DISTRIBUTIONE 414

ART. I. *De Gratuitate gratiæ* 414

Prop. Gratia est omnino gratuita 415

ART. II. *De Universalitate gratiæ* 416

Prop. I. Urgente præcepto, conceditur omnibus gratia vere sufficiens ad illud servandum 416

PAG.

Prop. II. Omnibus peccatoribus fidelibus datur pro loco et tempore gratia sufficiens ad conversionem 417

Prop. III. Omnibus infidelibus datur pro loco et tempore gratia sufficiens ad salutem 419

Prop. IV. Infantulis absque baptismo decedentibus Deus, quantum est ex se, sufficientia præparavit salutis media. 421

ART. III. *De inæquali gratiarum distributione* . . . 422

CAPUT IV. DE MODO OPERANDI GRATIÆ, SEU DE CONCORDIA EFFICACITATIS GRATIÆ CUM LIBERTATE CREATA 426

ART. I. *Regula ad judicandum systemata* 427

ART. II. *Systema Jansenii* 428

ART. III. *Systemata catholica* 429

§ 1. Systema Thomistarum 430

§ 2. Systema Augustinianorum 436

§ 3. Systema Molinistarum 438

§ 4. Systema Congruistarum 440

§ 5. Systema S. Alphonsi de Ligorio 442

I. De Gratia ab intrinseco efficaci. 444

Prop. I. Ad opera difficiliora peragenda necessaria est gratia ab intrinseco efficax 446

Prop II. Operatio gratiæ efficacis est determinatio moralis, non physica. 448

Prop III. Gratia efficax moralem voluntatis determinationem operatur plerumque, sed non unice, per delectationem absolute victricem. 450

Corollaria 451

Prop. IV. Sub infallibili motione gratiæ moraliter moventis illæsa remanet humana libertas 453

Corollaria 455

II. De Gratia sufficiente 456

Prop. I. Gratia sufficiens ita est ad orandum proxime sufficiens, ut quilibet cum ea actu orare possit, si velit, et per orationem uberiora auxilia ad res difficiliores peragendas obtinere 457

Prop. II. Ad gratiam efficacem obtinendam oratio est medium necessarium et omnino infallibile. 462

Corollaria 464

III. Commendatio systematis S. Alphonsi . . 466

PAG.

PARS II. De Gratia habituali. 469

CAPUT I. De ipsa gratia sanctificante 469
Art. I. *De Gratiæ sanctificantis natura* 469
Prop. Gratia sanctificans est donum animæ intrinsece inhærens 470
Conclusiones: I. Gratia sanctificans est donum creatum. 471
II. Non est substantia sed accidens 471
III. Est qualitas, habens esse permanens per modum habitus 472
IV. Est habitus diversus ab habitu caritatis 473
V. Est formalis et physica naturæ divinæ participatio 475
VI. Secum conjunctas habet virtutes infusas 478
Quæritur: An gratia producatur creatione 479
Art. II. *De formalibus gratiæ sanctificantis effectibus.* 480
Prop. I. Per gratiam sanctificantem homo naturæ divinæ particeps efficitur 480
Prop. II. Per gratiam sanctificantem homo justus et sanctus efficitur 481
Prop. III. Per gratiam sanctificantem homo efficitur gratus Deo ejusque amicus 482
Prop. IV. Per gratiam sanctificantem homo efficitur filius Dei adoptivus, atque hæres cœlestis hæreditatis . . . 482
Corollaria 483
Scholium: De nominibus gratiæ sanctificantis . . . 484

CAPUT II. De Justificatione 484
Definitio. — Errores.
Art. I. *De Justificationis natura* 486
Prop. I. In justificatione impii peccata vere remittuntur. 486
Prop. II. Impii non justificantur formaliter sola imputatione meritorum Christi, sed per gratiam et caritatem, quæ ipsis formaliter inhærent 487
Art. II. *De dispositionibus ad justificationem requisitis.* 489
Prop. I. Ad justificationem requiritur actus fidei . . 490
Prop. II. Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia peccata sibi esse remissa, sed fides catholica . . 491
Prop. III. Præter fidem, aliæ requiruntur in homine dispositiones ad justificationem. 492

PAG.

ART. III. *De Proprietatibus justificationis* 493

Prop. I. Nullus absque revelatione certo scire potest se esse justificatum 494

Prop. II. Accepta justitia augetur per bona opera et in omnibus æqualis non est 495

Prop. III. Accepta justitia amitti potest 496

Quæritur. Utrum gratia possit imminui 497

PARS III. **De Merito.** 498

CAPUT I. DE NOTIONE MERITI. 498

1. Definitio. — 2. Divisio. — 3. Conditiones.

Quæritur. An ad meritum de condigno requiratur ut opus in Deum per imperium caritatis referatur 504

CAPUT II. DE MERITI EXISTENTIA ATQUE BONORUM OPERUM NECESSITATE 506

Error protestantium.

Prop. I. Justorum opera sunt vitæ æternæ vere meritoria, et quidem de condigno 506

Prop. II. Bona opera et legis observantia sunt ad salutem necessaria 508

Solvuntur objectiones 509

Quæritur. An retributio vitæ æternæ pro meritis sit in Deo actus justitiæ 510

CAPUT III. DE OBJECTO MERITI 511

1. Vita æterna. — 2. Gratiæ sanctificantis augmentum. — 3. Augmentum gloriæ.

Quæritur I. An aliquis primam gratiam sibi mereri possit. 513

II. An homo gratias actuales sibi mereri possit . 514

III. An aliquis perseverantiam sibi mereri possit . 514

IV. An justus possit sibi mereri reparationem post lapsum 515

V. An aliquis possit alteri aliquid mereri 516

VI. An bona temporalia cadant sub merito. . . . 507

TRACTATUS VII.

DE VIRTUTIBUS.

PAG.

Conspectus generalis 519
Introductio 520

CAPUT PRÆVIUM. De Virtutibus in genere . . . 520
Art. I. *De natura virtutis.* 520
§ 1. De definitione virtutis 521
§ 2. De distinctione virtutum 522
Distinctio ratione objecti, — subjecti, — causæ efficientis, — perfectionis, — gradus.
§ 3. De virtutis subjecto 524
Intellectus possibilis; — voluntas; — appetitus inferior.
Art. II. *De proprietatibus virtutum* 527
§ 1. De mediocritate virtutum 528
Medium virtutum moralium, — intellectualium, — theologicarum.
§ 2. De connexione virtutum 530
Virtutes intellectuales inter se non connexæ; — caritas nequit esse sine fide et spe; — caritas potest esse sine virtutibus moralibus acquisitis, non autem sine infusis; — virtutes morales infusæ inter se connexæ; — acquisitæ connectuntur si sunt perfectæ.
§ 3. De perfectione virtutum. 533

PARS I. **De Virtutibus theologicis** 535

Prænotanda. Definitio; — necessitas virtutum theologicarum; — numerus; — specie ab invicem differunt.

CAPUT. I. De Fide 537
Art. I. *De fide in genere* 537
Nominis significatio; — elementa fidei; — definitio virtutis fidei; — divisio: fides divina, catholica; explicita, implicita; interna, externa; formata, informis.

PAG.

ART. II. *De objecto fidei* 540

§ 1. De objecto formali fidei 540

Prop. Objectum formale fidei est Deus, prima veritas in dicendo, seu auctoritas Dei revelantis 542

Quæritur I. An revelatio sit fidei objectum formale partiale. 543

Quæritur II. An auctoritas Ecclesiæ proponentis constituat partiale fidei motivum 544

§ 2. De materiali objecto fidei 544

Prop. I. Objectum materiale fidei est illud omne et solum quod in verbo Dei scripto vel tradito continetur . . 546

Prop. II. Primarium fidei divinæ objectum materiale est solus Deus, prima veritas in essendo 546

Prop. III. Objectum materiale fidei divinæ catholicæ est illud omne et solum quod in Verbo Dei continetur, et ab Ecclesia omnibus credendum proponitur 547

Scholium. De veritatibus implicite in revelatione contentis 548

Quæritur I. An fides et scientia possint esse in eodem subjecto de eodem objecto. 550

Quæritur II. An objectum materiale fidei decursu temporis creverit 552

ART. III. *De actu fidei* 553

Definitio; — proprietates: actus fidei est liber, supernaturalis, obscurus, immediatus, certus, ad justificationem necessarius.

ART. IV. *De mutua relatione fidem inter et rationem.* 556

Rationalistarum errores 556

I. Ratio nequit mysteria fidei penetrare. — II. Nulla mysteria sunt contra rationem. — III. Assensus fidei est consentaneus rationi. — IV. Fideli nunquam licet de fide dubitare. — V. Ratio in rebus philosophicis a fide non independens. — VI. Sensus dogmatum secundum progressum scientiarum non mutabilis. — VII. Fides et scientia sibi mutuam opem ferunt 558

CAPUT II. DE SPE 563

ART. I. *De Spei natura atque objecto* 563

Vocabuli significatio; — definitio; — objectum spei materiale; — formale.

PAG.

Quæritur. An liceat spem in alio ponere quam in Deo. 565

ART. II. *De subjecto spei* 566

Subjectum proximum; — remotum.

ART. III. *De actu spei* 569

Definitio; — concurrentia ad actum spei; — proprietates actus spei: est supernaturalis, — appretiative summus, — licitus et honestus, — adultis ad salutem necessarius, — certus ex parte Dei, ex parte nostra habens timorem conjunctum.

Quæritur. An in præsenti vita dari possit status perfectionis, a quo actus spei theologicæ excludatur. 573

CAPUT III. DE CARITATE. 574

ART. I. *De Caritatis natura* 575

Notio amoris; — divisio; — amor benevolentiæ quadruplex: simplex benevolentia, dilectio, caritas, amicitia; — multiplex caritatis significatio; — caritatis definitio.

Prop. I. Caritas non est ipsa Spiritus Sancti persona, sed donum creatum 577

Prop. II. Caritas est vera et proprie dicta amicitia Deum inter et homines. 578

Prop. III. Ad essentiam caritatis actualis requiritur et sufficit ut Deus propter se super omnia diligatur amore appretiative summo 579

ART. II. *De Caritatis objecto* 581

§ 1. De formali caritatis objecto 581

§ 2. De materiali caritatis objecto. 583

Prop. I. Objectum materiale primarium caritatis est solus Deus, in se summum bonum et finis noster ultimus. . 583

Prop. II. Caritatis objectum materiale secundarium sunt omnes creaturæ rationales æternæ beatitudinis capaces. 585

Scholia 587

ART. III. *De Proprietatibus caritatis* 587

Caritas virtutum excellentissima; — virtutum forma et motor; — in suo actu non habet modum; — augeri potest; minui non potest quoad habitum; — peccatorem justificat.

Scholium. De augmento caritatis 591

PARS II. **De Virtutibus moralibus.** 594

CAPUT I. DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS IN GENERE . . 594

PAG.

Definitio; — numerus; — distinctio; — earum relatio ad alias virtutes: partes integrantes, subjectivæ, potentiales.

CAPUT II. De Prudentia ejusque partibus 597
Art. I. *De ipsa prudentia.* 597
Definitio; — objectum materiale, formale; — virtus moralis simul et intellectualis; — nobilissima virtutum cardinalium; — actus prudentiæ: bene consiliari, bene judicare, efficaciter præcipere; — prudentiæ necessitas.
Art. II. *De partibus prudentiæ.* 598

CAPUT III. De Justitia ejusque partibus 601
Art. I. *De ipsa justitia* 601
Definitio; — objectum; — conditiones ad justitiam requisitæ.
Art. II. *De partibus justitiæ* 602

CAPUT IV. De Fortitudine ejusque partibus . . . 605
Art. I. *De ipsa fortitudine* 605
Definitio; — objectum; — actus: sustinere, aggredi.
Art. II. *De partibus fortitudinis* 606

CAPUT V. De Temperantia ejusque partibus . . . 609
Art. I. *De ipsa temperantia* 609
Definitio; — objectum; — medium.
Art. II. *De partibus temperantiæ* 610

APPENDIX. De donis Spiritus Sancti 614
Definitio.
Quæritur. 1. An dona sint habitus a virtutibus infusis realiter distincti 615
2. An dona sint perfectiora virtutibus 616
3. Ad quænam opera sese extendant Spiritus Sancti dona 617
4. Quotnam dentur dona Spiritus Sancti 619

NIHIL OBSTAT
Fr. Joannes Neri Ord. Praed.
Censor deputatus.

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch.
Vicesgerens.

ERRATA TOMI SECUNDI

ERRATA.				CORRIGE.
Pag.	13,	*linea*	2: *(Q. 43, a. 4)*	*(Q. 44, a. 4).*
»	41,	»	8: jussui Deo	jussui Dei.
»	60,	»	29: quanto	quando.
»	100,	»	18: egere.	agere.
»	102.	»	14: cognitionem.	cognitio.
»	140,	»	16: honorificentes.	honorificantes.
»	158.	»	11: inter puros hominem . .	inter puros homines.
»	165,	»	37: Christus assumpsisse . .	Christum assumpsisse.
»	166,	»	28: in cœlo ascendisse. . . .	in cœlos ascendisse.
»	176,	»	14: repudiebat.	repudiabat.
»	251,	»	21: promum	pomum.
»	289.	»	17: exsecutiones.	exsecutionis.
»	299,	»	33: integitatis	integritatis.
»	425,	»	10: remaneat	remanet.
»	438,	»	18: præstaturi.	præstituri.
»	477,	»	31: in hominis.	in homine.
»	487,	»	24: ab eo detestatur	ab eo ut detestabile habetur.
»	614,	»	2: qui... elargiuntur	quos... Deus homini elargitur.

Alia quædam minoris momenti diligens lector ipse corriget.

208.9
H 436 #264
HERRMANN,
AUTHOR
Inst. Thologiae Dog. II
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Ferretti OCT 17	
	Marien	
	STORAGE - CBPL	

264